Digitized by Google

a vist in Catal. p 129
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
M8
21 — G
78
9-8.5.21
Digitized by Google

Richardus Rex Angliae in prelio cepit Episcopum
Bellovacensem cum lorica et alia arma ad Pon
tificem Romanum mittit interrogans hacine sint tu
nica filii tui p 164

S. Thomas in sacello S.ti Nicolai [illegible]
[illegible] a terra elevabatur [illegible] in forma crucis [illegible]
et vox [illegible] descendit bene scripsisti de me Thoma
quam ergo [illegible] pro tuo labore accipies
p 441

Apparitio Minoritae Dominicano de
[illegible] et impressio manus in mensa in
signum ignis purgatorii quem ipse passus est
[illegible] post [illegible] p 447

Contra [illegible] et [illegible] de [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] et
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] pater
pag 37 38: [illegible] DO mathematice [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] libro de
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible]

Digitized by Google

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ NOVI TESTAMENTI,

Trias, ſeu

PARS TERTIA.

Quâ res Chriſtianorum, Judæorum, Gentilium, Muhammedanorum, juxta trium XII. XIII. & XIV. poſt Chriſtum natum, Seculorum *ſeriem, breviter, ſuccinctè & Aphoriſticè* primò *proponuntur; fuſiùs* deinde *explicantur:* Capita etiam *doctrinæ, tum veræ, per commodam & luculentam, uniuscuiusq; Seculi,* Συμβίβασιν; *tum falſæ, per* ἔλεγχον *ſubjiciuntur, ſicq; ad multiplicem uſum, neceſſariamque rerum Eccleſiaſticarum notitiam applicantur.*

AUTHORE
JOH. HENRICO HOTTINGERO,
Tigurino.

HANOVIÆ,
Impenſis MICHAËLIS SCHUFELBERGERI,
Typis Iacobi Laſché, Anno 1656.

Digitized by Google

Magnificis, Nobiliſſimis, Ampliſſimiſque Viris, D. D.

CONSULIBUS,

Totique Senatui, Civitatis Curienſis inclytæ.

Reverendis item, & Clariſſimis Viris,

DN. HARTMANNO SUARZIO, Eccleſiæ Curienſis Paſtori & Fœderis X. Jurisdict. Decano.

DN. LUCIO GABRIELI, Ilantinæ Eccleſiæ Paſtori, & Fœderis Griſæi Decano.

DN. ESAIÆ SCHUCANO, Eccleſiæ Scamſienſis in Engadina ſuperiore Paſtori, & Fœderis Cathedralis Decano.

Dominis ſuis; Fautoribus, Fratribus, officioſo cultu proſequendis, hanc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Partem offert & inſcribit

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS.

Digitized by Google

EPISTOLA DEDICATORIA.

DUo ſunt, VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, PRUDENTISSIMI; REVERENDI itẽ & CLARISSIMI, quæ in vaſto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ oceano naviganti, probè ſunt obſervanda; *uſus* ſingularis, & *ſors* ejuſdem varia. Ut de *uſu* multa faciam verba, nihil eſt neceſſe. Unum, cum literatiſſimo ſeculi noſtri Hiſtorico, *Matthia Berneggero*, notâſſe ſufficiat, nullam Theologiæ ſcientiam ſubſervire, quæ frequentius in conſilium adhibeatur, arctioréque vinculo Dominæ ſuæ, ſcientiarum regnatrici, ſit conjuncta, quàm ipſa Hiſtoria Eccleſiaſtica; ut quæ inde à primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, per ſingularum ætatum decurſum tale ſemper fatũ eſt experta, quale Theologia ipſa, cùm ſimul

& ſtare & labaſcere, incrementum ac decrementum utraque accipere deprehenſa fuerit. Unde varia ejuſdem *ſors*. Quæ primis poſt Chriſtum natum ſeculis Hiſtoriam Eccleſiaſticam emergentem licèt, & aliquo uſque florentem, preſſerit calamitas, ***Baronii, Cani,*** magnorum in Eccleſia Romana authorum, verbis alibi expreſſimus. Quid verò deinceps, à ſeculo præſertim ſexto, illi contigerit; & quã ſit paulatim in deterius & Theologia, & Hiſtoria prolapſa, nemo veteris memoriæ vel mediocriter peritus ignorare poteſt. Ut enim Theologiæ ſinceritas ſordidis humanarum opinionum fecibus, & pudendis priſcæ gentilitatis imitamentis mirificè fædata fuit; ſic hiſtorica quoq; monumenta, magna mentiendi & ineptiendi libidine tanquam tabe, correpta, corruptaque fuerunt. Ibi miracula vel à ſanctis, vel ab imaginibus, vel à reliquiis edita utramque paginam, vel plurimum conficiebant; nec quiſquam ægrotus quicquam adeò ridiculum ſomniabat, quod iſti fabularum hamaxarii ad ſtabiliendas ſuperſtitiones, ad emungendos argento loculos excogitatum, pro vero venditare, & ſcripti; mandare non auderent. Quod quidem cacoethes

coethes, ut paulo pleniùs in apricum, ex Adverſariorum ſcriptis, proferremus, ſtudiosè dedimus operam. Cujus repetitione in ipſo limine, ne negotia Veſtra ſexcenta morari, nec præfatiunculæ cancellos tranſilire operæ pretium eſt. Non poſſunt tamen non obiter deplorare infelicitatem Helvetiæ & Rhætiæ domeſticam. Quàm turpiter, quàm torpidè & tepidè inficetis Reformationi vicinis, & antegreſſis aliquot ſeculis in Hiſtoriis patriis, ſacris & profanis, Monachi noſtri, aliiq; verſati fuerint, queri cum *Aegidio Tſchudio*, Gulero & *Sprechero* poſſumus, effari non poſſumus. Syllabarum & ſoni major, quàm veritatis & rei geſtæ habebatur ratio. A *Curione*, (quem ridiculi nonnulli Endymiones Imperatorem, præter omnem colorem, fingebant, *alii* Romanæ proſapiæ ſurculum illuſtrem, ineptiſſimo, & ipſis etiam Monachis intolerabili, parachroniſmo, cõminiſcebantur: quàm ab Imperatoria *Curia*, Metropolin Veſtram deducere malebant. Eodem plane ſucceſſu, quo non vulgus tantùm, ſed emunctiorum tum narium Ariſtarchi, *Suitiam*, & *Suitenſes*, ſeu *Suiceros* (hoc enim Confœderati mediæ ætatis Scriptoribus venire ſolent, à *ſu-*

dando denominatos, non hariolari modò, ſed edicere temerè & imperitè auſi fuerint, magna judicii poſteritatis ſecuritate. Verùm ἀλλόκοτα hæc, quæ magnis etiam exciderunt viris, Hiſtoriæ ἀποσπασμάτια profanæ, hujus loci non ſunt. Commodiori illa aſſervamus tractationi. In Eccleſiaſticis & majus periculum eſt, & gravius momentum. Sed ne hic quidem licentiæ & petulantiæ hominum περιέργων frænum injici potuit. Unde factum, ut vel incerta penè omnia ſint, vel prodigioſa mendacia, vel inſulſæ fabulæ, vel adverſa fronte pugnent, quæ de primis patriæ noſtræ Evangeliſtis poſteritati reliquit, non ea, quâ res tum erant geſtæ, ſed longè poſt ſequuta, & barbarie inundata atque obruta ætas. Non Hiſtoria, ſed delirantis ſilicernii ſomnium eſt, *S. Beatum*, antiquiſſimum Helvetiorum & Rhętorum Apoſtolum, *Suetonium* unquam fuiſſe vocatum. Dubitat quis? Ipsũ adeat & audiat *Beatum* R*henanum*, virum, omnium judicio, magnum, hanc vulgi fabulam, Rer. Germ. lib.3. p.161. ita flagellantem: *Quidam ſuperioribus annis, quem adhuc audio ſupereſſe, Beatum* Anach*oretam* Hel*veticum, ut vulgus prædicat, Suetonium fuiſſe vocatum affinxit, illius*

lius vitam deſcribens, & ſocium habuiſſe, cui nomen eſſet Achatæ. Adii hominem, quæſiturus, unde nam id aſſereret: putabam enim illum hæc abſq; auctore nõ dicere: ſed audi impudentiam. *Propterea, inquit, addidi* Suetonium *fuiſſe vocatum, quòd legerem à* Suedia *prodiiſſe, & quia* Aeneæ Virgiliano *fidus* Achates *ſemper adhæſit, ideo ſodalem illius hoc nomine donavit, alioquin anonymum futurum. Et tamen hæc hiſtoria, ſi ita vocari libet, non ſolum picta eſt in templis ac ſcripta, ſed etiam typis excuſa.* Eadem nimirum veriſimilitudine, ſcribit magnũ illud literarũ decus, I*acobus Vſſerius*, Antiq. Brit. p. 747. qua Turegii apud Luſitanos in fano, B. Mariæ ſacro, ex Ethnico *Viarũ Curatore*, ſeculari errore, *Viarum Epiſcopum* factum, & pro Martyre cultum, eos, quibus lumbi dolerent, absq; dubio juvare ſolitum, in Epiſtola ad *Bartholomæũ Kebedium* de Martyribus Eboracenſibus ſcripta, lepidè narrat vir eruditiſſimus A*ndreas Reſendius*. Ut hic oppido ridiculum *Dempſterus*, Hiſt. Eccleſ. l. 2. n. 159. ſe exhibeat, qui ad hunc ipſum Rhenani locum intendens digitum, ex ineptiſſimo nihilominus nominis Suetoniani figmento, præclarum antiquitatis monimentum nobiliſſimi ſtemmatis S*etoniorum* (Wentoniæ & Eglintoniæ & Dunfermilini Co-

 mitum)

mitum) expiſcari conatus ſit. Nec felicior criticus videri queat *Proſtus*, Lugdunenſis, qui lib. de Jubil. p. 16. ſcribit: *Anno Chriſti* 1350. *Helvetia Brigitta, una cum filia, Catharina nomine, indulgentias cõſequutum Romam venit: Erat autem nobiliſſima, & ex* Regũ *Helvetia* (λῆροι! quos enim ea ætate Helvetia habuit Regulos? *Sueca* erat, quæ *Suitia*, literis affinis, hunc nobis peperit errorem) *ſtirpe oriunda.* Cui affine illud *Leonard. Aret.* in Epiſt. l. 4. p. 144. *Ego cùm diligentius perſcrutarer, tabulam inveni marmoreã, vetuſtas literas continentem, ex quibus apparet, à Conſtantino Conſtantini patre, qui à Diocletiano & Maximiniano Cæſar dictus eſt, hanc urbem nomen cæpiſſe, cum prius Vitudura nuncuparetur. Hanc tabulam nemo Conſtantienſium legere ſcit, tenetq; vulgi opinio, eſſe ſanctuarium quoddam præcipuæ religionis. Itaq; mulierculæ & cætera imperita turba fricandis per eam manibus jam literas penè totas ex tabula deleverunt, cùm tamen ibi ſcripta ſint non ſanctorum Chriſti, ſed perſecutorum Chriſtianæ fidei nomina.* De Vitoduro vindicando non laboro; alii pridem viderunt, quàm ſit ineptum, pro eo obtrudere Conſtantiã. Conſulatur *Stumpf.* Annal. Helv. l. 5. p. 387. *Guill.* rer. Hel. l. 1. p. 27. Seculi modo notetur infelicitas, quâ factum, ut vel

Digitized by Google

ut vel ſolo antiquitatis ſchemate religioſum cultum obtinuerint inſcriptionum Gentiliũ rudera. Sed ad *Lucium* Veſtrum accedimus. QVin hominis ſtudio multum debeat R*hætia*, &, ut nonnulli volunt, *Pagus* etiam *Tigurinus*, dubitare nos non ſinit tantum μαρτύρων νέφ☉. Sed quàm ejus Hiſtoria perplexa eſt? Si *Lucium* quæramus ipſum, Regem eum Britannicum plerique aſſerunt; alii negant; alii Lucium Cyrenæum fuiſſe pronunciant, quibus apud *Lucam*, Act.13.v.1. fit mentio. Eundemque Lucium Cyrenæum alii Simonis illius, qui Chriſto crucem portavit, filium; alii Pauli commilitonem & cognatum fuiſſe cenſent: alii cum Rege eum Britannico confundunt. Sed nec *converſionis* tempus ita accurate obſervari potuit à quoquam, quin de ea viginti tres circumferantur ſententiæ diverſiſſimæ. *Baptiſmatis* ſacra unda ablutum eum nonnulli ſcribunt in Scotia, per Timotheum Pauli diſcipulum; alii longius rejiciunt. Quo conſilio Chriſtianiſmum ſuſceperit, varie etiam ab authoribus refertur. *Regnâſſe* Lucium aliquem, tum ex vetuſtiſſimis non male colligunt Britanni nummis; tum ex conſtanti, ſi ab uno diſcernimus *Oratore Caſtellano*, conſenſu.

)a(5 ſu.

ſu. Quouſq; verò pomœria ſe ejus extenderint, id ipſum controverſia non caret. Nam, ut credamus, potitum eum fuiſſe vel univerſa Britannia, vel potiori eius parte, quam in provinciæ formam Romani redegerant, ratio illorum temporum non permittit. *Mortem* eius, teſtibus *Vſſerio* in Britannicis antiquitatibus & *Murero*, in Helvetia ſancta, quàm variè exagitant? Non pauci Martyrii coronam ei vindicant; cæteri placide expirâſſe ſcribunt. Utrumlibet velis incertam tibi authores, tum beatę illius ἀναλύσεως, tum principii & finis regni relinquunt Hiſtoriam. *Ne ſepulto* quidem quieſcere datur. Alii, ex Rhætia eius corpus in Britanniam reportatum, & Claudiocestriæ honorifice ſepultum eſſe ferunt; alii Londino hunc aſſerunt honorem. Alii iterũ Claudiocestriæ & mortuum & tumulatum, contra Annalium Veſtrorum fidem, aſſerunt. Et ne melior ſors *Emeritæ*, ſororis eius, fuiſſe videatur, ipſa quoque montium cacumina ex Rhætia in intimam Scotiam migrare debuerunt. Trimontium enim, locum Curiæ vicinum, ubi & Martyrium Emerita ſubiiſſe dicitur, in ora occidentalis Scotię collocanda erat, ne virginis illius memoriam,

ſine

ſine ratione, celebrâſſe dicerentur. Hęc, *viri Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi; Reverendi* item, & *Clariſſimi*, Pandorę pyxis, in patriam noſtram communem, & univerſam effuſa Eccleſiam, multum incommodavit. *N*am & ſuperſtitio hinc ſua incrementa habuit, & plebis furor arma. Has verò cicatrices non refricaremus, niſi innocentię noſtræ urgeret neceſſitas. Sed ſatis procemiatus ſum. Breviter nunc rationem reddo, cur hinc Eccleſiaſticę meæ Hiſtoriæ tomo Veſtrum potiſſimùm quæſiverim patrociniū.

Ac *primò* quidem, dubitare non potui, quin, quos pridem Hiſtoriarum monumenta æternitati commendârunt, eaſdem illi, contra lividum, & cumprimis moroſum noſtrum Seculum, parato animo defenderent. Refert, ex Platone, *Ludovicus Vives*, ſacerdotem Ægyptium, Solonem & Græcos cæteros, qui recordationem priſcæ memoriæ non tenerent, *Pueros* appellâſſe. Huius opprobrii nullum apud Vos periculum. Hanc enim hactenus laudem nec hoſtium rabies obruere, nec Monachorum inſcitia adimere, nec armorum ſtrepitus prohibere poterant. Querantur licet alii, de contemtu literarum, apud Helveticos

&

& Rhætos, non tamen vel hominum animis, vel æternis chartis memoria eorum eximi debuerat. Nam & *Livius*, & *Strabo*, & cæteri, tum Græci, tum Latini Scriptores, *Horatius*, *Trogus Pompejus*, *Plinius*, *Tacitus*, *Paulus Diaconus*, neç rarò, nec obſcure Gentis Rhæticæ meminerunt. Sequioribus vero temporibus, poſt reſtitutam literarum lucem, libertatemque patriæ graviter vindicatam, non pauci animum ad ſcribendum, texendasque Hiſtorias Rhæticas appulerunt, quos inter eminet *Aegidius Tſchudius*, qui deſperatam pene rem aggreſſus, origines Rheticas fideliſſime eruit, multum, ut fatetur, adjutus ab *Henrico Lorito Glareano*, Præceptore & conterraneo, *Ioachimo Vadiano*, *Bilibaldo Birckhaimero*, *Gerardo Noviomago*, & *Beato Rhenano*. Neque vero Rhætiam in ſcriptis ſuis relinquerunt intactam, *Albertus Bellfortenſis*, *Franciſcus Niger Baſſanenſis*, *Benedictus* Iovius, *Iohannes Traverſius*, *Iohannes Stumpfius*, *Sebaſtianus Munſterus* Ioſias *Simlerus*, Huldricus *Campellus*, *Gaſparus Bruſchius*, *Martinus Cruſius*, & alii, quorum labores tum Mſc. tum typis excuſi noſtris teruntur manibus. Quam etiam Rhætiæ, noſtro Seculo,

lo, præſtiterunt operam *Marcus Velſerus*, patricius Auguſtanus, *Franciſcus Guillim annus*, *Philippus Cluverius*; *Michael Stettlerus*, *Ioh. Petrus Lotticbius*; *Caſparus ab Ems*, &, præter cæteros, *Iohannes Gulerus*, *Fortunatus Sprecherus*, nuperque demum *Iohan. Ludovicus Gothofredus* in Archont. Coſm. poſt quos Iliadem ſcribere nec tutum eſt, nec noſtri inſtituti.

Accedit *deinde* illuſtris trium Seculorum, quorum Hiſtoriam percurrimus, Synchroniſmus. Ut enim vix plura, aut memoratu digniora Natura, Eccleſia & Reſpublica habuit ζυμπλώματα, ita nec Rhætia Veſtra fertiliorem longo tempore Hiſtoricis reliquit meſſem, quàm eorundem Seculorum flexu & fluxu. Ubi ſi non voto omnia, fato tamen divino & immutabili reſpondiſſe, recordari nec inutile eſt, nec temerarium. Nec ſperabitis, credo, tot ubique in Natura, Republica & Eccleſia graſſantibus malis, ſolas alpes Veſtras, vel clementiorem habuiſſe aerem, vel meliori uſas fortuna. *Non* peſtes Vobis deerant, non fames, non alia *Naturæ* novercantis prodigia. Et cùm ipſa crebro *Reſpublica* Tyrannorum violentia, Cleri libidine, Epiſcoporum crudelitate vexaretur, nun-

quam

quam tamen graviùs exagitata fuit, quàm cùm fidem Imperatoribus datam cum Helvetiis ſervare parata, diras & furias Pontificias generosè contempſit. Teſtis eſt continua illa Papæ Cæſareatus Tragœdia. In ipſa denique *Eccleſia* colluctandum erat cum variis novitatum monſtris. Vocationem Epiſcoporũ non ſemel experti eſtis, cum pacis publicæ periculo conjunctam. Nec enim arma capeſſere, claſſicum canere, in amicorum viſcera ſævire, religioni duxerunt illi, quibus aliud longè ſuadere debuiſſet vel ſola nominis ratio. In Monachatu quid optimi quique deſiderârint, ipſi ex Annalibus Veſtris optimè noſtis. Mercatura nova, Rhætiæ antea planè inaudita ſub jubilæi& indulgentiarum nomine incaute obrepſit: & cùm ſatiari non poſſet Paparum, in clientes, tyrannis, vivorum ſanguine, mortuis etiam illi inſultabant, honeſtoque ſepulturæ loco eos privabant. Mitto donationes, peregrinationes religioſas, ſubſidia pro bello ſacro, quibus Veſtri quoque Majores vitam æternam redimere, Pontificia authoritate jubebantur. Hæc, hæc, inquã, omnia, αὐτολεξεὶ propemodum ex graviſſimis authoribus deprompta, & ſi quæ ſunt alia, com-

commodius alibi commemoranda, quibus univerſa noſtra Patria tot Seculorum periodis, mactata fuit & multata, ſeriam meritò in nobis excitent gratitudinem, quam & tum teſtabimur, cùm iugi præteriti temporis examine noſtram felicitatem, tam luculenta & notoria contrariorum oppoſitione, recte metiri perrexerimus. Non leve deniq; conatibus his meis addidit momentum, ſingularis benevolentia, quam utriusque ordinis Proceres, ex quo tempore & publica docendi provincia, & lectiſſima aliquot familiarum Veſtrarum pignora fidei meæ eſſent cõmiſſa, non ſemel mihi probârunt. Ut igitur vel aliquam, gratia Veſtra, gratiam peperiſſe videretur, publica hac προσφωνήσει animum non omnino ingratum declarare volui. Vos, *Viri Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi; Reverendi* item, & *Clariſſimi*, hoc quicquid eſt, muneris æqui conſulite, fœtumque hunc imbellem ſinu Veſtro fovete. Deum veneror, ut Eccleſiæ pacem, doctrinæ puritatem, Reipublicæ libertatem, terræ fertilitatem; utriusque Ordinis Proceribus in fide conſtantiam, in rebus gerendis dexteritatem, & prudentiam, omnibus denique

Vobi

Vobis mentem ſanam in corpore ſano conſervare porro dignetur, per Dominum noſtrum & Servatorem JESUM CHRISTUM, Amen. Dabam Tiguri, Calend. Februarii, Anno incarnationis 1653.

Ampliſſimo, Magnificentiſſimoq; Reverendo item & Clariſſimo Nomini Veſtro deditiſſimus

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS.

DUm culmen faſtûs Romani Præſulis iſto
Perſtringis magna dexteritate libro,
Waldenſiſque doces culmen crucis: ecce videmus,
Jam culmen famæ te tetigiſſe tuæ:
Sed dum Papa ruit, conſtat ſua gloria Waldo:
Gloria ſic famæ ſtabit & ipſa tuæ.

Petrus Megerlin, V. I. D. Campdonenſis.

Digitized by Google

SECULUM
Seu
CAPUT XII.

SECTIONES ejus ſunt ſex.

I. De Chriſtianiſmo.
II. De Muhammediſmo.
III. De Gentiliſmo.
IV. De Judaiſmo.
V. Doctrinæ ζυμβίβασις.
VI. De falſa Eccleſia.

SECTIO I.
De
CHRISTIANISMO.

I. Succedit *Seculum* à nato Chriſto *duodecimum* in cujus examine Hiſtorico *naturam* primò conſiderabimus; *Politiam* deinde; demum *Eccleſiam* quoque ipſam, &, quæ ad illam pertinent *Scholam* & *Monaſteria*.

II. Ut conſtaret omnibus, ultima inſtare tempora, magno & tremendo, judicii extremi, diei vicina, ſigna illa portenta [a] & prodigia, quæ illuſtri ſuo adventui præire voluit, ſupremus Mundi Judex hoc ipſo quoque Seculo præter, contra & ſupra naturæ ordinem crebrò obtigerunt; de quibus [b] varia ſemper hominum fuerunt judicia.

[a] Multos ſemper habuit Eccleſia ἐμπαίκτας ut loquitur Beatus *Petrus* 2. Epiſt. 3. c. v. 3. κατὰ τὰς ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευομένους, λέγοντας. ποῦ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ; ἀφ' ἧς γὰρ οἱ πατέρες ἐκοιμήθησαν, πάντα οὕτω διαμένει ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως: horum igitur temeritati ut frœnum injiceretur, placuit Deo aliquos ſubinde ultimi judicii mundo mittere prodomos, eoſque in annos & dies luculentiores, cujuſmodi hoc ſeculo fuerunt 1. *Cometa*. Anno 1110. Cometa apparuit more inſolito: nam cùm ab Oriente ſurgens in firmamentum aſcendiſſet, non progredi, ſed regredi videbatur: *Matth. Par.* p. 62. Et circa annum Dom. 1146. Cometa multis diebus apparuit in occidente, vicinum aërem ſpaciis circumquaque diffuſis coruſcantibus radiis illuminans, in menſem. *Id.* Alius meminit a. Chr. 1114. & 1106. Et *Vrſperg.* Chron. p. 248. Anno Dom. 1106. à prima Hebdomade quadrageſimæ cometam

metam immenſi fulgoris, usque ad paſſionem Domini conſpeximus. 2. *Terræ motus. Elmac.* p. 298. A. Martyrum 828. die Veneris 3. Tutis, hora diei 3. ingens in Ægypto Terræ motus contigit. *Calviſ.* a. Chr. 1157. Horrendi terræ motus fuerunt hoc anno in Syria propè Damaſcum, item aliis in locis. In Cutanenſium urbe ducuntur viginti millia hominum periiſſe anno Heg. 552. *Geneb.* a. Ch. 1170. Ingens terræ motus Orientem concuſſit ſubverſis multis urbibus ut Tripoli Syriæ, Antiochia, Cæſarea, Alebia, Emeſa, Amaſo, *R. Ioſeph.* & *Elm.* Mſc. p. m. 178. Prænuntius cladis noſtrorum, quâ Orientis poſſeſſione excuſſi ſunt à Turcis principe Salatino. Ejusdẽ meminit *Faſc. temp.* 75. b. *Avent.* ann. l. 7. p. 659. Terræ tremor IV. Non. Maij orbem terrarum afflixit, urbes, caſas, ædes, templa ſubvertit; apud Longionas, pagum Bojariæ, qua cum Hercynio jugo ad Bojemiam pertinet, annum & ſex menſes continuatus eſt. *Genebr.* a. Ch. 1117. Horrendus terræ motus per totum penè orbem terrarũ, maximè in Italia, quo civitates, caſtella, villæ cũ hominibus abſorpta ſunt, montes ſciſſi, flumina degluticntè terra exſiccata. Padus, unus de quatuor Europæ majoribus fluviis, è terra elevatus in modum fornicis, ut inter terram & aquam via pateret tranſeuntibus. Unde inſtare dies extremus credebatur. Chron. Hirsaug. *Matth. Par.* p. 64. & *Vrſperg.* p. 261. 3. *Eclipſis Solis.* Anno Chriſt. 1128. Sol paſſus eſt Eclipſin VI. Id. Januar.

Matth. Pariſ. 4. *Exiccationes fluminum & maris.* An. Chr. 1114. quarto Calend. April. Tameſis exiccatus eſt, & mare ad duodecim milliaria per duos dies; *Matth. Par.* Ann. Ch. 1135. ferventiſſimum fuiſſe, amnes ſiccatos eſſe, ſylvas cum montibus arſiſſe, fomitem & quicquid alendo igni aptum eſt in terram ingeſtum, mox ignem concepiſſe, literis proditur. *Aventin.* l. 6. p. 623. An. Ch. 1194. Ingens ſiccitas in Germania fuit; ita ut flumina verè exaruerint, quam ſecutæ ſunt ingentes tē-peſtates, cum grandine ovorum gallinarū quantitate, quadrangulam, aut triangulam; corvi etiam viſi ſunt in aëre carbonas ignitos ferre, quibus domos incenderunt. Incendia enim frequentiſſima fuerunt in Europa. *Richard.* De Pado quid factum ſit, modo diximus. 5. *Variæ Lunæ affectiones.* *Modò* enim facta eſt quaſi ſanguinea; an. Ch. 1117. III. Id. Decemb. *Matth. Par.* *Modò* quinque ſimul apparuerunt lunæ, *Id.* an. Chriſt. 1200. Et an. Ch. 1106. viſæ ſunt in cœna Domini lunæ binæ & plenæ, una in Oriente, & altera in Occidente. Id. *Modò* varias & planè notorias Eclipſes paſſa, *Chron. Vrſp.* p. 269. 6. *Aquarū inundationes.* Flandria ex parte ſubmergitur. *Faſcic. temp.* p. 75. b. Et *Chron. Hirsaug.* an. Ch. 1164. Oceanus in inferiore Germania per 12. milliaria effuſus in terras, multa hominum millia, maximè circa fluvium Weſeram ſubmerſit. 7. *Varia Φάσεις cœleſtes*, ut ſunt acies in cœlo dimicantes *Faſcic. temp.* p. 75, b. *Vrſper.* a. Ch. 1101. Viſus eſt à noſtro

ſtro quodam familiari ab Oriente in Occidentem volans ignis, ad inſtar non modicæ civitatis; Et a.Chr.1114. m. Decemb. cœlum repentè rubens apparuit, ac ſi arderet, & Luna Eclipſin paſſa eſt. *Matth.* Par. Et a.Chr.1118. Valdè manè, Dominicæ Reſurrectionis die, cœlum à parte meridiana apertum, tantam lucis effudit abundantiam, ut lunæ, quæ tunc clariſſima nimirum videbatur, lumen inæſtimabili fulgore detergeret, & per unam vel ampliùs horam (quod multis teſtibus comprobamus) omni Solis luce clarior permaneret. Ipſo tamen ſpatio crux non modica per idem foramen dependens, apparuit, cujus tam auri, quàm gemmarum varietas evidenter diſcerni potuit. 8. *Grandines inuſitatæ. Vrſperg.* a.Chr.1120. Deus Saxoniam, & maximè in Epiſcopatu Halberſtatenſi dira grandine flagellavit in tantum, ut in novem villarum finibus non ſolùm frumenta, ſed & beſtias agri cum volatilibus innumeris conſumſerit. Circa ſolſtitiũ æſtivale commutato in tempeſtatem aere, decidiſſe fertur inter grandinũ lapides in pago Wirciburgenſi tantæ magnitudinis glacies, quæ in quatuor diviſa totidem hominibus importabilis videretur. *Vrſperg.*an.Chr.1104. 9. *Glacies inſolita, & tempore prorſus inſueto concreta. Vrſper.*eodem anno: nec minus interea ſciſſionem inconſutilis tunicæ ſuæ Dominus ipſe deteſtatus, inter multa, quibus, pro ipſo orbis terrarum flagella pugnavit, in Epiſcopatu Trevirenſi, menſe Ju-

nio ſuſcitata tempeſtate, glaciem miræ magnitudinis effudit, quæ & ædificia evertit, & alia pericula intulit. 10. In Epiſcopio Spirenſi *Sanguis ex panibus fluere viſus*, nec non in lenticularum edulio prodigiosè repertus, civile, imò inteſtinũ bellum portendere, ſecundũ antiquam Hiſtoriæ Romanæ ſimilitudinem conjiciebatur. *Vrſp.* an. Ch. 1104. 11. Stellæ cadentes, quas tanto quidam obſervârunt numero, ut pluviæ guttas, & multitudine, & caſibus viderentur imitari, *Chr. Vrſp.* an. Ch. 1123. 12. *Fames & peſtis*, quæ an. Chr. 1125. per multas provincias tantam ediderunt ſtragem, ut penè tertia pars populi notaretur occubuiſſe. *Vrſper.* 12. *Multa præterea alia hoc etiam ſeculo obtigerunt prodigia.* Sus in Gallia apud Legienſem parochiam enixa eſt fætum humana facie: Gallinaceus quatuor pedibus naſcitur: Bipes infantulus ſexu duplex natus eſt: Innumeræ aves aperto cœlo dimicantes, exanimes in terram occiderunt: In Italia ſic terra per 40. dies tremuit, ut villa quædam vehementia motus, alium in locum fuerit translata: Multi ſacro igne accenduntur, membris inſtar carbonum ingreſcentibus. Vermiculorum quoque, quos papiliones à ſimilitudine tabernaculorum vocant, exercitus incredibilis multitudinis, per tres cõtinuos dies quaſi à Saxoniæ finibus in Bajoariam volitabat, &c. Sed plura tum obvia hinc inde erant prodigia, quam quæ vel numerari quæant. Operæ pretium fuerit unum adhuc & alterum

ἐπιτά-

ἐπιτόμως de iis audire diſſerentem. *Pleraq; tum prodigia bellũ*, inquit *Avent.* annal. lib. 6. p. 615. *civile portendiſſe in faſtos relatum eſt, ſanguine pluit, lavans caput cruore manus pollutas invenit: Terra intremuit: urbes, domus everſa. Dormitantes noctu cubilibus excuſſi ſunt. Tonitrua, fulgura crebra, mortales attonitos fecerunt. Dira grando ſegetes, homines, pecora attrivit. Leodii ſubito tranquillo aëre turbo coortus fulmine tres ſacerdotes comprecantes in templo, veſperi, pridie ejus diei, qua Chriſtus triumphabundus cælos conſcendit. extinxit, mœnia, ædes ſubvertit, fætor peſtilens ſubſecutus eſt: Nubes ſolutæ, fluminumq; more effuſæ, pecudes, caſas, villas cum hominibus aquis operuere. Nubes ſanguineæ, crux, homo candens in cælo viſus, exitium orbi terrarum adventaſſe credebant.* Cõfer quæ diximus ſup. num. 10. de prodigiis. Sic *Urſperg.* a. Ch. 1124. *His temporibus per latitudinem Imperii Romani prodigia nonnulla cladesq; diverſa frequentabantur, adeo ut nec numerus eorum nec ſpecies à cuiusquam mortalium ſcientia colligantur. Porro pauca quæ noſtris auribus volans intulit fama, ſtylo libuit exarare, ne exempla & divinum verbum, quæ multiformibus plagis to-*

leramus, occultare videantur generationi ſubſecuturæ. Quarta feria hebdomadæ Pentecoſtes, diriſſimæ pruinæ frigus plagam magnam, tam novellis ubiq; frugibus, quàm vineis abundantiſſimam jam fœtuum ſuorum ſpem turgendo promittentibus intulit, nec multò pòſt, id eſt, XVI. Cal. Iulii reſiduum frigoris tempeſtas tam immenſa, quæ diluvium minari videretur alicui, crudeliter devaſtavit. Item nebulæ quædam ex locis paluſtribus ultra ſolitum erumpentes, ſegetes contiguas, & maximè triticeas ærugine uredine depravârunt. Apium etiam fœtus, neſcio quo auſpicante incommodo, ex toto pene deperiit. Nonnulli inſuper in Sole & Luna vel ſtellis, diverſi diverſo modo ſe vidiſſe ſigna teſtantur, adeò ut etiam fidem excedere quibuſdam videantur. Puero cuidam in pago Tulifelt nato, crus dextrum diutino livore tumefactum tandem loco collecti puris crepuit, & pro ſanie mirabile dictu, grana non pauca tritici, ſiliginis, farris, hordei ac avenæ evidenter effudit. Vide etiam *Faſcic. temp.* p. 790.

[*b*] *Alii* enim ex tot prodigiis colligebant magnum illum diem Cenſorium inſtare: vide ſuprà. *Alii*, bella civilia portentis iſtis prænuntiata contendebant. Quædam ad novas expeditiones

nes Orientales referebantur. Paucos reperias, qùi facilè animadvertere non potuerint, eſſe hanc Dei manum, Dei digitum, quo ingratum altoque ſopitum ſomno hominum genus excitare voluerit, & officii monere. Quod & à nobis hanc ipſam ob cauſam majori ſtudio diligentiaque Compendio Hiſtorico inſeritur, ut aliorum malo ſapere, & hæc Dei prodigia ſuo loco habere diſcamus.

III. *Politiæ* ſeu *Regiminis* adminiſtratio, tam in [*a*] Oriente, quàm [*b*] Occidente ſex Imperatorum periodo decurrit.

[*a*] I. Eſt *Iohannes Comnenus*, Alexii filius, quē vulgò *Calojohannem* vocant. Annos regnavit 24: m. 8. II. *Emanuel*, aliàs *Manuel Comnenus*, qui regnum annos 38. adminiſtravit, ad annum videlicet 1180. quo, habitu Monachali indutus, mortem oppetiit. III. *Alexius II.* cognomento *Porphyrogenius* Emanuelis filius, qui gulam noctu fregit Andronicus. IV. *Andronicus* a. Ch. 1183. quo ipſo & vitam amiſit, & regnum. V. *Iſaacus II.* cognomento *Angelus*, qui regnum invaſit, quo iterum a. Ch. 1195. orbatus fuit, carceriq; mancipatus à fratre *Alexio III. Comneno*, qui poſt fratrem *Iſaacum* excæcatum & ejectum, præfuit ad annum uſque 1203. quo, ut dicetur ſeculo ſequenti. Imperio fuit denudatus ab *Alexio IV. Iſaaci* filio. Atque de his magna ſcribi poſ-

ſent commentaria, quia verò id hic loci non agimus, compendia quærentes, ad *Nicetam Acominatum*, Choniatam, Magnum Logothetā ſecretorem, Inſpectorem & Judicem veli, præfectum ſacri cubiculi, lectorem rejicimus, qui Hiſtoriā dedit 36. annorum, videlicet ab an. Ch. 1117. in quo Zonaras deſinit, usque ad annum 1203. cujus hæc eſt ſeries: I. Liber de rebus geſtis Ioannis Comneni, Alexii filii. VII. Libri de rebus geſtis Manuelis Comneni, filii Johannis. I. Liber de Alexio Porphyrogenito Manuelis Comneni filio. II. Libri de rebus geſtis Andronici Comneni. III. Libri de Imperio Alexii Angeli Comneni, &c.

[b] Nempe I. *Henricus IV.* de quo ſuperiori ſeculo, quem filius, *ϛοϱγῆς* immemor, graviſſimè fuit perſecutus. II. *Henricus V.* cui paternum ſolium conſcendenti *Henricus*, Lotharingiæ dux & *Robertus*, Flandriæ comes ob impietatem in patrem juramentū fidelitatis negaverunt. Verùm *Henricus* Cæſar eos armis ad præſtandum ſacramentum adegit. Anno Chriſti 1111. Romam ingreſſus a Paſchali Pontifice coronatus & Auguſtus appellatus impetravit, ut Germanis Electoribus creandi Cæſaris jura confirmarentur. Imperatore verò vix extra urbem digreſſo, Paſchalis levitate animi omnia quæ acta fuerant, reſcidit: quin & Saxones in Henricum concitavit, ut ingenti cum exercitu eū invaderent, quo in prælio inferior factus, propè omnes amiſit copias.

Impe-

Imperator cupidus vindictæ auctorem huius rei petere, Italiámque denuo invadere ſtatuit. Verùm prohibitus ſeditionibus domeſticis, agitatus inſuper diris, fulminibuſque Pontificis in furorem lapſus omnem propè patriæ curam abjecit: Accedentibuſque Epiſcoporum precibus, ut tranquillitatis publicæ amore aliquid de ſuo largiretur, conceſſit Pontifici quæ volebat, circa inveſtituram VVormatiæ in Vangionibus an. Chriſt. 1122. Pácata ad hunc modum ſuperiore Germania, ut inferiori quoque pacem redderet, profectus eſt Ultrajectum, ubi morbo correptus vitæ valedixit die 23. Julii an. Chriſt. 1125. cùm annos regnâſſet 19. III *Lotharius* II. Saxo, qui regnum adiit, quanquam Electores omnes non cõſentirent. Ei ſe oppoſuit Conradus, Henrici V. ex ſorore nepos; neq; multum adfuit, quin bello civili res componeretur. Bernhardus tamen Principes litigantes reconciliavit, effecitque ut Imperium eſſet penes Lotharium. Bis hic Imperator in Italiam profectus eſt, ut tranquillitati ejus regionis conſuleret, amavit ſtudia, doctoſq; viros: inſtauravit etiam luctantes cum barbarie leges ac jura Romana. Regreſſus in Germaniam correptus morbo, obiit in itinere ann. Do. 1138, Imperii 13. III. *Conradus III.* qui Comitiis Moguntiæ ad Rhenum habitis Imperator electus eſt. Invenit æmulum & adverſarium *Henricum* ſuperbum, Saxonum & Bavarorum Principem, quem bello ſuperare neceſſe habuit.

Duce-

Ducebat bellum Guelſus Henrici frater. Hunc *Conradus* intra oppidi VVeinsberg mœnia concluſum, longáque obſidione ac fame fractum, deditionem facere coëgit. Oppido autem militibus in prædam conceſſo, matronæ ſupplices factæ petierunt, ut earum honori conſulens, incolumes eas egredi mœnibus pateretur cum iis, quæ unaquaque ferre poſſet bonis. Aſſenſus eſt mulierum petitioni benignus Imperator, nihil dubitans, quin divitias, ornamenta, mundûmq; muliebrem exportaturæ eſſent. At hæ, contemtis nugis illis, ſublatiſque in humeros maritis, ferentes infantes brachiis jumentorum vicem præſtantes ita egreſſæ ſunt oppido. Circumventum ſe aſtu fœmineo videns Imperator, riſit, matronáſque ob fidem in viros collaudatas magnifico epulo excepit. Poſtea profectus eſt in Aſiam, cum *Ludovico* Francorum Rege, ubi cum Turcis ingreſſus eos acie fudit haud longè Mæandro fluvio: fuitque in illo prælio tantum cruoris humani fuſum, ut amnis tingeretur ſanguine, & impleretur corporibus mortuorum. Hæc victoria liberam ad Hieroſolymorum urbem fecit viam. Cúmque toto quadriennio in hac expeditione fuiſſet, reverſus domum expiravit a. Ch. 1152. die 15. Feb. cùm annos regnâſſet 14. V. *Fridericus Barbaroſſa*, vel *Ænobarbus*, quem *Conradus* moriens prætulerat cæteris Principibus Teſtamento. Electus igitur & Imperatorium adeptus nomen, Romam venit, ubi ab Adriano IV. die

IV. die 28. Junii, Cæſareo diademate cinctus, domum rediit. Digreſſo *Friderico* Itali ad uſitatas ſeditiones reverſi, Imperatorem trans Alpes ad ſe attraxerunt, qui veniens plenus irarum ita cum illis conflixit, ut duodecim Romanorum millia aperto campo cæderentur. Poſt progreſſus ad ipſam urbem Romam, obſidione eam cinxit & accepit. Alexander Papa ob id Imperatorem communione fidelium excluſit, Venetiáſq; profugit. *Fridericus* errore tempore vim Numinis & fulminis metuens, ſupplex coram Alexandro ſe proſtravit, abſolutionem petens. At Papa, Saporem Perſam imitatus, collum Imperatoris pede preſſit, accini jubens: *Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis.* At Imperator: *Non tibi hæc præſto, ſed* S. *Petro.* Reſpondit Servus ſervorum: *Et mihi & Petro.* Imperator exolutus vinculis Pontificiis, cùm Italiæ pacem reddidiſſet, regreſſus in Germaniam, ingentes militum copias in Aſiam duxit, victóſque tribus præliis Turcas propè Iconium omni ferè Aſia ejecit, perſecutuſque victoriam, omnem occupavit Ciciliam, cæſis ad internecionem Barbaris. Saladino ipſo extra Aſiam profligato reliquias copiarum ejus partim concidit, partim Armenia minore expulit. Quodam die, cùm ſupra modum incaluiſſet, Imperator, vicini amnis aquas refrigerandi ſui cauſa ingreſſus, ignorans fluvii voragines, inopinatò ſubmerſus periit,

quod

Digitized by Google

quod infortunium contigit d. 10. Junii, anno Imperii 38 Chriſti 1190. Corpus Tyrum transfertur, ibidemque ſepelitur. VI. *Henricus VI.* qui patri ſucceſſit omnium Imperii procerum conſenſu. Cognomen ei fuit ASPER. Uxorem hic duxit Conſtantiam Siculorum Regis Filiam, quæ dotis nomine Siciliæ Regnum attulit. Henricus uſitato more Romam petens, eam Romæ à Cæleſtino Pontifice Magno accepit. Poſt idem tempus inſignem exercitum in Aſiam duxit, comitibus multis Imperii Principibus, ſed inopina mors ſuperveniens præclaros viri conatus interrupit. Cùm enim in Sicilia eſſet, intentus claſſi inſtruendæ, ut mari ſequeretur exercitum, quem terra præmiſerat, obiit diem ſuum Meſſinæ. Sunt qui ſcribunt, eum ab uxore porrecto veneno periiſſe, quod contemta vetula juvencularum ſequeretur amores: Mors ejus incidit in annum gratiæ 1198. Regni 6. Suſtulerat ex uxore *Conſtantia* quinquagenaria filium *Fridericum*, qui quintum ætatis agens annum, ſub *Philippi* patrui tutela conſtitutus eſt. In hujus etiam ſeculi calcem electio incidit *Philippi*, Barbaroſſæ filii, qui poſt *Henricum* fratrem Imperator creatus, gravibus ab initio bellis agitatus eſt. Quamvis enim maxima pars Principum *Philippo* faveret, Pontifex tamen cũ cæteris Principibus *Philippum* omnibus impediebant viribus, adeò ut hoc excommunicato *Othoni* Duci Saxoniæ Diadema pollicerentur: unde

unde difficile bellum inter hos duos exarſit. Exoratus Papa duos miſit Cardinales, qui *Philippum* diris eximerent, & cum Otthone reconciliarent, quod matrimonii beneficio factum eſt. Compoſita ad hunc modum lite cum Imperator Bambergæ exſiſtens venam ſecuiſſet juſſis miniſtris exire cubiculo, alea ſe oblectabat cum *Henrico* Druchſeſſio Dapifero: Ibi *Ottho*, Vitelbacenſis Dux junior ingreſſus, conceptum facinus ſerena fronte diſſimulans, & ipſe ad luſum cum Imperatore vocatus, pugione *Philippi* jugulum percuſſit. Sed hæc poſteriora vitæ ejus acta ſequenti ſeculo inſerviunt.

IV. Hæc de ſtatu *Politico*: ſequitur *Eccleſiaſticus*, isque geminus, *Orientalis*, & *Occidentalis*.

V. In *Oriente* quædã in *genere* notanda occurrunt, quædam vero in *ſpecie*.

VI. In *Genere* tenendum eſt Orientalem Eccleſiam Saracenorum; Chriſtianorum irruptionibus exulceratorum & exaſperatorum; tyrannide atq; ſævitia graviter fuiſſe vexatam. Unde variæ, [a] Latinorum & [b] Græcorum querelæ.

[a] Extat Epiſtola, Cantuarienſi Archiepiſcopo miſſa apud *Matth. Paris*, p. 143. quæ ita habet: Cantuarienſi Archiepiſcopo Baldewino, Conradus filius Marchionis de Monte ferrato, ſalu-

ſalutem. *Turbantur elementa, & Catholicæ fidei derogatur, cum ſedes Hieroſolymitana Apoſtolicæ ſedi ſubtrahitur. Periit enim Hieroſolyma, & inertia Chriſtianorum à Saracenis viliſſimè pertractatur. Fœdant namq; Dominicum ſepulchrum, deſtruunt Calvariæ locum, nativitatem Chriſti contemnunt, & beatæ Virginis eradicant ſepulchrum. Sedes Conſtatinopolitana Romanæ ſedi nullam exhibet reverentiam, Antiochena quidem laborare dignoſcitur in extremis. Hæc autem omnia Chriſtianorum conſtat deſidia contigiſſe. Lugenda eſt civitas Hieruſalē, atque lugubriter lamentanda, quæ ſuis cultoribus ſpoliata, qui Chriſto per horas diei ac noctis conſtituti, Deo cantando & orando, famulabantur: nunc (proh dolor) Mahometh excelſa voce laudatur, ritibus polluta Saracenicis. Veſtræ igitur celſitudini preces cum lachrymis porrigo commixtas, quatenus calamitatum terræ ſanctæ miſereri dignemini, ut confortetis Reges, commoneatis fideles, ut canibus expulſis à patrimonio Ieſu Chriſti, miſericorditer ſubveniant, vincula ſolvant, prophanata mundent, ut terra ſanctis Chriſti pedibus calcata de poteſtate fidelium potenter liberetur.*

[*b*] Ni-

[b] *Nicet. Choniat.* annal. p. 58. Ἀλλ' ἕως τίνος τὸν οἰκεῖον παρόψει κύριε εἰς ἐπαγωγὴν ἐκκείμενον, καὶ περινομὴν μακραίωνα καὶ κίνησιν κεφαλῆς λαῷ μωρῷ καὶ οὐχὶ σοφῷ, καὶ πόρρωθεν ἀπεσχοινισμένῳ τῆς εὐσεβοῦς περὶ σὲ δόξης καὶ πίστεως; μέχρι τίνος ἀφ' ἡμῶν ἀποστρέψεις τὸ οἰκεῖον πρόσωπον ὁ φιλάνθρωπος, καὶ τῆς πτωχείας ἡμῶν ἐπιλανθάνῃ, οὐδ' ἐνωτίζῃ τοὺς στεναγμοὺς καὶ τὰ δάκρυα ὁ ταχὺς τῶν θλιβομένων ἐπήκοος; οὐδὲ δίκην ἐπιτίθης ὁ τῶν ἐκδικήσεων κύριος; ἕως πότε παραλλὰξ ἕρπονται, ἔσεται τὰ ἄτοπα, καὶ οἱ μὲν τῆς δουλίδος Ἄγαρ ἀπόγονοι κατακυριεύουσι τῶν ἐλευθέρων ἡμῶν, ἀπολλοῦσί τε καὶ ἀποκτενοῦσι. τὸ σὸν ἅγιον ἔθνος, ὃ τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα τὸ σοῦ ἐπικέκληται ἅγιον ὄνομα; τοῦτο δὲ χρονίαν ὑπηρεσίαν ὑπομενεῖ, καὶ τοὺς ὀνειδισμοὺς ὑποίσει, καὶ τοὺς κονδυλισμοὺς τῶν ἐπιτρίπτων τούτων ἀλλοφύλων; εἰσελθέτω ἐνώπιόν σου ὀψέποτε, φιλάγαθε δέσποτα, τῶν ἐν πέδαις ἡ συνοχή. βοησάτω πρὸς σὲ καὶ νῦν τὸν φιλοίκτον, τὸ ἐκχεόμενον αἷμα τῶν σῶν οἰκετῶν, ὡς τὸ τοῦ Ἄβελ πρότερον ἐπιλαβοῦ καὶ θυρεοῦ, καὶ ἀνάστηθι εἰς τὴν βοήθειαν ἡμῶν, καὶ κραταίωσας, ὃν αὐτὸς εὐδοκήσειας ἄνδρα, καὶ ἐφ' ὃν αἱρετίσῃ ἀπόδος τοῖς πονηροῖς γείτοσιν ἡμῶν εἰς τὸ ἑπταπλήσιον, ὅσα ἐπονήρευσαν τὸ κατὰ τῆς κληρονομίας σου. καὶ πόλεις καὶ χώρας ἐπαναστώσας ἡμῖν ἐν ἀνδρείᾳ, ἃς ὑφείλοντο οἱ ἀλλόφυλοι ὅρια στῆσαι τοῖς ἐκ τοῦ σοῦ καλουμένοις ὀνόματος ἀνίσχοντος ἡλίου, καὶ δυομένου πρώτας καὶ ὑστάτας αὐγάς, id eſt, *Sed quouſque Domine, hæreditatem tuam diripi, ac præda & ludibrio eſſe populo*

vacordi, & à vera tui cgnitione ac fide alieniſſimo patieris? Quamdiu à nobis avertes faciem tuam? Cùm ſis humanus, & mendicitatis noſtræ obliviſceris: nec gemitus noſtros & ploratus audies, cùm celeriter afflictis ſuccurrere ſoleas? neque pœnas ſumas, cum ſis vindex? Quamdiu durabunt iſtæ abſurditates, ut Agaris, ancillæ, poſteri nobis ingenuis dominentur: & gentem ſanctam tuam, quæ ſanctiſſimũ nomẽ tuum invocat, perdent & occident? diuturnam ſervitutẽ, & opprobria & alapas perditorum barbarorum ſuſtinentem? Intuere tandem, clementiſſime Domine captivorũ ærumnas. Sanguis famulorum tuorum nunc quoq; ut olim Abelis, te miſericordem Dominum inclamet. Arripe arma & ſcutum, exurge ad opem nobis ferendã: confirmatoq; viro, qui tibi placuerit, probatusq; fuerit improbis vicinis noſtris ſeptupla reddito, quæ in hæreditatem tuã commiſerunt, & provinciis atq; urbibus fortiter recuperatis, quas Barbari ſurripuerunt, Orientem & Occidentem Solem eorum limites ſtatuito, qui à te cognomentum acceperunt.

VII. In *Specie* de Græcis Eccleſiis ſciendum, I. Reges & Greges ſuperſtitionibus augendis & recipiendis nimium

mium quantum [*a*] erant addicti. II. Monachi, in quorum pietate [*b*] & diſciplinæ ſe veritate, ſalutis ſuæ præſidium multi collocabant: [*c*] ἰδιοκτημοσύνη καὶ πολυπραγμοσύνη infames redditi. *III.* In Imperatoribus multi multa deſiderabant; in aliis [*d*] ἀλλοτριοεπισκοπίαν notabant: in aliis [*e*] deſidiam: in aliis feras & verè ferreas [*f*] conſuetudines, crudelium conniventia introductas: aliis atheiſmum [*g*] exprobababant, & ſacrilegia. *IV.* Ex proceribus nonnulli turpi ad [*h*] Muhammedanos Apoſtaſia ſtigma ſibi maledictæ memoriæ inurebant. *V.* In militia & plebe reliqua [*i*] profanæ ubique mentis veſtigia erant manifeſta. *VI.* [*k*] Magia, Aſtrologia judiciaria, vana oracula, omnium propemodum ordinum pervaſerunt viſcera; eaque exitiali veneno infecerunt. *VII.* Odii inter Græcos & Latinos excitatæ flammæ adeò non ſopiebantur [*l*] ut latius potius fuerint graſſatæ. *VIII.* Habuit tamen [*m*] hoc ſeculum plures in omni literatura Græcia viros literatos,

quàm quis in tanta Orientis confuſione ſperare auſit.

[a] Vt ſunt 1. *Adoratio imaginum. Licet Choniat.* annal. p. 119. ἐπειδὴ καὶ συγχρῶνται τοῖς Ἀρμενίοις Ἀλαμανοὶ, καὶ κατὰ τῶν αἱρέσεων τὰς πλείστας ἀλλήλοις συμφέρονται. Ἀρμενίοις γὰρ καὶ Ἀλαμανοῖς ἐπίσης ἡ τῶν ἁγίων εἰκόνων προσκύνησις ἀπηγόρευται, καὶ τοῖς ἀζύμοις κατὰ τὰς ἱεροτελεστίας ἀμφότεροι κέχρηνται, καὶ ἄλλα ἄττα ὀρθοδόξοις χριστωνύμοις ἀποβλητέα, ἤτοι σφαλλόμενοι τοῦ ὀρθοῦ τηροῦσιν ὡς ἔννομα, id eſt, *Nam & commercia inter ſe agitant* (Armenii & Alemanni) *& in pleriſque religionis dogmatibus conſentiunt. Quippe apud Alemannos & Armenios ſacrarum imaginum adoratio æquè interdicta eſt; & alia quædam Orthodoxis Chriſtianis improbata, opinionis errore pro legitimis obſervant. Orthodoxorum* nomine Græcos, author intelligit, quibus ille προσκύνησιν εἰκόνων tacitè tribuit. Quam quidem ex conſuetudine illius temporis planius colligere licet apud eundem in vita *Iſaaci Angeli*, pag. 218. ἐπισκευάσαι δὲ βουληθεὶς καὶ τὸν ἐν τῷ Ἀνάπλῳ νεὼν τοῦ Ἀρχιστρατήγου τῶν ἄνω τάξεων Μιχαὴλ, εἴ τις ἐν πλαξὶ τοῖς βασιλείοις δόμοις ὑπέστρωτο, καὶ περιελημμένας εἶχε τοὺς τοίχους καλλίστη τε τῇ στιλπνότητι καὶ ῥανίσιν ἐστιγμένη ποικιλοχρόοις, ἐκεῖσε μετακεκόμικεν. Ἀλλὰ καὶ τὰ τοῦ Ἀρχαγγέλου Μιχαὴλ ὁπόσα διὰ χρωμάτων καὶ ψηφίδων τυπώματα ἡ πόλις ἔστεγε, ἢ κώμοις, καὶ χώραις ἀνέκειντο φυλακτήρια, χειρὸς

ἀρχαίας

ἀρχαίας ἔργα καὶ θαυμασίας, καὶ τὸ αὐτὸ συνήθροισε πέμενος; ἢ γὰρ τοῦ βασιλέως τοῦτο σπουδὴ ὅπως ἐκ τῆς νῦν λεγομένης μονεμβασίας ἀνακομίσειε τὸν ἐπὶ σταυρὸν ἑλκόμενον χριστὸν, ὡς ἔργον ἀξιάγαστον καὶ τὴν τέχνην, καὶ τὴν χάριν οὐδὲν ἀπελείπετο τῶν ἐκφανεστάτων παθῶν τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν· ὅλος γὰρ ἀνήρτητο ταῖς ἐλπίσιν, ἕως ἐκεῖθεν σὺν δόλῳ ἀφήρηκεν; οὐ γὰρ ἀκίνδυνος ἦν παντάπασιν ἡ προφανὴς ἐπιχείρησις; i. e. *Aedem D.* Michaelis, *cæleſtium copiarum Archiducis, in portu ſitam inſtauraturus, ſi qua in palatio marmorea tabula, ſplendore & guttarum varietate illuſtris & pavimentũ tegebat, vel parietes ornabat, eo transferendam curavit. Sed & Archangeli pictas & fictas imagines, vel in urbe, vel aliis locis præſidii cauſa dedicatas, vetuſtæ & admirandæ manus opera; in idem templum congregabat. Summum etiam ſtudium adhibuit, ut Monembaſia transferret Chriſtum, qui in cruce trahitur, opus admirabili arte & elegantia, quod cruciatus Domini & Servatoris noſtri evidentiſſimè repræſentat: nec conquievit prius, quàm eam imaginem dolo abſtuliſſet: nam apertè citra periculum id conari haud potuiſſet.* Idem ille Imperator, cùm inſidiis fratris circumventum ſe videret, non Dei tantum opem imploràſſe dicitur, ſed & Dei genitricis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

imaginem ex ſinu prolatam effliċtim orâſſe, ut imminens periculum effugere liceret. Vide *Choniat.* annal pag. 223. Et quamvis Romanis ſemper Græci fuerunt ἀλγηδὼν ἐν ὀφθαλμοῖς, quibus veræ Eccleſiæ titulū tot fulminibus, ſcriptis, & excōmunicationibus abjudicârunt; in miraculis tamen & ipſi tum Eccleſiæ ſuæ, tum imaginum cultui & adorationi, patrocinium quæſiverunt. De *Andronico* ſcribit *Nicet.* pag. 176. ἐκλείπων δὲ ἦν τὴν ψυχὴν εἰς τὰς τοῦ θεοκήρυκος Παύλου ἐπιστολάς; καὶ συνεχῶς ἐκ τούτων ἀποστάζοντος ἐνεφορεῖτο μέλιτος, καὶ ἄριστα ἐπιτέλλων, ἐκ τῶν αὐτῶν πειθανάγκης τὰ οἰκεῖα περιέβαλεν ἐπιστόλια· ἀμέλει τοι καὶ ἀρχαίας χειρὸς εἰκόνα τοῦ πνευματοφορήτου Ταρσέως κόσμῳ λαμπρύνας τῷ ἐκ χρυσοῦ, ἀνέθηκε τῷ ῥηθέντι ναῷ· ἡ δὲ τοῦ ἀνδρονίκου καταστροφῆς ἐγγιζούσης τῶν ὀφθαλμῶν ἀπεστάλαττε δάκρυον· τοῦτο δ᾽ ἀνήκοος ἀνδρόνικος, στέλλει τοὺς ἀκριβωσομένους τὰ τῆς ἀκοῆς· ἦν δὲ μεθ᾽ ἑτέρων εἰς τοῦτο ἐπιλεγεὶς καὶ ὁ ἅγιος χριστοφορίτης στέφανος, ὡς καὶ διὰ βαθμίδος ἀνελθὼν (ἦν γὰρ ἡ εἰκὼν μετέωρος) ἀπέψησεν ὑφάσματι ἀκηράτῳ τὰς τοῦ Παύλου κόρας. Αἱ δὲ κατὰ τὰς διασμωμένας κρήνας ἔτι πλεῖον τὸ δάκρυον ἐξεχέουν, ὃ θαυμάσας ὁ ἑωρακὼς, Ἀνδρονίκῳ ἀπιὼν διηγήσατο· ὁ δὲ μέγ᾽ ὀχθήσας, καὶ τὴν κάραν ἔνθεν ταλαντεύσας, ἐπέμυξε καὶ εἴρηκεν ἐπ᾽ αὐτῷ ἄρα δακρύειν ἐοκέναι τὸν Παῦλον, καὶ κακὸν αὐτῷ χείριστον προσημαίνει τὸ ἀγγελλόμενον· φιλεῖν γὰρ ἐνθύμως τὸν Παῦλον, καὶ τῶν αὐτοῦ ῥημάτων ἐξέχεσθαι, καὶ ἀντιφιλεῖσθαι δήπουθεν εἰκὸς ὑπὸ τοῦ Παύλου;

Παύλου; Id eſt, *Andronicus Pauli, divini illius præconis Epiſtolas ſupra modum amavit, & melle inde promanante ſubinde eſt refectus, et literas ſuas elegantiſſimas, inde ad perſuadendum efficacius inſtruxit. Imago verò ſpiritualis illius oratoris, antiquæ manus opus, quàm auro exornatam in illa æde repoſuit, imminente Andronico exitio, lachrymavit, Quo audito, explorari is jubet an verũ ſit? Ad id miniſteriũ præter cæteros Hagiochriſtophorita Stephanus delectus, per gradus aſcendit (nam in ſublimi pendebat imago) Paulique pupillas puriſſimo linteolo abſterſit: quo facto, lachrymæ magis etiam tanquam ex fonte exuberarunt. Quod ubi cum admiratione retulit, Andronicus gravi dolore perculſus, & diu agitato capite, cum gemitu dixit: Paulum videri ſua cauſa lachrymâſſe, ac graviſſimam ſibi cladem impendere. Se enim ex animo amare Paulum, & ejus dicta maximi facere, & à Paulo utique redamari.*

2. **Cultus Sanctorum.** Nicet. Choniat. annal. pag. 8. in Joh. Comneno, commemorat, *quod* in prælio Scythico, *imaginem* τῆς θεομήτορος *cum gemitu & miſerabilibus geſtibus intuens, lachrymas bellicis ſudoribus calidiores fuderit.*

rit. Neque id fruſtra. Unde etiam victoria potitus, triumphum indixit. Quadrigæ à quatuor equis, nive candidioribus, tractæ, non inſedit ipſe, ἀλλὰ τὴν τῆς θεομήτορος εἰκόνα τούτῳ ἐπανεβίβασεν, ἐφ' ᾗ καὶ ἦν γεγηθώς, καὶ τὴν ψυχὴν ἐκλείπων αὐτὴν, καὶ τὰς νίκας ὡς συστρατηγέτιδι ἀμάχῳ ἐπιγραφόμενος: id eſt, *Sed Dei Genitricis imaginem in ea collocavit, ob quam lætitia exultabat, & animo pene linquebatur, cui etiã victorias, tanquam belli ſocia invicta, ferebat acceptas*; Id. p.10. 3. *Spes collocata in imaginibus*, *Nic.* p.149. 4 *Adoratio reliquiarum*. Nicet. Choniat. in vita Manuel. pag.112. παράκειται δὲ οἱ ἐπὶ κρηπῖδος, καὶ προσκυνήσιν δέχεται, λίθος ἐρυθρὸς ἀνδρομήκης, ὃν εἶχε πρότερον μὲν ὁ κατ' ἔφεσον τὴν πόλιν ναός, ἐκεῖνον εἶναι διαθρυλλούμενον, ἐφ' οὗ Χριστὸς μετὰ τὴν ἀπὸ σταυροῦ καθαίρεσιν νεκροταφίοις εἰληθεὶς ἐσμυρνίσθη; id eſt. *Non procul inde baſi impoſitus adoratur lapis purpureus, viri magnitudine, qui ante fuit Epheſi; & vulgo is eſſe dicitur, in quo Chriſtus de cruce ſublatus, &, faſciis involutus, conditus fuerit.* 5. *Carnis privium feriâ quartâ & ſeptimâ*, *Nicet.* p.73. Sunt & alia plura, quorum ſyllabus haberi poteſt ex Nomocan Photii & *Balſamonis* explicationibus, quæ hoc ſeculo prodierunt.

[*b*] Unde ſalutem ſuam, & felices belli expeditiones precibus Monachorum ſtrictioris πο-

λιτείας

λιτείας legibus vinctorum commendabant. *Iſaacius* Imperator Monachorum votis tantùm contra hoſtes pugnare voluit, teſte *Nicet. Choniat.* annal. pag. 189. ἀμέλει δὲ βασιλεὺς τοὺς γυμνόποδας καὶ χαμεύνας τῶν μοναχῶν ἠθροικὼς, καὶ ὅσοι κίοσι τῆς γῆς ὑπερηέρθησαν, εἰς τὰ ἀρχεῖα συνηθροικὼς, ἐδεῖτο δι' αὐτῶν τοῦ θεοῦ, διασκευασθῆναι τὸν ἐφεστῶτα ἐμφύλιον πόλεμον, καὶ μὴ μεταβλῆναι, ἢ ἀποπτῆναι τὸ κράτος περιστερὸν, τῶν δὲ κατὰ πόλεμον ἠτημέλει παντάπασι, τὰς ἐλπίδας πάσας ἐπανάπλων τῇ πανταλχίᾳ τοῦ πνεύματος, *quippe qui iis Monachis qui nudis pedibus incedebant, humi cubabant, columnis ultra humum efferebantur* (columellas intelligit, ſeu ſtylitas) *in palatium congregatis, Deo per eos ſuplicaret, ut civile bellum propulſaret, nec alii traderet Imperium; rem vero bellicam penitus negligeret, omni ſpe ſua in armis ſpiritus collocata.* Addit verò *Conradum* Cæſarem, Montisferrati Marchionem, monuiſſe, μὴ πάντα τοῖς ἀβίοις τούτοις θαῤῥεῖν, ἀλλ' ἐν τῷ μέρει καὶ στρατῶν ἐπιμέλεσθαι, καὶ φάλαγξιν ὁπλομάχοις κατὰ τοῦ ἀντιστάτου κεχρῆσθαι, ὅπως εἴη μὴ μόνον διὰ τῶν ἁγίων ἀνδρῶν. ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν δεξιτερῶν τῶν κραταιουμένων ξίφει καὶ θώρακι τὸν ἀντικαθήμενον πολέμιον μετιὼν, id eſt, *Ne in mendicis iſtis omnem fiduciam collocaret, ſed copiarum etiam rationem haberet, & armatis phalangibus ſeditioſo* (Branæ) *occurreret; nec dextris tan-*

tum armis, hoc eſt ſanctorum virorum interceßionibus, ſed ſiniſtris etiam, quæ enſe & thorace conſtarent, hoſtes ulciſceretur.

[c] Unde *Manuelis*, Imperatoris κατάρτισις his verbis à *Nicet. Choniat.* p. 104. deſcripta: ἱδρύσατο δὲ φροντιστήριον ἱερὸν περὶ τὸ τοῦ Πόντου στόμα, εἰς τόπον τινὰ Κατασκέπην λεγόμενον, εἰς ὄνομα τοῦ Ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ καθ' τῶν τότε μοναστῶν ἠθροικὼς τοὺς ὀνομαστοτάτους τε καὶ ἀκρέμονας, πάντη μοναδικὸν καὶ ἀπράγμονα μετιέναι βίον προεμηθεύσατο. εἰδὼς γὰρ τοὺς κτηματικοὺς εἶναι καὶ τυρβάζεσθαι πάλιν περὶ πολλὰ, τοὺς τὸν ἐρημικὸν βίον ἀνελομένους, τῆς ἡσυχίας σφᾶς μεθιστῶν καὶ τοῦ κατὰ θεὸν ζῆν ἀπάγον, τοῦτο δὴ τὸ οἰκεῖον αὐτοῖς ἐπάγγελμα, οὐδὲν κτησίδιον αὐτοῖς ἀπετάμετο, οὔτε μὴν ἀγροὺς, καὶ ἀμπελῶνας τῷ φροντιστηρίῳ ἀπέταξε· πᾶσαν τοῖς μονασταῖς δίαιταν ἐκ τῶν βασιλικῶν χρυσώνων ἐπιμετρήσας, ἐκεῖθεν αὐτὴν ἐβράβευεν. Ἀνακόπτων οἶμαι ἐντεῦθεν τὸν πολὺν ἔρωτα τῶν πλείστων περὶ τοῦ μονὰς συνιστᾶν καὶ παραδείγματα διδοὺς τοῖς μετόπισθεν, ὅπως χρεὼν νεὼς ἀνιστᾶν καὶ οἵαν δέον ἑτοιμάζειν τράπεζαν τοῖς ἐρημικοῖς καὶ ἀβίοις, καὶ τῆς ὕλης ἐκλύουσι· τοσοῦτον δ' ἀπεῖχε τοῦ τὴν νῦν κατάστασιν ἐπαινεῖν· οἱ μονάζειν μὲν ἐπαγγέλλονται, πολυκτήμονες δὲ καὶ πολυφρόντιδές εἰσιν ὑπὲρ τοὺς τῇ ἐνταῦθα φιληδοῦντας ζωῇ, ὥστε καὶ τὴν νεαρὰν νομοθεσίαν ἣν ὁ βασιλεύσας πρὸ τοῦ Ἰωάννη Νικηφόρος ὁ Φωκᾶς, ὁ τὴν ἰσχὺν ἡρωικὸς, καὶ πολὺς τὴν σύνεσιν, ἔθετο, παύουσαν τὰς μονὰς ἐμπλατύνεσθαι κτήσεσι τεθνηκυῖαν πάλαι τῷ χρόνῳ τὸ κῦρος ἀπο-

ἀποθεμένην, τῷ ἐρυθρῷ τῆς βασιλείου βαφῆς ὡς αἵ-
ματι ἀναθάλψας ἐζώωσεν. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τῷ πατρὶ
καὶ τῷ πάππῳ, καὶ τοῖς καθ' αἷμα προσήκουσι λοιποῖς
ἅπασιν, ὁπόσοι μονὰς δειμάμενοι, ὅλα πλέθρα γῆς
καρποφόρα, καὶ λειμῶνας χλοεροὺς αὐταῖς προσεκλή-
ρωσαν, ἐπεγκαλῶν οὐκ ἐπαύετο, οὐ κατὰ τοῦτο μεμψι-
μοιρῶν, ἢ μυκτῆρα καταχέων πλατὺν τῶν ἀνδρώ-
πων, ὅτι τῆς οὐσίας θεῷ τι ἀπένειμαν, ἀλλ' ὅτι μὴ καλῶς
τὸ καλὸν εἰργάσαντο. δέον γὰρ ἐν τόποις δυσεμβουνή-
τοις,, καὶ χωρίοις πανερήμοις, καὶ σπηλαίων ὀπαῖς,
καὶ ὀρῶν περιωπαῖς, τοῖς μονάζουσιν ἀποτάξαι τὸ
σκήνωμα, καὶ παριδεῖν ταυτηνὶ τὴν ἐφ' ἑλλησπόντῳ κει-
μένην καλλίπολιν, ὡς τὸν λωτὸν ὀδυσσεύς, καὶ σειρήνια
μέλη τὰ διαπεπόασασι. οἱ δὲ τὸν ἐξ ἀνθρώπων θηρώ-
μενοι ἔπαινον, καὶ τοὺς κεκονιαμένους ἑαυτῶν τάφους καὶ
ψηφῖσι πολυχρώμοις διηνθισμένους εἰς θέαν,
τοῖς εἰσιοῦσι τοὺς νεὼς προτιθέντες,, καὶ νεκροὶ διζόντες
ἐστεφανωμένοι δείκνυσθαι καὶ στιλπνοὶ καὶ φαιδροὶ τὰ
πρόσωπα, ἐπ' ἀγορᾶς τε καὶ τριόδων τὰ θεῖα ᾠκοδό-
μησαν φροντιστήρια, ἐν λακκώσαντες ἐν τούτοις, καὶ ἐν-
σηκώσαντες, οὐκ ἐπιλέγδην τὸ ἀρεταῖνον, τὸ δὲ μέ-
χρι τριχῶν ἀποβολῆς, καὶ τῆς τῶν ἐσθημάτων μεταβο-
λῆς. καὶ τοῦ ἀφειμένου πώγωνος χαρακτηρίζον τὸν μο-
ναστήν. διὰ ταῦτα τοίνυν εἴτε τὴν μοναδικὴν ὑπερεί-
δων σεμνότητα ἤδη ἀφανιζομένην, καὶ πρὶν ἢ ἐπὶ στόμα
πέπλουσαν, εἴτε μὴν δεδιώς, μὴ ἐστὶ δὲ μέσος ληφθείς, ὡς
χαίρων διεβέβλητο, ἑτέραν ἐτράπετο οὓς οἱ ἐξ αἵματος
ἐκείνῳ ἐβάδισαν. i. e. *Extruxit autem Monaſte-*
rium (Gymnaſium S.) *in Ponti faucibus, loco,*
qui

qui Cataſcepe dicitur, nomine Michaelis Archiducis: in quo celeberrimos tum & præſtantiſſimos Monachos collocavit, eo fine ut vitam planè ſolitariam, & curis vacuam degerent. Cum enim videret, Monachos *& poſſeſſionibus, & aliis multis turbari rebus, adeoq; eos tranquillitate animi, & cultu Dei excidere; nullas eis vineas, nullos agros, nullas poſſeſſiones, quas nec eorum profeſſio admittit, aſsignavit, ſed ex fiſco regio tantũ pendi juſſit, quantum ad victum opus eſſet. Præciſurus, ut opinor, immodicam cupiditatem ſtruendi monaſteria plerorumq;, & exemplum poſteris proditurus, quo pacto templa condenda, & quæ vivendi ratio eremitis, pauperibus, & à terrenis rebus ſe abſtrahentibus proponenda ſit. Tantum autem abfuit, ut modernum eorum ſtatum laudaret, qui* Monaſticam *quidem vitam præ ſe ferebant, opibus interim affluebant, curarumq; multitudine magis diſtrahebantur, quàm ii qui hujus vitæ deliciis occupantur: ut ſanctionem recentem* Nicephori *Phocæ, fortiſſimi & cordatiſſimi Imperatoris, olim abolitam, de non augendis Monaſteriorum latifundiis, rubedine tincturæ regiæ, quaſi ſangui ne fovens, vitæ reſtituerit. Neq; hoc tantum; ſed*

ſed & patrem, avum, cæterosque cognatos omnes, qui Monaſteriis ampliſsima prædia, prata viridia donârunt, accuſare non deſtitit: Non propterea quidem, quòd de opibus ſuis Deo aliquid conſecrâſſent; ſed quòd rem bonam malè adminiſtrâſſent. Conveniebat enim Monachis, habitationes in abditis & deſertis locis, in antris & montium cacuminibus aſsignare, & pulchram illam ad Helleſpontum urbem (Conſtantinopolin intelligit) *ſitam præterire ſeu contemnere, non ſecus atque lotum* (herba eſt, quam, inter ſubnaſcentes Deorum voluptati, primam vocavit Homerus) *vitavit Vlyſſes, & Sirenum cantum, à quo difficulter quis avellatur. Illi verò, gloriam venantes hominum, incruſtata ſua ſepulchra & vario marmore exornata, iis qui templa ingrediuntur, ſpectanda propoſuiſſe, & mortuos quoque coronari ſe & hilari ſplendidoq; vultu conſpici voluiſſe, & in foro ac triviis* Monaſteria *ædificâſſe; & ibi, nullo habitu delectu virtutis, velut in cavea concluſiſſe eos, qui Monachos non ultra tonſum capillum, & mutatum habitum, promiſſamq; barbam exprimerent. His igitur de cauſis, ſive ut Monaſticam ſanctimoniam nutantem, ac potius humi ferè proſtratam fulciret,*

ciret, ſive metuens, ne ea ipſa facere diceretur, quæ reprehenderet: rationem à ſuis diverſam eſt ſecutus, &c. Confer ſuffragium Imperatoris Iſaaci l. c. pag. 201. Vides quas Græci quoque de Monachis ſuis Seculo XII. moverint querelas! Adde quòd, more jam nimis recepto, in Monaſteria tanquam carceres detruſi & compacti ſint, quotquot vel læſæ majeſtatis vel alterius criminis erant rei. Nec illi tantùm, ſed quicunque alij, à victoribus ſuperati, ad hoc vitæ genus damnabantur. Sic *Manuel*, cùm ab *Alexio* Protoſtratore nulla re eſſet offenſus, nec ejus fidem & benevolentiam deſiderare poſſet, ac tenuem promeritis ejus gratiam retuliſſet, ſola ſuſpicione adductus, & improborum hominum calumniis impulſus, quia eum & ducibus, & militibus eſſe charum videbat, & liberalitate erga omnes uti, Sardicæ agens, hominem ante lucem cum uxore ſua cubantem comprehendit, & omnibus opibus multatum, in monaſterium quoddam Papycii montis conjicit. Ita *Andronico Lapardæ*, qui præclari ſæpe Ducis fuit officio functus, cùm poſt *Alexii*, obitū, *Andronico* ſervire turpe duceret, ac certam mortem & naturam tyranni, ad cædem promtiſſimi, vitaret, in ejus manus incidit. Cum enim Adramyttium perveniſſet, a quodam *Cephala*, viro in illis locis potenti & primario, ut fidem ſuam erga tyrannum declararet, comprehenſus; *Andro-*

Andronicus parata hoſtia ad cædem offertur, atq; effoſſis oculis in Pantepoptæ Monaſterium conjicitur, iniquitatem fortunæ ſuæ deplorans; vide *Nicet. in An. Comn.* p. 139. *Alexius Comnenus* conjurationis contra *Iſaacium Angelum* in ſimulatus, eodem carceris genere multatur, & in Miniſterium quoddam Papycii montis detruditur; *Nicet.* p. 210. Confer. p. 200. l. cit.

[*d*] 1. Enim *omne vocationis ius* ita ſibi tribuebant, ut Patriarchas prolubitu vel ponerent vel deponerent. Exemplum idem ſuppeditat *Nicet. Choniat.* in Imper. *Iſaac. Angel.* p. 199. & deinceps: Enim verò; *inquit*; rex etiam poſt Philippolin occupatam, ad *Protoſtratorem* ſcribere, eique ſignificare non deſtitit, Romanos fruſtra ſibi iter intercludere & properantem; contra officium, impedire. Neque enim ſe vel prius, vel nunc quicquam in animo habuiſſe, quod Romanis incommodum vel moleſtiam afferret, & pacta ac conventa adhuc inviolata conſervare. Qui cùm eas literas Imperatori monſtrâſſet, & juſſa ejus expectaret, nunquam pacatum ab eo reſponſum accepit, ſubinde ad prælium committendum extimulante, & ignaviam ei exprobante, quòd *Alemanorum* temere & ſparſim pabulatum exeuntium cædem & internecionem nondum ſignificâſſet. Hæc impulſu cujusdam ſcribebat, qui ex Engaſtrimythi potiùs afflatu, quàm prophetico Spiritu affirmabat, regi nunquam in mentem veniſſe *Palæſtinæ* oc

næ occupationem: ſed eum nihil aliud cogitare, niſi urbis Imperatricis dominatum: & per Xylocerci portam haud dubiè ingreſſum, ea facturum principio, quæ abominanda ſint: Deinde juſto Dei judicio non pauciora perpeſſurum. Hujuſmodi opinionibus occupatus Imperator ipſam portam lateribus & cemento obſtruxit: & acutas ſagittas, quas ſæpè manibus geſtabat, ſe in cordibus *Alemanorum* defixurum eſſe dicebat: monſtrataque feneſtra *Blachernii* palatii in eo loco, qui ab altitudine cognomentum habet, unde patentes campi extra propugnacula in *Philopatiis* cernuntur, per eam ſe illas in *Alemannos* excuſſurum, eoſque proſtraturum minabatur, adeò ut ea verba ridicula audientibus viderentur. Is vates erat *Doſitheus* quidam, Studienſis Monachus, Venetiis oriundus, ex patre *Vitilclino*, ut ferebatur, natus, qui Iſaacio cui familiaris erat, privato adhuc Imperium prædixerat. Qua prædictione eventu comprobata, ſummo honore & authoritate apud hunc Imperatorem florens, Hieroſolymorum Patriarcha, poſt *Leontii* viri eruditi & virtute celebris obitum deſignatus eſt. Sed ut Imperatorum impetus & potentiam non quieſcere ſolet, niſi divina humanaque pro ſuo lubitu mutârint: principatum adeptus *Iſaacius*, *Baſilio Camatero*, quanquam ejus ope maximè adjutus, Patriarchatu dejecto (cauſa prætexebatur, quod, quas nobiles matronas *Andronicus* in monaſteria invitas abſtruſiſſet,

lis

iis ipſe nigro veſtitu depoſito, reditum ad priſtinum habitum & vitæ rationem conceſſiſſet) *Nicetam Mundanum* pro eo Patriarcham, deſignavit, Eccleſiæ maximæ Sacellarium. Sed ne hunc quidem, hominem natu maximum, in ſacra ſede deſpirare paſſus eſt, invitum expulit, ſenium & delirium, & levitatem cauſatus. Cùm autem diligentius de gubernatione Eccleſiæ cogitaret, *Leontium*, Monachum quendam, magnum paſtorem deſignat: in populi frequentia pro tribunali jurejurando teſtatus, eum virum prius ignotum ſibi à Dei Genitrice noctu eſſe demonſtratum, non forma & virtute ejus duntaxat deſcripta, ſed loco etiam oſtenſo, in quo habitaret. Verùm, eo quoque θεοκτίστῳ, priuſquam annus elaberetur, repudiato, nihil verecùndatus, quòd coram tam multis, eum ut divinum hominem laudibus extuliſſet, mutationem inſtituit, Hieroſolymitanum *Doſitheum* ad Oecumenicum Patriarchatum evecturus. Quòd cùm Canones non permittere ſciret, *Theodorum Balſamum*, magnæ Antiochiæ Epiſcopum, Virũ ea ætate juris conſultiſſimum, aſtu circumvenit, & in privato colloquio indignationem ſimulavit, quòd Eccleſia piis & doctis viris ita deſtituatur, ut Monaſtica virtus ita obſoleverit atque evanuerit, ut nemo ſit qui univerſalem ſedem, non ſecus ac Solis irrequietus circuitus orbem terrarum illuſtret, cætumque fidelium quàm optimè gubernet. Hæc & id genus alia non ſine

dolore præfatus, ſubiunxit, olim fuiſſe ſibi animo, illum ex Antiochena ſede in Oecumenicam, ut illuſtrem legalis puritatis lucernã transferre, ſed ab ea mutatione veterum Canonum & Eccleſiaſticarum ſanctionum interdicto deterreri. Si verò ipſe, ut legum & Canonum peritiſſimus, tranſlationem, ut olim, ita nunc quoque habere locum, demonſtrare, ac vulgo perſuadere poſſit, ne omnino id in lucro deputaturũ, eumq; (modò liceat) incunctanter deſignaturũ. Hoc modo tractatus *Theodorus*, omnia rata fore affirmavit. Poſtridie Concilio Pontificũ in æde ſacra indicto, & quæſtione illa agitata, translatio ſtatim conceſſa, & literis Imp. confirmata eſt. Ac Antiochenus ut ante fuerat, ita manſit Antiochen⁹. *Doſitheus*, verò à ſede Hieroſolymitana Conſtantinopolim eſt translatus, cum tam frequenti & ſpendido comitatu ut haud dubiè regium triumphum æquaret. At primarii ſacerdotes, cæterique facundiâ inſignes, qui ſe Canonibus temerè violatis deceptos videbant, obſtupefacti, cùm riſum diutius perferre non poſſent, extraordinaria conciliabula, & plebis conventicula inſtituunt; alienæ Eccleſiæ occupator audit *Doſitheus*, ſecundo honore abrogato, è ſede educitur. Imperator verò ignominiam illam non ferens, omnibus modis adverſatur. ac nihil non facit, ut approbata illa tran slatio valeat. Nec multò poſt, abrogatione ſublata, *Doſitheumq;* denuo confirmatum, per bipenniferos ſatellites, & palatinos proceres in ſacram ædem deducit, populi motum veritus. Erat enim *Doſitheus* ob ambitionem, & Imperatoris intempeſtivam pertinaciam & parum laudatum ſui ſtudium, omnibus inviſus. Cæterum, rurſus ſede ejicitur, eodemque modo quo ca

nis

nis Æſopicus & Pontificatum, quem tenuerat, amittit, (nam alius Hieroſolymis electus erat) & majori ſede excidit, magno vaſorum cuſtode *Xiphilino Georgio* Patriarcha deſignato. Sic & Manuel Comnenus Coſmam virum doctum throno deturbat, & ut ne injuriâ affeciſſe videretur, heterodoxæ ei ſententiæ crimen affingit, & impingit. *Nicet.* p. 41. Et p. 122. *Theodoſius* Patriarcha à Proto ſelaſto pellitur: Sed mox ad priſtinam redit dignitatem, quam ſponte ceſſit, p. 131. cùm apud *Andronicum*, qui tyrannicè Imperium invaſerat, nihil proficeret. Cumque de ſucceſſore deliberaretur, Camatero *Baſilio* Oecumenicum Pontificatum defert: aut potius illius Syngrapha impulſus vendit, qua is promiſerat, ſe quicquid cordi eſſet Andronico quantumvis illicitum, facturum, & ea declinaturum, quæ illi diſpicerent. Id p. 131. Unde immaturas & inceſtas nuptias conſecutus, à Patriarcha & Concilio petit, ut jurejurando, quod Manueli Imperatori & felici ejus filio dederat, ſolveretur, ac cæteri unâ, quos ſacramenti ceperat oblivio. Illi verò quaſi abſque ullo diſcrimine, & vinciendi & ſolvendi quemlibet, poteſtatem divinitus accepiſſent, ſtatim literis publicè affixis impunitatem ſcelerum perfidis conceſſerunt. *Nicet.* 138. Qui vel leviter ei ſuſpecti fuerant, aut dignitatem ejus non tutabantur, graviſſimè ab eo multabantur *Lopadi* Epiſcopū oculis privavit, quòd ſeditioſorum ſui gregis motum contra *Andronicū*

non caſtigâſſet, ſed æquo & leni animo tuliſſet ac ſpectâſſet; *Ib.* p. 145.

2. *Curioſè nimis & arroganter diſputationibus abſtruſiſſimis ſe implicuerunt.* *Nicet. Choniat.* in Manuel. p. 106. Nunc illud etiam addendum eſt, plerique Romanorum Imperatores, imperare, aurum geſtare, communibus ut privatis uti, eaq; ſuo arbitratu quib⁹ volunt donare, non contenti, niſi ſapientes forma Diis, robore heroibus ſimiles, &, ut Solomon, divinitus edocti, & doctores divinitatis, & normæ rectiſſimæ, denique divinarum humanarumque rerum Interpretes veriſſimi habeantur, injuriam ſibi fieri cenſent: Unde fit, ut cùm immodeſtiores & audaciores, qui nova dogmata in Eccleſiam introducunt, coërcere, aut id munus iis, qui Theologiæ ſcientiam profitentur, mandare deberent; nec in hac parte ullo inferiores eſſe volentes, iidem dogmatum & authores & arbitri ac diſceptatores exiſtunt, ſæpe etiam diſſentientes mulctent. Hic quidem Imperator (Manuel) naturâ facundus & ſuavis ſermonis affluentia ornatus: non elegantes tantum Epiſtolas ſcribebat, ſed & religionis inſtitutiones parturiebat, ac publicè declamabat. Tandem etiam de divinis dogmatibus & ipſo Deo diſſerebat: ſæpe etiam dubitationem præ ſe ferens, quæſtiones è Scripturis proponebat, earumque ſolutiones, eruditis omnibus convocatis, requirebat, quanquam in his etiam laudari potuiſſet, niſi curioſitate ingenii, eas etiam quæſtiones agitâſſet, quæ

attingi ſe nullo modo patiuntur, aut ſaltem omiſſa pertinacia, Scripturarum ſententiam in multis ad ſuam opinionem novis Interpretationibus non accommodâſſet, veris declarationibus veterum repudiatis: quaſi ipſe totum Chriſtum comprehendiſſet, & ab ipſo de natura ejus dilucidius ac divinius edoctus eſſet. Orta igitur quæſtione de illo dicto ὅ φησι, τὸν σεσαρκωμένον Θεὸν προσφέρειν τε ὁμοῦ καὶ προσφέρεσθαι, *Deum incarnatum offerre ſimul & offerri*, & eruditis inter ſe diſſentientibus, diſceptatio longo tempore eſt extracta, multis & confirmationibus & confutationibus utrinque allatis. Verùm Imperatore piæ & veræ ſententiæ poſt ſolemnem controverſiæ explicationem aſſentiente, adverſarii loco moti ſunt, ut perperam ſentientes, *Hypopſephius* Theopolitanus, *Soterichus* Panteugenus Antiochenus, *Dyrrachinus* Euſtathius, *Michael* Theſſalonicenſis Concionator, *Nicephorus* Baſilaces, qui Paulinas Epiſtolas interpretabatur, & lumine eloquentiæ, Apoſtolicorum ſcriptorum obſcuritatem altiſſimo Spiritu refertam illuſtrabat. Ferunt, cùm hæc Controverſia (*quam clarioribus proponi optem verbis: puto tamen Controverſiam de Transſubſtantiatione in Occidente motam, ad ipſos etiam transfretâſſe Orientales*) agitaretur, & publice diſceptanda proponeretur, alieno anni tempore ingens erupuiſſe tonitru, & auribus eorum

 rum

rum omnium qui tum Pelagoniæ cum Imperatore erant, ita inſonuiſſe, ut nonnulli humi prolaberentur, & Eliam quendam, hominem eruditum & celebrem, aperto libro, qui de tonitribus & terræ motibus diſſereret, & iis lectis, quæ ad tempus illud pertinerent, ſcriptum inveniſſe, *Caſus ſapientum*. Itaque non ii modò, quos diximus, doctorum eruditiſſimi, Eccleſiis pulſi, & omnibus ſacris miniſteriis interdicti ſunt, ſed alii quoque una cum illis. Aliquot annis poſt, quæſtione de θεανθρώπου dicto Pater Maior est me, propoſita, parum curatis Patrum explicationibus, iisque variis, & ad controverſiæ explicationem & declarationem ſufficientibus, ſuas interpretationes attulit, eaſque pertinaciter defendit, & ad ſuam voluntatem & ſententiam, univerſalium doctorum ſententias, non modò veritati non adverſantes, ſed divinitus editas accommodavit. Nam cùm alii dicant, Patrem, ut Filii authorem, dici majorem; alii de natura humana id intelligant, & id dictum non Verbo, ſed aſſumptæ carni tribuant, ut & illa de profectione ad patrem, de adventu Principis Mundi, qui nihil in ipſo inveniat: alii etſi de Verbo vocem Maior accipiant, non abſolutè tamen & eſſentialiter, ſed ob inhumanationis ſummam extenuationem & humilitatem, atque alii aliter, piè tamen explicent: iis neſcio quomodo, ut propoſitæ quæſtioni non ſatisfacientibus, improbatis,

Digitized by Google

batis, aliam attulit Interpretationem: indictoque Concilio, & omnibus ſacrarum literarum ſtudioſis convocatis, ſingulos hortatus eſt, ut ei decreto hoc modo ſubſcriberent: Equidem etiam S. Patrum voces de illo dicto (PATER MAIOR EST ME) amplector; ajo tamen, id dictum pertinere ad carnem in eo κτιϛὴν καὶ παθητὴν conditam & patibilem. Quod neſcio quomodo, Filio incarnato minus tribuit, quàm Patri: perinde ac ſi ob naturæ humanæ aſſumtionem & peregrinationem in terram pari dignitate excidiſſet, ac ſuam authoritatem amiſiſſet, & intra limites extenuationis conſtitiſſet: ac non Deificâſſet (θεώσας) & extuliſſet humilia, & ſua gloria per illam unionē illam ornâſſet potiùs, quàm ea re ipſe depreſſus eſſet, quod abſurdum eſt. Atque etiam rubrâ ſcripturâ, tanquam enſe flammeo decretum hoc munivit, quo mortem minitabatur, & excommunicationem ei, qui, non dico prima inpulſione animi reprehendere, & ſubmurmurare, ſed tantùm introſpicere auſus eſſet. Deinde idem decretum de quorundam aſſenſorum, vel aſſentatorum potiùs conſilio lapideis tabulis inſculptum, in maximo templo dedicavit. Verebantur enim, ne ſanctio illa, ut quæ prætextu carnis, ipſi verbo derogaret, abrogaretur, præſertim cùm extenuationem & humanitatis rationem prætериiſſent. Alio tamen animo fuiſſe Andronicum, teſtatur idem *Nicet.* p. 165.

Tantum porro abfuit, ut conſuetudinem & tunc & nunc receptam de divinis dogmatibus diſputandi probaret, aut de DEO novi aliquid vel dicere, vel audire vellet, ut novarum Patrarum Epiſcopum Euthymium virum eruditiſſimum, & Cinamum Iohannem, ad Lopadium, de illo Chriſti dicto, PATER MAIOR EST ME, *& ſuo Tabernaculo diſſerentes objurgârit, & in Rhyndacum amnem abjecturum minatus ſit, ni deſiſterent.* Sed ad Manuëlem redimus; de quo ſic *Nic.*l.c. pergit: Ejuſdem generis illud etiam eſt, quod *Emanuël* ſub finem vitæ fecit. Extat inter cæteras Catecheticæ tabulæ ſanctiones, anathema in Machometi Deum, quem nec genuiſſe, nec genitum, ſed holoſphyron eſſe affirmat. Id anathema ex omnibus Catecheticis libellis aboleri voluit, ab ipſa magnæ Eccleſiæ tabula auſpicatus, idque ratione probabili, ſcilicet: Ajebat, blaſphemiis in Deum qualibuscunq; offendi Agarenos, qui ad piam noſtram religionem accederent. Proinde maximo *Theodoſio* accerſito, qui principem ſedē curabat atque ornabat, & primariis ſacerdotibus, qui nunc in urbe erant, eloquentia & virtute præſtantes, quæſtionem cum tumido exordio proponit. Qui cùm omnes refragarentur, nec ullo modo illa admitterent, ut abſurda & à vera de Deo ſententia abducentia, atque anathe-

nathema illud offenſionis plenum piè explicarent. Nec enim Deum; cœli & terræ conditorẽ ullo modo anathemate notari, ſed holoſphyrum illum Deum, quem delirus & furioſus Machometus nec genitum nec gignentem confingeret. Nam apud Chriſtianos Deum patrem celebrari, quod deteſtandis Machometi nugamentis planè prohibeatur. Deinde, ſe non ſatis intelligere, quid ſit illud ὁλόσφυρον εἷς, animo nihil mitigato, contemptis, ſuapte authoritate, & aulicorum eruditorum, quos tempori ſervire noverat, miniſterio, decretum proponit, quo & Machometi delirium, (cur enim Theologiam dicã?) defendebatur; & ſuperiores Imperatores, ſacrorúmque Antiſtites apertè taxabantur, qui DEUM verum ineruditè, & inconſideratè anathemate notari paſſi eſſent: & id decretum in ſacro palatio publicè recitandum curat; Principibus Senatus & cognatis ſuis literarum ſtudioſis, qui veluti viam præpararent atque applauderent, præmiſſis. Erat autem oratio adeò probabilis, non ſpiritualium verborum gravitate, ſed humanæ ſapientiæ ſuavitate, ut aures non eorum duntaxat, qui variam ejus compoſitionem, & jucundam vanitatem ſpectabant, ſed eorum etiam qui ipſius ſcripti ſententiam indagabant, propemodum ſuſpenſas teneret. Ac forſitan veri DEI gloria Machometano illi DEO quiſquis eſt, tributa eſſet, niſi Patriarcha ſtrenuè adverſatus, nec ipſe id ſcriptum curâſſet, quo nova

& periculoſa dogmata introducerentur, & ceteros, ut id tanquam venenum ſuſpectum haberent, monuiſſet. At Imperator, quaſi gravi affectus injuria, Pontifices convitiis inſectabatur, & homines omnium mortalium ſtultiſſimos appellabat: quippe ex morbo graviſſimo, qui exitium ei attulit, pronior ad iram factus. Proinde iis quæ priore decreto fuſius oratoriis ornamentis adhibitis ſcripſerat, in compendium redactis, & dogmatis illecebris adornatis, aliud decretum promulgavit. Cùm autem tunc in Palatio ad Damalim, quod Scutarium dicitur, tum ad vitandam turbam, tum ob aëris temperiem verſaretur, totus curandę valetudini intentus juſſu ejus Pontificum Collegium, & eruditiſſimi quiq; eò trajiciunt. Qui cùm vix ex lintribus deſcendiſſent, Theodorus Mazuca, homo apud Imperatorem gratioſus & inter ſcribas authoritate Princeps adeſt, & oratione ad Patriarcham & Pontificum Collegium inſtituta, Imperatorem, nunc adiri poſſe negat, ob morbi quandam acceſſionem: literas verò, quas manu teneret, eſſe audiendas. Agebant autem alteræ de propoſito dogmate, quibus à Pontificibus ſubſcribi cupiebat Imperator: alteræ ſub perſona ejuſdem çum ſummo paſtore *Theodoſio* & Pontificibus, ob præpoſteram advocationem expoſtulantes, majus Concilium minabantur: & controverſiæ diſceptationem ipſo veteris Romæ Papa adhibito (cujus hac de re facilè

facile haberi potuiſſet, perſcriptum ad Regulum illum Sitifenſis Mauritaniæ, ut dixi ſeculo XI. p.466. judicium. qui omnino voluit, unum eſſe eundemque Chriſtianorū & Muhammedanorum Deum) jurejurando teſtificabantur. *Ingratus, inquit, univerſitatis rerum Deo, à quo præter Imperii faſtigium, aliis illuſtribus prærogativis ſum ornatus & inſanus eſſem, niſi pro tenuitate mea qualecunque illi ſtudium meum declararem; & ſummis in id viribus incumberem, ne is verus Deus anathemate notaretur.* Cæterùm auditores ea magniloquentia adeò non percellebantur, ut vir doctiſſimus & eloquentiſſimus *Euſtatius* Theſſalonicæ Archiepiſcopus, ea oratione vehementer commotus, verum Deum aliquid holoſphyron, infelicis ingenii commentum, perhiberi nullo modo ferret. *Enimverò, inquit, inſanirem, & hoc habitu (oſtenſo pallio) indignus eſſem, ſi Deum verum judicarem brutum illum prædiconem, & omnis obſcuritatis & ſceleris doctorem.* Quæ cùm clara voce & magno veræ pietatis affectu dixiſſet, auditores penè obſtupuerunt. Scripti verò illius recitator, pauliſper velut attonitus, compreſſis labiis aſtitit, deinde ad Imperatorem revertitur: qui ea oratione perturbatus, varia defenſione uſus eſt, & patientia, ut nunquam antea, laudata. ut querulos & cavillatores vitaret, ſe quoque integerrimis Chriſtianis annumerabat, & religioſiſſimis

ſiſſimis natum eſſe parentibus aſſerebat, & contra Theſſalonicenſem judicium vehementer efflagitabat. Aut enim, ſi abſolveretur, ut qui Deo pędiconi nō crederet, nec de religione perperam ſentiret, ſe juſtas pænas de eo ſumturum, qui contumelioſa verba in unctum Domini effutiret: aut ſi condemnatus eſſet, quaſi alium quàm Chriſtiani Deum coleret: veritatem velle diſcere, & gratiam ei non parvam habiturū, qui ſibi errorem extorſiſſet, & veritatem explicâſſet. Paulò pòſt Patriarcha in ejus conſpectū venit, & quæ res poſtulabat locutus, effecit, ut iracundia placata, veniam habitæ orationis & defendendi ſui poteſtatem Theſſalonicenſi daret, cum hac tamen caſtigatione, oportere eum, ut virum ſapientem, ab obſcuritate verborum ſibi temperare: nec effutire temerè, quæ nihil ad rem facerent. Poſtea, cùm ſcriptum de eo dogmate publicè recitaretur, & ab omnibus, ut piè explicatum laudaretur, ſe lubenter ſubſcripturos pollicentibus, Concilium eſt dimiſſum. Ac illi abibant læti, quòd adverſatione ſua Imperatorem viciſſent: is verò gaudebat, quòd eos ad ſuam flexiſſet, voluntatem; ac paucis verbis id conſecutus eſſet, quod antea verboſo ſcripto impetrare non potuiſſet. Poſtridie Concilium prima luce juſſu Imperatoris in Patriarchæ ædibus convenit, ut facerent, quemadmodum promiſerant. Verùm illi omnes mutata ſententia ſubſcriptionem recuſabant, quòd in illo ſcripto

pto verba adhuc quædam mutanda laterent: quibus eraſis alia reponenda eſſent, quæ cum vera ſententia congruerent. Rurſus igitur commotus Imperator, eorum væcordiam, inconſtantiam, & levitatem apertè inſectatus eſt. Sed illi tandem ægrè aſſenſerunt, ut anathema à Deo Machometi in ipſum Machometum & omnem ejus doctrinam & ſectam in Catecheticis libellis transferretur. Quo, poſt multos congreſſus, decreto & confirmato, tandem acquieverunt. Sic *Nicet. Choniat.* Habet hæc Manuelis Hiſtoria nonnulla, ex quibus poriſmata quædam elici poſſent, obſervatu digniſſima. Certum enim eſt, Andabatarum more aliquandiu pugnatum eſſe, nullis ſtatui controverſiæ poſitis, quod maximè conveniebat, limitibus. Aliud Manuel intendit, Euſtathius aliud. Verùm, curam hanc Lectoris judicio relinquimus, & induſtriæ. Unũ incumbere nobis, ad ſolidiorem recitatæ diſputationis notitiam, videtur; Dicere videlicet, quid ſit ὁλόσφυρον. Eſt in Alkorano, Surata, numero 110, quæ ita ex Arabico translata verbotim habet: *Dicito, ille Deus unus, Deus* Azzamado; *qui nec gignit, nec gignitur, nec ipſi eſt ſimilis quisquam.* Eſt hoc ſymbolum Muhammedicæ fidei præ cæteris decantatum, in quo Deum ſuum vocant *Azzamado*, voce admodum & obſcura, & πολυσήμῳ. Significat enim Azzamado, apud Arabes, *Herum, Dominum,*

num, perpetuum, diuturnum, excelſum; cui nemo comparari poteſt; Indiſſecabilem, perfectũ, nullo vitio laborantem, incorporeum; omnis mali expertem. Ita ipſi explicant Arabes. *Abunazarus* de hac voce ſcribit. quòd vel *Dominum* ſignificet; vel *eum, ad quem tanquam aſylum ſe homines cõvertunt aut congregant*; vel, *qui nec edit, nec bibit*; vel, *qui nec dormit, nec dormitat*; vel, *qui nec gignit, nec gignitur*. *Aben Abbas* verò ait, Zamadon *eum denotare, qui ſuperiorẽ ſe habeat nullum.* Alii volunt hac voce innui *fortem; bellatorem; unum, qui nullis aliis deſcribi poſſit proprietatibus; qui omnes ditat, ipſe verò nullius ſit indignus.* Hanc ergò voculam, quam Arabum doctores tã contentiosè vexant, Græci reddiderunt per ὁλόσφυρον quod *ſolidum* propriè eſt, *non conflatum, ſed ductum malleo*: prout ipſa quoq; Arabica vox *ſoliditatẽ*, imo, *ſilicem*, & *quidquid durum* eſt, exprimit. Cùm ergò jam Orientalibus Eccleſiis Catecheticæ inſtitutiones hunc Muhammedis Deũ ὁλόσφυρον, ſeu *Azzamado* anathemate feriiſſent, gravi ſermone Imperator, pro hac excommunicationis formula abolenda certavit, non tantùm ut ne recens converſorũ Saracenorũ aures offenderentur; ſed etiã ut veri Dei gloria vindicaretur. Atq; hæc occaſio fuit prolixæ illius diſputationis inter Imperatorẽ, & Eccleſiæ Antiſtites inſtitutæ.

[*e*]Unde

[e] Unde *Conradus* Rex, ſermone ad milites habito, veternum iis exprobrat & nimiam indulgentiam, quâ Agarenos tanquam lupos in ſuam cædem alant, & per dedecus ſuo cruore ſaginent: *Nicet. Choniat. annal.* p. 36.

[f] *Andronicus*, tyrannus licèt, intolerabilem illam & Chriſtianis indignam conſuetudinem, qua naves tempeſtatibus agitatas & in litus ejectas impune prædari licuit, ſuſtulit, qua de re ſic *Nicet.* p. 162. Cùm autem apud Romanos eoſque ſolos, ut opinor, iniquiſſima conſuetudo valeret, ut naves tempeſtatibus in litus ejectæ, non modo à nemine adjuvarentur, ſed ab accolis, quovis turbine ſævioribus diriperentur; ſi qua fluctus reliqua fecerant: iniquiſſimæ iſti rationi tam acriter eſt adverſatus, ita piraticam illam rapacitatem compeſcuit, ut hæc una res ampliſſimas ejus laudes complectatur. Nam aulici quidem Proceres, id malum deploratum & immedicabile judicabant, ut vetuſtate confirmatum ac multos ex ſuperioribus Imperatoribus faſciculis literarum in provincias miſſis extrema naufragorum ſpoliatoribus minatos: ſed conatum illum fuiſſe irritum, & intra ſcripta ſubſtitiſſe, rubricam Imperatoriam illius mali undis eluentibus, ut literæ illæ planè in aqua ſcriptæ viderentur, & edicta fruſtra ſubnotarentur. Quæ cùm hi dixiſſent, Andronicus circumſtantem Senatum acriter intuitus & ſuſpirio ex imis præcordiis ducto, Nihil, inquit, eſt, quin ab Impe-

Imperatoribus emendari queat: nec ullum peccatum eſt, quod vires eorum ſuperet. Superiores autem Imperatores, aut rem ſtultè ſunt aggreſſi, aut ſe dolore injuriis ſimulârunt. Nam ſi corruptelam illam verè ſuppreſſam, & liberè agi ea quæ ad æquitatem pertinent, voluiſſent: rubricatis literis omiſſis & chartis inutilibus deſpectis, cogitâſſent, ſanguinem deflere, non lachrymas fundere eos, qui homines, apud quos fractæ naves ejiciuntur, occultis in mari ſaxis & rupibus duriores experiuntur: & enſe illos coërcuiſſent, qui non fruſtra geſtatur, & capitis iniquos damnâſſent. Hoc verò malum, quod altiſſimas jam egerat radices, ut tolleret, non gravi tantùm ſermone Andronicus cohortatur, ſed & in delinquentes ſuſpendio animadvertendum decernit.

[g] *Nicet. Choniat.* de *Iſaacio Angelo*, p. 219. Ea ejus fuit audacia, ne quid gravius dicam, ut ſacra vaſa profanaret, & templis avulſa menſis ſuis adhiberet. In comeſſationibus quoque, ex gemmis pretioſis & ſolido auro, calicum inſtar facta donaria, quæ ſupra Imperatorum monimenta pendebant, manibus verſabat, & pelvibus inſuperabilis elegantiæ, quibus ſe Levitæ & Sacerdotes, cùm myſteria ſacra tractant, mundare ſolent, pro malluviis utebatur. Auferebat particulas de venerandis crucibus, item ornatum maximi pretii de immortalibus Chriſti oraculis, iiſque pro monilibus & torquibus utebatur: ipſos

ipſos verò codices aliis Imperatoriis ſtolis, quæ nihil haberent admirationis, involvebat, & graviter ſuccenſebat iis, à quibus monebatur, ea facta non expedire religioſo Imperatori, qui pietatem à majoribus accepiſſet, nec aliud eſſe, quàm ſacrilegium, eoſque, ut manifeſtè deliros & honeſtatis ignaros arguebat. Licere enim Imperatoribus omnia: & inter Deum & Regem, quod ad terrenarum rerum gubernationem attineret, non eam eſſe differentiam, quæ ſit inter negationem & affirmationem, contendebat,

[h] *Iohannes Comnenus*, Imperatoris *Iohannis Comneni* ex fratre *Iſaacio Sebaſtocratore*, nepos, non modo in caſtra Perſarum transfugit, ſed & in religionis Muhammedicæ ſacra, *Nicet.* in Joh. Comn. p. 19. Abjurata religione, Iconienſis Perſæ filiam uxorem duxit.

[i] Quo loco à Choniata habentur ſeditioſi illi, quibus veniam dedit *Iſaacius*, hac tamen lege, ut pœnitentiæ ob violatum jusjurandum declarandæ causâ, Patriarcham adirent, ſeque anathemate ſolvi peterent, quo à civibus, cùm illorum facinora ex turribus ſpectarent, obſtricti eſſent. Ac multi, quibus religio cordi erat, ita fecerunt: cæteri verò nutu capitis duntaxat admonitioni illi aſſenſi, magni templi ingreſſum, & confeſſionem pro nugis habuerunt: ne dicam, fuiſſe quosdam petulantes, qui cùm exiiſſent, Imperatorem deriſerint, & ſubſannârint, nihil eſſe novi dicentes, ſi is, qui ſacrificulus olim

fuiſſet (nam id etiam ei crimini dabatur) ipſis etiam ea præſcriberet, quæ è puro didiciſſet.

[k] Illi enim deditus erat *Aaron* quidam, de quo ſic *Nicet. Choniat.* annal. p. 73. Calumniatores quidem alias alii dederunt pœnas. *Aaron* verò graviſſimas omnium, ſuis ipſe laqueis irretitus. Non multò enim pòſt, eum Magiæ ſtudioſum eſſe, compertum eſt: & ſimulachrum teſtudinis prolatum, in quo erat imago hominis, qui ambos pedes habebat in compedibus & pectus clavo transfixum. Eſt & librum Solomonium evolvere deprehenſus, qui cùm legebatur legiones dæmonum adducebat, ſubinde interrogantium, cur accerſiti eſſent, ac juſſa alacriter exequentium. Atq; tum ob hanc, tum alias etiam ob cauſas & oculis privatur & linguâ. Eodem ſupplicio mactati etiam ſunt Sclerus & Sicidites, qui ſub Aſtronomiæ profeſſione, magiæ & dæmonum impoſturis operam dabant. Nam Sclerus, *Choniata* teſte, cùm nobilem quandam virginem, à qua contemnebatur, adamaret, ac manifeſtè ſolicitaret, per lenam ei malum Perſicum mittit; quo puella in ſinum recepto, amore & libidine inſaniens, ab illo corrumpitur. Puellæ verò cognati facinus id indignè ferentes, & ſtrenuè contra dæmonem pudicitiæ puellarum infeſtum, & pomo, inſtar malefici illius ſerpentis, inſidiantem, quas caſtitate tanquam horto Eden ejiceret, vociferantes, effecerunt, ut ejus aſpectu penitus privaretur, quam impudicè

ſicè aſpexerat. Sicidites verò præſtigiis quibuſdam rerum earum conſpectum eripiebat, quas oculi intuebantur, & totas dæmonum cohortes immittebat iis, quos volebat perterritos. Cùm autem aliquando ex editiore palatii loco naviculam vidiſſet, qua ollæ & patinæ vehebantur, adſtantes interrogavit, quid daturi eſſent, ſi efficeret, ut nauta alienata mente, navigatione omiſſà, remo ad comminuenda fictilia uteretur? qui cùm ei pollicerentur, quicquid poſtulaſſet, nauta paulò pòſt exurgit, & vaſa non prius ferire deſtitit, quàm in pulverem redegiſſet. Quo conſpecto, illi riſu rumpebantur, factum illud admirantes: nauta verò paulò pòſt barba prehenſa cœpit lamentari, amotaq; caligine illa, ſe, ut ira Numinis agitatum, deplorare. Rogatus cur merces ſuas ita tractâſſet, cũ dolore narrabat, ſe remis intentum, horribilem ſerpentem ſupra vaſa porrectum, oculis inconniventibus in ſe converſum inſtar devoraturi ſe vidiſſe, qui prius volutari non deſtiterit, quàm fictilia confracta eſſet: Inde ſubitò ex oculis evanuiſſe. Fecit & aliud non diſſimile. In balneo lavans, rixari cum quibusdam cœpit, & in conclave egreſſus eſt. Paulò pòſt & cæteri anhelantes & trepidi præ metu ac feſtinatione invicem conculcantes narrant, ex canali calidæ aquæ viros pice nigriores exiliiſſe, à quibus, nates ipſorum plantis pedum ferientibus balneo exacti eſſent. Ob quæ quidem ſcelera oculis orbatus

 eſt.

eſt. Ipſi autem tum Imperii præſides, & provinciarum præfecti ut Conſtantinus Stethatus *Nic.* p.191. tum Imperatores Aſtrologorum ſeu potius Engaſtrimythorum vanitati decepti, curioſitatis pœnas dederunt. Cauſa hæc fuit, quòd Manuel Imperator Monaſtico habitu indutus moriturus, in iis, quæ poſt obitum ſuum facienda eſſent; mandandis & præſcribendis fuerit ſegnior. Peſtilentes enim impoſteros (*παντοδήλητοι ἀςροφένακες*) Aſtrologi Imperatorem ex morbo recreatum, vacaturum eſſe amoribus, & barbaricas urbes everſurum, impudenter aſſerebant, ſcribit *Nicet.* p.111. addita de hac Aſtrologia judicaria *χρῖος* memoratu ſatis digna. Et *pergit. Nicet.* quod incredibilius eſt, homines præcipiti lingua, & aſſueti mendaciis, motum univerſi orbis, & maximorum ſiderum congreſſus, & concurſus, ventorumq; procellas ingentes, & univerſitatis rerum pæne mutationem prædicabant, *ἐγγαςρείμυθοι* potius (ſic LXX. vocem Hebræam *obhoth*, verrunt) quàm Aſtrologi. Neque verò annus duntaxat & menſes & hebdomadas numerabant, ſed dies etiam & horæ punctum deſignare non ferebantur; quæ ſuæ poteſtati reſervavit Pater & Servator diſcipulos ſuos percontantes caſtigavit. Paulò ante mortem tamen curioſam hanc artem damnavit ipſe. His quoque præſtigiis, deditus fuit Andronicus, de quo idem *Nicet.* p.169. ſcribit: Accedit etiam aliud quiddam, quod eum in tantam immanitatem

Digitized by Google

tem impulit. Nam cùm undique in arctum ſuas copias cogi, & Siculos jam jam ſuo capiti imminere, & tanquam Typhonem centum capitum oppreſſuros. Cives verò mortem ſuam ſitire, & ſuum interitum divinum beneficium, & malorum remedium exiſtimare cerneret, prætereaque ſe propter multiplices procerum cædes à Deo deſertum judicaret, quamvis ſe ad Chriſti mandram pertinere affirmaret, iisdemque elementis conſtaret, quibus ii quos extirpabat, ad futura per noxiorum dæmonum cultum cognoſcenda ſe convertit, ut & Saulus olim ad Engaſtrimythos tandem abiit, quos ante placandi Numinis gratia pepulerat. Nam cùm aruſpicinam ante plurimos annos obſoleviſſe, & penitus abolitam eſſe, auguralē item ſuperſtitionem, ut & ſomniorum & omnium interpretationem jam olim à Romanis finibus avolâſſe, ſolos verò eos impoſteros, qui è pelvi divinant, & qui aſtrorum poſitus rimantes, æquè falluntac falluntur, ſupereſſe: tum quidem Aſtrologiam, ut magis familiarem, & futura obſcurius innuentem ſepoſuit, ſeque totum permiſit iis, qui futura ex aquis, quaſi per caliginem conjiciunt, & imagines futurarum rerum velut ex umbra ſolarium radiorum conſectantur. Ac ipſe quidem iis nocturnis ſacris intereſſe noluit, metu famæ, ut arbitror: quæ ea quæ in occulto fiunt, perſpicit, & omnibus enarrat. Sed nefarium illud arcanum Hagio Chriſtophoritæ Stephano, cujus ſæ-

pe mentionem fecimus, mandat. Is verò Setho adhibito, qui ab ineunte ætate iſtiuſmodi oraculis deditus, oculos propterea Manuëlis Imperatoris juſſu amiſerat, ut ſupra expoſuimus, certo ritu (quem mihi nec ſcire, nec explicare jucundum eſt, & aliunde petere licet) percontatur, quis poſt Andronicum ſit Imperaturus? aut Imperium ei erepturus? reſpondet malus genius, ac potius obſcurè, ut in aquis, iisq; turbidis, aliquot primas literas, integro nomine non expreſſo, deſignat, unde Iſaacius intelligeretur. Sed primum oſtenſa litera S. inſtar dimidiatæ lunæ, ac deinde ſubjuncta litera I. ut oraculum eſſet obſcurius, & fati veluti ſtimulus, aut, ut verius dicam, quòd non ſatis nôrat nocturnum illud & infinitæ improbitatis dæmonium perplexitate involveret, nec argui mendacii poſſet. Itaq; Andronicus Iſaurum eas ſignificare putabat, & eum eſſe affirmabat Iſaacium Comnenum, qui Cyprum per tyrannidem oppreſſit, eumque perpetuò ſuſpectum habebat, ut Imperii ſucceſſorem. Nam ex Iſauria in Cyprum venerat, homo maleficentiſſimus, pernicioſus Telchin, mare calamitatibus exæſtuans & atrox furia, in beatos ante inſulares crudeliter graſſata. Verbis enim ζυμπάθιαν meam teſtor, qui ipſis factis publicū illud infortunium ſunt experti. Andronicus verò, miratus oraculum, Non modò, inquit, de ſucceſſore interrogato, ſed tempus etiam adjicito. Facta etiam de tempore quæſtione, aërius ille & terre-

terreſtris Spiritus, carminibus, quæ proferri nefas eſt, evocatus; & cum ſtrepitu in aquam illapſus; Intra exaltationem Crucis, reſpondit. Hæc autem initio Septembris acta ſunt. Secundo etiam reſponſo audito, cum inſuavi & falſo, ac planè Sardonio riſu: Vanum, inquit, Andronicus, eſt iſtud oraculum. Quî enim Iſaacius intra tam paucos dies Cypro advenire, meque Imperio evertere poterit? eaque verba penitus neglexit. Cùm autem Johannes Tyranus, Beli judex ab Andronico deſignatus, eaque de cauſa cupiditatum ejus fervidus miniſter dixiſſet: Iſaacium Angelum è medio tollendum eſſe, ne fortè oraculo ad illum pertinente, ipſi longinqua imaginarentur, iis, quæ ante pedes eſſent, neglectis: ne ſic quidem divinationis aſſenſus eſt; ac potius hominem deriſit, quòd tale aliquid de Iſaacio Angelo ſuſpicaretur, quem, ut mollem & ignavū, nec ad ullam rem gerendam idoneum, contemnebat. Sed eventus poſtea probavit, non vanum fuiſſe de Iſaacio Angelo Miniſtri metum. Vide *Nicet.* p. 181. 172.

Huc pertinent 1. *Oracula ſeu reſponſa obſeſſis extorta.* Exemplum apud eundem occurrit *Nicet.* in Angelo Imperat. p. 184. Cùm Myſi apertè defeciſſent, Imperator bellum eis infert. Sed nec illud prætereundum eſt. Cùm Blachi principio ab eo conatus, ad quem à Petro & Aſane inducebantur, rei difficultate territi abhorrerent; fratres ut popularibus ſuis eum metum adime-

 rent,

rent, ædem nomine præclari Martyris Demetrii ædificarunt: in eamque multos Dæmoniacos utriusque ſexus exegerunt, qui cruentis & perverſis pupillis, effuſisque crinibus cætera omnia exquiſitè exprimebant, quæ id genus hominum propria habet, eosque, docebant in furore proloqui: Deo viſum eſſe, ut gens Bulgarorum & Blachorum diuturno jugo excuſſo, libertatem conſequatur, eaque de cauſa Chriſti Martyrem Demetrium, relicta Metropoli Theſſalonica & æde, Romanorum conſuetudine ad ipſos perveniſſe, adjuturum id opus. Igitur væcordes iſti homines paulum morati, & ſubito majore Spiritu collecto, rurſus alienati, exagitabantur, & clara voce, quaſi numine afflati clamitabant: Non amplius deſidiæ eſſe locum, ſed arreptis armis Romanos invadendos eſſe, & qui in bello caperentur, non cõſervandos aut vendendos, ſed inclementer occidendos eſſe, & prece & precio repudiatis, neque magis ulla obteſtatione moveri oportere quàm adamantem. Tota igitur gens â talibus vatibus concitata, ad arma concurrit, & ut initio defectionis auſpicata fuerunt, magis etiam credidere, Deum libertati ſuæ favere, nec ea contenti, in oppida & prædia ab Hæmo remota diffunduntur. Alter verò fratrum Petrus, auream corollam imponit capiti & pedibus coccineos calceos inducit. Priſthlabam aggreſſi (urbs ea Ogygia eſt, tota latericia, & maximum Hæmi ſpatium complexa) ut oppugnationem

non

non eſſe tutam videbant, ea præterita, ex Hæmo deſcendunt: & Romana oppida ſubito adorti, multos ingenuos homines, multos boves & jumenta, aliarumque pecudum ingentem numerum abducunt. Iſaacio adventantem, rurſus in anguſtiis & inacceſſis locis abditi, diu reſtitererunt. Sed caligine præter expectationem a Deo, cujus latebræ in tenebris ſunt, excitata, & montes, quos Barbari aditu anguſtiarum obſeſſo tuebantur, involvente, Romani eos imprudentes oppreſſerunt, & terrore attonitos ita diſſipârunt ut mali iſtius authores & duces cum amicorum cœtu, ut ille porcorum grex in Evangelio in mare, ita ipſi in Iſtrum illapſi, ad finitimos Scythas trajicerent. Imperator verò eum nemine prorſus prohibente, toât Marſiam pervagari, & præſidia in urbes, quæ pleræque in Hæmo ſunt, ſed plures, ac potius ferè omnes in præruptis rupibus, & altiſſimis tumulis extructæ, introducere liceret, neutrum fecit; ſed cumulis frumenti incenſis, ſupplicum Blacchorum confictis verbis deceptus, ſtatim retro abiit, relictis rebus illis planè exulceratis.

2. *Vates illi vani & fatui, qui opinionem de ſe doni Prophetici falsò excitabant.* Eundem hic audire iterum placet *Nicet.* annal. p. 222. Iſaacius Imperator ad Radæſtum maritimam urbem profectus, τὴν πρωτίστην ἐκτελεῖ καὶ κυδρώνυμον ἀναστάσιμον ἑορτὴν καὶ θύει καὶ ἐσθίει τὸ μυστικὸν *maximum &*

nomini ſuo reſpondens Reſurrectionis *feſtum celebrat, & Paſcha myſticum immolat & commedit*; ibique Baſilacium convenit, inuſitatæ vitæ hominem eamq; opinionem apud omnes conſecutum, quaſi futura prævideret atque prædiceret. Unde maxima hominum frequentia ad eum ut olim ad Hannonis & Amphiarai oraculum, confluebat. Cæterùm nihil veri & perſpicui de rebus futuris lòquebatur; ſed verba confuſa, inter ſe diſſidentia & perplexa fundebat: & quamvis ſæpe ridicula quædam admiſceret, tamen turbam paſtorum, agricolarum & remigum ad ſe attrahebat. Nam mulierum ad ſe venientium mammis exploratis, & talis contrectatis, obſcura promebat oracula, & ad pleraſq; quæſtiones nihil reſpondebat, & ſuas divinationes diſcurſationibus & inſanis geſtibus peragebat. Aſtabant ei quoque cognatæ aniculæ, væcordes & inſanæ, quæ conſultoribus explicabant, quid illi Baſilacii geſtus rerum futurarum deſignarent, & taciturnitatem ut ſapientem orationem interpretantur. Is igitur homo, ut dixi, vates vulgò habebatur; & futura prædicere putabatur, à mulierculis præſertim quibus turpes quæſtiones, & deformes veſtium implexiones pro ludo & joco cordi erant. Cordatis verò hominibus ineptus hiſtrio & væcors ſilicernium videbatur. Erant etiā, qui eum Pythonico Spiritu eſſe præditum haud obſcurè conjecta-

jectarent; quorum ego judiciis maximè aſſentior. Imperatorem, neq; ut tanta potentia præditum excepit, neque ſalutationi ejus, quæ erat. Salve pater Baſilaci, reſpondit; neque tacito nutu capitis gratias egit: ſed huc atque illud inſtar pulli equini aut hominis furioſi ſaltans, accedentibus maledixit, Conſtantino Meſopotamitano inprimis, qui tum Iſaacio familiariſſimus erat: nec ipſi denique Imperatori parcens, vix tandem inquietis illis agitationibus omiſſis, ſcipionem, quem manibus geſtabat, imaginis Imperatoris, quæ in ejus oratoriæ cellæ pariete depicta erat, oculis eraſis, etiam pileum de capite illius auferre ſtudebat: Quæ cùm feciſſet, Imperator eo ut deliro deſpecto, receſſit. Populus verò, qui ea viderat, nihil non ominabatur. Quod ipſum paulò pòſt, cùm à fratre & oculis & Imperio Iſaacius privaretur, eventus confirmavit. Vide *Nicet*, p.223.

[*l*] Hinc mutuæ illæ querelæ, & inſidiæ, quibus alii aliis fuerunt moleſti, De *Græcis* queritur *Matth. Par.* p.56. Circa dies iſtos (a.Ch. 1103.) multi nobiles de finibus Occidentis cruce ſignati ad iter ſe accingentes, Duces habuerunt nobiles viros & potentes, Willielmum Aquitaniæ Ducem, Hugonem magnum Comitem Viromadenſem, qui nuper ab eadem peregrinatione redierat, Stephanus Carnotenſis & Neſenſis Comes, cum Stephano Comite Burgundenſi. Hi omnes uno eodemq; deſiderio accenſi cum turba non

ba modica Conſtantinopolin pervenerunt. Ubi ab Imperatore Alexio reverenter, ſed doloſè ſuſcepti, invenerunt ibi Comitem Tholoſanum, qui ſemel peregrinatione incepta nunquam ad propria redire propoſuit. Qui omnes ſumpta ab Imperatore licentia, Comitem Tholoſanum quaſi productorem habentes, tranſito Helleſponto, Nicæam Bithyniæ urbem attigerunt. Tunc Imperator Alexius & proditor nequiſſimus noſtrorum invidens ſucceſſibus, Turcis infidelibus per quorum terras peregrini tranſituri erant, crebras tranſmiſit Epiſtolas, exhortans attentius, ne tantum Chriſtianorum populum liberè tranſire in ſuam perniciem paterentur. Noſtri autem nimis inconſultè agentes, & nihil ſiniſtri ſuſpicantes, diverſis agminibus incedebant, vinculum charitatis non habentes: Unde dati ſunt in manus inſidiantium Turcarum, ita ut ex eis una die ceciderint ore gladii plus quàm quingenta millia peremptorum, &c. Hoc nomine Alexius ab eodem *Matth. Par.* p. 60. vir malitioſus vocatur & nequam. Confer *Geneb.* p 618. Sed nec *Græci* in Latinæ militiæ moribus acquieſcebant. De Siculis Theſſalonicam oppugnantibus graviſſimam movet querelam. *Nicet. Choniat.* p. 149. & deinc. Sic, cùm Græcus ignis Conſtantinopoli graſſaretur, idemque; flammis ejus in altum elatis, omnia pene abſumſiſſet, Latina cohors, (verba ſunt *Nicet. Choniat.* p. 192.) Conradi Cæſaris & promiſcua, & paupercula turba urbe

egre-

egreditur. Hi circumjacentia omnia porvagati, partim adhuc armati, partim telis obiter arreptis, quid non rapuerunt? quo ſcelere abſtinuerunt? diruerunt ædes, opes diripuerunt, Monaſteria ſcrutati ſuppellectilia ſacroſancta abſtulerunt, vaſa pretioſa profanârunt, venerabilem Monachorum ſenectutem non reveriti ſunt: Virtutē, quam hoſtis etiam venerari ſolet, neglexerunt: denique, ne ſim prolixior, omne malorum genus quolibet ſecum attulerunt. Multi, quòd ob direptionem ædium ſuarum murmurâſſent, occiſi ſunt. Vide & ſeqq. Hanc invidiæ flammam nō parum auxit Monachus ille Venetus, *Doſitheus*, Magus, qui ex ἐγγαςριμύθȣ potius (ſic loquitur *Nicet. Choniat.* p.200.(afflatu, quàm Prophetico Spiritu affirmabat, Regi nunquam in mentem veniſſe, Palæſtinæ occupationem, ſed eum nihil aliud cogitare, niſi urbis Imperatricis dominatum. Hujus verò juſſis Protoſtrator obſequens, literis regis neglectis; totus in eo erat, ut Alemannis noceret frumentatum exeuntibus; & quadam nocte circiter bis mille inſignibus equitibus delectis, ad Philippopolin proficiſci, & inſidiis in collibus illis collocatis frumentatores manè invadere inſtituit. Unde paulò pòſt pugna fuit ſecuta, in qua Romani ab Alemannis in turpem conjecti erant fugam. Imò. *Saracenos Latinis eſſe humaniores*, palàm faſſi ſunt, ut habet *Nicet. Choniat.* pag.284. & nos ſequenti ſeculo,

σὺν

τιμῷ Θεῷ, audiemus. *Andronicus* urbe prorſus eos expulit; *Nicet. Choniat.* p. 126. Erant tamen aliqui, qui, vanis decepti oraculis, exiſtimabant, *ea quæ olim avulſa eſſent, iterum coalitura, & Orientem cum Occidente copulatum iri: & inveteratis odiis abolitis. gentes ut linguis, ita moribus à Romanis diſcrepantes concordiam inituras, iisdemq; moribus uſuras, diſſenſionibus nova ratione ſopitis, ut enſes in aratra mutarentur, ut agni cum leonibus paſcerentur.* Sed eventus, & initio ſeculi ſequentis facta Conſtantinpolitanæ urbis per Balduinum expugnatio contrarium probavit. Unde *Choniat.* p. 155. Hinc etiam eſt, quòd non tantùm Græci Latinos multis modis bello Sacro implicatos vexârint, & impedierint, verùm etiam loca jam capta ſibi dari petierint. Unde Imperator Antiochiam cum Conſtantinopoli conjuncturus, atq; inde religioſa loca inviſurus, vitale Chriſti ſepulchrum magnificis donis ornaturus, nihil intentatum relinquebat, ſi quo modo Latinis perſuadere poſſet, ut ultro dominatu inclytæ Antiochiæ cederent; aut ſi ii nollent (nec enim faſtum Latinum, & præfidentes eorum animos ignorabat) ut Cilices & Syros in ſuas partes pertraheret. *Nicet Choniat.* in Calojoanne, p. 20.

[*m*] Talis erat I. *Balſamon*, de quo *Geneb.* an. Chr. 1185. *Theodorus Balſamon*, juris conſultus & Theologus, Antiochenus poſtmodum Patriar-

cha

chal(ſed nomine tenus. Nam Latini adhuc Antiochia potiebantur) multa hoc tempore ſcripſit, ut ipſe de ſe teſtatur in præfatione ſuper Nomocanonem. Vide etiam an. Chr. 1200. & ſuprà p.34. II. *Euſtathius*, Theſſalonicenſis Epiſcopus, qui doctiſſima in Homerum ſcripſit commentaria ad exitum hujus ſeculi adhuc viguit. De hoc *Nicet. Chon.* annal. p.155. perhibet, quod fuerit, πολὺς ἐν λόγῳ καὶ ἀρετῇ διαβεβοημένος, ᾧ καὶ τὸ ἀπὸ συνέσεως, μὲν ἐπιτρεπτὲς ἀξιέπαινον, καὶ ἡ πολυπειρία θαυμαστὴ καὶ ἀξιάγαστος; τὸ δὲ παρὰ πολὺ τῶν ἄλλων ἐν λόγοις καὶ σοφίας πάσης ὁπόση τε ἡμετέρα καὶ ὅση τῆς θύραθεν κρατήτειρα εἶναι περιχυτλῆ τὸ οἰκειότατον ἐκεῖνο καὶ ἐξαίρετον ἦν χαρακτήρισμα *eloquentia, virtute & celeberrimus, qui & prudentia & uſu rerum mirabili præditus & doctrina profanarum & ſacrarum literarum uberrima cæteris omnibus antecellebat, eaq; velut inſigni & peculiari nota prædicabatur.* Alia quoque addit encomia, quæ virum hunc inſignem & egregiũ Evangelii præconem fuiſſe oſtendunt. Inter Patriarchas laude eruditionis eminebant. 1. *Michaël Anchialius*, quem Principem Philoſophorũ appellat *Balſam.* ipſe, præfat. in Nomoc. 2. *Coſmas*, qui σοφίας δι' ἁπάσης μεταλαχὼν, ἐκ τοῦ τῶν ἀρετῶν ὁρμαθοῦ πλέον ἦνχι τεπίσημον *quamvis eruditiſſimus, virtutum tamen choro erat illuſtrior:* Nicet. Choniat. annal. p.41.

VIII. De

¶ VIII. De *Arabicis* verò & *Syriacis* Eccleſiis, obſervandum, habuiſſe quidem ſuos in [a] multis, Antiſtites, Latinos; terram ſanctam armis ſuis victricibus ſubactam [b] aliquandiu tenentes; Jacobitas tamen, Neſtorianos & alios heterodoxos Alexandriâ, adeoque Ægypto expelli prorſus nunquam potuiſſe. Unde & [c] Patriarchæ eorum hoc adhuc ſeculo in Arabum Hiſtoriis recenſentur.

[a] *Antiochena* cumprimis & *Hieroſolymitana.* In *illa* Patriarchæ erant. 1. *Bernhardus,* Latinorum primus, qui ſedit ab an. Chr. 1100. ad 1136. 2. *Rodolphus,* cognomento Mamiſtanus ex Diœceſi Cenomanenſi ortus: qui Schiſmate ſtatim facto Romanæ Eccleſiæ Principatum agnoſcere renuit, *Bar.* an. Ch. 1136. Mortuus eſt an. Chriſt. 1143. 3. *Aimericus,* ſive Haimericus ejuſdem Eccleſiæ ante Decanus; *Id.* an. Ch. 1143. Primus ordinis Carmelitarum promotor, *Id.* 1181. 4. *Rodolphus II. Geneb. Gaulth.* In *hac* verò numerantur 1. *Daibertus,* Latinorum primus, ſed ſtatim ejicitur. 2. *Ebremarus,* in præcedentis locum intruſus, *Gaulth.* quem etiam an. Chr. 1107. depoſuit Gibelinus Arelatenſis Archiepiſcopus. 3. *Gibelinus,* cui invito & decrepito ſedes aſſignatur. 4. *Arnulphus,* homo perditæ vitæ, *Gaulth.* & *Bar.* an.

an Ch 1112. fin. 5. *Guarimundus*, Diœceſis Ambianenſis, vitæ illuſtris. 6. *Stephanus* Abbas S. Johannis Carnotenſis, Regi Balduino affinitate junctus. 7. *Guilielmus* Belga, a.Ch. 1130. 8. *Fulcherius*, an. Chr. 1146. 9. *Amalricus*, an. Ch. 1159. 10. *Heraclius*, an. Ch. 1180. Conf. *Nauc.* p. 174. a. ubi prolixus Epiſ. Hier. Catalogus.

[b] Qua de re acturi ſumus in Muhammediſmo. Hoc notâſſe ſufficiat, Francorum in Syria regnum ſeculi hujus initio floruiſſe. *Elmac.* Hiſt. Sarac. p. 296. *Anno Hegiræ* 504. (Chr. 1110. *expugnârunt Franci Sidona, & Rardiia iisq; regnum in Syria feliciter proceſſit: univerſus enim littoris tractus in poteſtate illorum erat.*

[c] Cujuſmodi fuit a. *Macarius*, de quo *Elmac.* p. 298. *Referunt autem Hiſtorici Chriſtianorum, Iacobitis* Alexandriæ *præfectum fuiſſe Patriarcham* Macarium, *anno* 2. *Imperii Amri Billæ, Principis Ægypti: Collata illi præfectura fuit in Monaſterio* Abulmacari, *die Solis* 13. *Haturi: anno* 819. *Martyrum; qui convenit cum anno* 496. *Hegiræ.* Alexandriæ *verò confirmatus fuit dies* Solis 11. *Kihaci,* (non *Cabyli*, ut tranſlatio Latina habet; nec enim illud menſis nomen eſt) *reverſusq; fuit Mitzram die Sabbathi* 24. *ejusdemque menſis, neq; tamen ibi ſacra fecit: Rediitque*

que in Monaſterium Abulmacari, *ubi ſacris functus fuit die Solis* 25. *Tubæ: Deinde iterum ſe recepit Mizram*, *ubi rem ſacrā adminiſtravit in templo Muallacano, die Solis, ultimo Tubæ.* Multos Patriarcham hunc ritus mutâſſe, atque aboleviſſe, ſcribit idem, circa ſuffitum, maximè; adminiſtrationem Sacrorum (ſic Cænam Domini appellant) cantum Alleluja, & γονυκλισίαν τῶν προσφερόντων. Hanc ipſam enim vocem *Elmacinum* adhibere cenſeo, p.299. 2. Abuna *Gabriel*, fil. Terici an. Hegiræ 525. Martyrū 847. qui antea Diaconus fuit Eccleſiæ S. Macarii. Cōfirmatus eſt Alexandriæ die Solis 21, menſis Amſchier, anno ætatis 50. Sedit annos 14. Habeo hæc ex fragmentis Elmacini ἀνεκδότοις, ut ſequētia quædam hujus ſeculi Orientalia. 3. Abuna *Michaël*, fil. Dacduſi, qui Patriarchatum obtinuit an. H. 546. Martyrum 861. die 5. ſeptimanæ, menſis verò Abib. 11. Monach' ante fuit. Τὰ πρωτεῖα τῆς τιμῆς in Muallacano Ægypti conſecutus fuit, inaugurationem verò ſeu *completionem* (Arabes enim Hebræorum *implere manus* retinere videntur) Alexandriæ, die Solis. Sedit 9. menſes, moritur in Monaſterio Abi Macari die Veneris, a cujus obitu ſedes vacavit annum, & 70. dies. *Id.* 4. Abuna *Iunas*, fil. Abilfatachi, Jacobitis Patriarcha datus eſt Alexandrinus in Muallacano Ægypti, die Solis, confirmatus verò Alexandriæ, etiam die Solis. Præfuit 19. annos, mortuus die

vene-

veneris an. Hegitæ, 551. Martyrum 882. *Id.* 5. Abuna *Marcus*, Abulfathi, fil. Zaraa. Jacobitarum Patriarcha Alexandrinus electus eſt anno Martyrum 882. Hegiræ 561. Confirmatus verò Alexandriæ die Solis. Subſtitit annos 22. menſes ſex, & dies 25. Mortuus eſt die Solis 18. Tubæ an. 905. Martyrum, qui reſpondet anno 584. Hegiræ. Obiit, poſtquam Rex Nazirus Zelacheddinus terram Sanctam occupavit, & regionem mari propinquam. Ejusdem diebus Kazus, filius Kambari, cæterique Kambaritæ ad Melkitas tranſierunt; Sed rediit primò ad ſuos, & iterum defecit. Rediit ſecundò, & ſecundò defecit, & non recipiebatur ampliùs. Fuit autem Patriarcha ille magnæ ſolertiæ vir, multique cibi. In conſpectu Principum habebat teſtam coctam, cibis repletam, & carnibus ſeu adipe plenam. Ejusdem diebus incendium fuit Ægypto, die 18. Haturi, a. 885. Martyrum, quo exurebatur templum Abu Marku.

IX. Accedimus ad ſtatum *Eccleſiaſticū Occidentis*; qui, ut, in [*a*] *genere* conſideratus, afflictus fuit, & perturbatus; ita etiam *in ſpecie* multis fatigatus mutationibus, & exulceratus valde, ab Hiſtoricis proponitur, ſive *Scholas* intueamur, ſive *Monaſteria*, ſive Eccleſiam, ejusq; *doctrinam* & *adminiſtrationem*, ipſam.

[a] Teſtis ſit Conradus à Liechtenavv, Abbas Vrſperg. *Audivi etiam eo tempore, quod tamen difficile eſt relatu, & vix credendum, quòd dixerit idem Papa, quoniam ablaturus eſſet Philippo Diadema regium, aut ipſe ſibi Papæ inſigne* Apoſtolicum. *Cæterum, quamvis non ſit credendum, quod voluntatem ſuam divinæ voluntati prætulerit: conſtat tamen, quia omni tempore adverſabatur eidem. Deus autem ex alto proſpiciens non permiſit ut per totam Alemaniam deperiret cultus divini officii, & Eccleſiaſticæ dignitatis, quæ duo honeſtius ibi conſiſtunt, quàm in aliis gentibus: licet ubiq; per incentiva vitiorum, maximeq; luxuriæ depravata ſint.* His *interpoſitis, de oppoſitione ſedis Apoſtolicæ, ut regium genus deperiret, redeamus ad deſcribendum labores, quos iniquiſſimorum Principum machinatione ſuſtinuit in* Alemania. *Primum quidem de prudenti conſilio, cùm videret imminere ſibi adverſitates & bella, acquiſivit ſibi favorem Principum & Magnatum. De Saxonia quidem habuit Ducem Bernhardum, Marchionẽ Moeſiæ & alios Principes ſeculares potentiſſimos, inſuper* Archiepiſcopos Magdeburgen*ſem & Bremenſem, & ſuffraganeos eorundem.*

dem. Sed genitrix & nutrix omnium malorum diſcordia, noluit quieſcere, quin potius Alemannos, qui omnem juſtitiam deteſtantur & odio habent, & tantùm bonis & honoribus ſuis inſidiantur ad invicem: & quod deterius eſt, his deficientibus, execrabilibus ſe occidunt vulneribus, & ad hoc commovit, ut in præjudicium dominationis antiquæ, & generationis in regno diuturnæ, condicerent curiam apud Andernach oppidum Rheni, quatenus ibidem eligerent Imperatorem. Quo audito Philippus transmiſſis illuc legatis, effecit, ut nulla ibidem celebraretur electio. Aſſerunt etiam quidam, quod propter hoc promiſſa fuerint Archiepiſcopo Trevirenſi duo millia marcharum. Attamen Bertholdus, Dux Zaringiæ tunc denominatus fuit in regem, non propter hoc, quod juſtus poſſet eſſe videri, aut diligere veritatem, cum ſcriptum ſit; Honor regis judicium diligit: ſed propter hoc, quia pecunioſus videbatur, cum eſſet avariſſimus & omni iniquitate plenus. Videns autem Philippus, quod à tali inſolentia nollent ceſſare Alemanni, ipſe cum principibus ſibi faventibus, conventum adunavit in oppido Milhauſen, ubi à Suevis & Saxonibus, & Bavaris & Bohemis, &

principibus quàm pluribus Rheni eligitur in regem. Tunc cœperunt multiplicari mala in terris: Orta ſiquidem ſunt in hominibus ſimultates, doli, perfidia, traditiones, ut ſe invicem tradant in mortem & interitum. Rapinæ, deprædationes, depopulationes, terrarum vaſtationes, incendia, ſeditiones & bella, & rapinæ, ſive in ſtratis, ſive in latrociniis, juſtificatæ ſunt, ut omnis homo jam ſit perjurus, & prædictis facinoribus implicatus, ut vix excuſari poſſit, quin ſit in his, ſicut populus, ſic & ſacerdos: tribulatio magna prohibuit, & hoc, ut nec quis de villa ſua poſſet procedere ſecurè, ſaltem in proximam villam. Exaltatum eſt cornu iniquitatis, de quo multi dubitati ſunt. Quos contra Dominus loquitur per Prophetam: Dixi iniquis; Nolite inique agere, & delinquentibus; Nolite exultare cornu: hoc cornu impletum eſt iam adulterino unguento Non eo de quo ſcriptum eſt in lege: Non facies tibi unguentum alterius compoſitionis, oleum quoq; peccatoris de quo juſtus precatur, ut non impinguet caput ſuum. Iam procul eſt cornu, de cujus oleo unctus eſt David in regem. Quid igitur fiet in membris, niſi quod & in capitibus? Quid recipiat barba, niſi quod habet caput? Si c

deri

Digitized by Google

derivantur tam mala, quàm bona. O Deus aſpice, quia ſicut unguendum eſt in capite, tale deſcendit in barbam. Et utinam in barbã tantùm, ad reprobos, deſcendit etiã in barbam Aharon. Nam qui in monte fortitudinis fundamentũ poſuerant, utpote clauſtrales, & vitas quascunq; religioſas agere ſe fictè demonſtrantes. Alienati ſunt à vulva ſanctæ matris Eccleſiæ, quæ concepti ſanctũ baptiſma perceperunt. Erraverunt ab utero, quo monitis ſalutaribus calefieri debuerunt, & nutriri, nunc tantum locuti ſunt falſa, &c. Et paulò pòſt: *Vix remanſit aliquis Epiſcopatus, ſive dignitas Eccleſiaſtica, vel etiam parochialis Eccleſia, quæ non fieret litigioſa, & Romam deduceretur ipſa cauſa, ſed nõ manu vacua. Gaude mater noſtra, Roma, quoniam aperiuntur catarrhactæ Theſaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi pretium. Iocundare ſuper adjutrice tua diſcordia, quia eripuit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes, quod ſemper ſitiſti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuã reli-*

religionem, orbem viciſti, Ad te trahit homines, non ipſorum devotio, aut pura conſcientia, ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, pretio comparata. Huc facit querela *Ivonis Carnotenſis*, an. Ch.1100. mota: *Cum ſtatus Eccleſiæ penè ubiq; terrarum ruinas lamentabiliter patiatur, quisq; dilector domus DEI dehoneſtationes ejusdem domus quanto vicinius ſentit, tanto uberius plangit; quoniam ignis viciniora comburit, &c.* *Epiſt.* 181. Confer *Naucler.* Generat.38. p.177.a. *Ceſſabant* (circa a.Ch. 1116.) *in quibusdam Eccleſiis clericorum officia, & illud famoſiſſimum Monaſterium Fuldenſe usq; ad ultimum redactum eſt inopiam.*

X. *Scholaſticum* ſtatum ſeculi hujus quod attinet, multa in eo occurrunt memoratu digniſſima. I. *Theologia*, à Petro [*a*] Lombardo, Pariſienſi Epiſcopo, nova, & à Græcis mutuata, traditur Methodo, quæ tum ipſi aliquandiu Pontifici Romano [*b*] ſuſpecta fuit, & damnata; tum à Pontificiis [*c*] ſcriptoribus exploſa. *Scholaſtica* illa dicitur, κατ' ἐξοχήν. & certis [*d*] abſoluta ætatibus, deterior indies evaſit. II. *Iuris civilis prudentia* Imperatorum [*e*] auxilio reſtituta, & publi-

publicè in Academiis propoſita, juri Canonico, à Gratiano, Bononienſi Monacho [f] conſcripto, [g] cedere paulatim cogitur. II. *Arabum* Lingua & ſtudia, tum ab aliis, tum ab [h] Anglis inprimis, excoluntur: Europæis variis librorum translationibus [i] commendantur: [k] ipſaque religionis Muhammedicæ arcana deteguntur: qua tamen occaſione non modò Græci [l] Philoſophorum fontes paulatim negliguntur; ſed ipſa quoque Chriſtiana Theologia Arabum ſpinis & [m] barbariſmis intricatur atque impeditur. IV. *Philoſophia*, [n] & ipſa in varias ſectas diſtracta; & ſuperbo in Theologiam dominio intolerabilis turpiter degenerat. V. *Philologia*, ſeu politior *Latinorũ* & *Græcorum* literatura à quibuſdam paucis in Anglia & alibi [o] in honore eſſe cœpit.

[a] De quo *Geneb.* an. Ch. 1180. Petrus Longobardus, *cognomento* Magiſter ſententiarum, *qui Epiſcopus Pariſienſis an. Ch.* 1160. *ſalutatus eſt, ceſſione Philippi, Eccleſiæ illius Archidiaconi, Ludovici Regis fratris, qui alioqui à majore parte electus fuerat, primus Latinorum*

rum Theologiam, per antiquorum libros ſparſam, in certam Methodum *artemq́; redigit, æmulatione Iohannis Damaſceni, qui ante quingentos annos idem Græcis & Syris præſtiterat. Illa autem Methodus illo Danielis verſiculo recoli poteſt:* Eſt Deus in cælo, revelans myſteria. *Nam apud utrumq́;* primus *liber eſt de Deo, Deiq́; eſſentia, natura, proprietatibus, attributionibus:* ſecundus *de cælo, Cælique & rerum cælo comprehenſarum creatione:* Tertius *de revelatione ſive incarnatione Domini, & rebus ad eam pertinentibus.* Quartus *de Myſteriis & Sacramentis.* Sunt, qui ſcribunt, *Petrum Lombardum, Petrum Comeſtorem,* (qui à *comedendo* ſic dicebatur, quòd dicta Biblica ita memoriter recitaret quaſi ea in ventrem memoriæ ſuæ condidiſſet) TrecenſemPresbyterum, & *Gratianum*, fratres fuiſſe; quos tamen alii, quòd Petrus *Lombardus* Novaræ natus ſit, *Gratianus* in Hetruria, *Comeſtor* Trecis in Campania, refutant. Alii utroſq; conciliantes, nothos eos fuiſſe volunt. Vide *Gault. Geneb. Bar. Dan.* Prol. in l. 1. ſentent. c. 4. Alii fratres ſpirituales; *Naucl.* p. 192.

[*b*] Hinc Epiſtola Papæ Alexandri contra Petri Lombardi hæreſin, quæ extat in Hiſt. Anglic. *Matth. Par.* p. 132. R*elatum fuit præterea ejuſdem Papæ Apoſtolatui, quod* Magiſter

Pe-

Petrus Lombardus, in quibusdam ſcriptis ſuis, ab articulis fidei deviavit. Unde Willhelmo, Senonenſi Archiepiſcopo literas ſub hac forma direxit. Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, VVillielmo Senonenſi Archiepiſcopo ſalutē. Cùm in noſtra olim eſſes præſentia conſtitutus, tibi viva voce injunximus, ut ſuffraganeis tuis Pariſiis tibi aſcitis ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri quondam Pariſienſis Epiſcopi, qua dicitur, quod Chriſtus ſecundum quod eſt homo non eſt aliquid, omnino intenderes, & efficacem operā adhiberes. Inde ſiquidem eſt, quòd fraternitati Tuæ per ſcripta Apoſtolica mandamus, quatenus, quod tibi cū præſens eſſes, præcepimus ſuffraganeos tuos Pariſios convoces, & una cum illis & aliis viris religioſis & prudentibus præſcriptam doctrinam ſtudeas penitus abrogare, & à Magiſtris Scholaribus ibidem in Theologia ſtudentibus, Chriſtum, ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore conſiſtentem, præcipias edoceri: Univerſis firmiter, & diſtrictè injungens, quòd doctrinam illam de cætero nequaquam docere præſumant, ſed ipſam penitus deteſtentur. Scripſit etiam eiuſdem diebus, contra eun-

Digitized by Google

eundem Petrum Lombardum, Abbas Ioachim Florenſis cœnobii, libellum, vocans eum hæreticum & inſanum; eo quòd in libro Sententiarum, quem compoſuerat idem Petrus de unitate ſive Eſſentia Trinitatis dixit : quoniam quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. *& illa non eſt generans, neque genita neq; procedens. Contra hanc aſſertionem oppoſuit* Abbas *præfatus, quod non tam Trinitatem aſtruebat in Deo, quàm quaternitatem, &c.* Vide etiam ſeqq. & Centur. *Bal.* p.215. *Geneb.* p 615.

[*c*] Id quod bifariam fit. *Alii* enim, in ipſa tractatione non pauca deſiderârunt, *Guilelmus* nempe, Senonenſis Archiepiſcopus, *Abbas Ioachimus* Florenſis, *Iohannes* Cornubienſis, qui ut dictum, hæreſeos Petrum Lombardum poſtulârunt. *Alii*, modum tractationis reprehenderunt, facilè prævidentes fore ut ſemel ejecta authoritate Scripturæ Sacræ in probandis fidei dogmatibus, Patribus aliquando ſuccederent Philoſophi, quorum placitis id ipſum tribuatur, quod ſolis Prophetarum competit oraculis, Evangeliſtarum & Apoſtolorum, quod revera ſequioribus ſeculis accidit. Unde tot bonorum virorum, in ipſo etiam Papatu querelæ, de nova hac & periculoſa Theologizandi ratione. Vide *analecta* noſtra, p.13.14. quibus adde *Avent.* annal.

nal. lib.6.p.638. *Ea tempeſtate Petrus Longobardus Lutetiæ Pariſiorum, creatur Pontifex. Is quidem Theologumenon quatuor libros ſcripſit, ſed ſacroſanctæ Philoſophiæ veritatem, fontemq; puriſſimum, ſicuti plus millies à Iacobo* Fabro*, Iodoco Clichtoveo præceptoribus meis accepi, atq; audivi, cæno quæſtionum, rivulis opinionum conturbavit. Id quod & uſus rerum magis (niſi cæci ſimus) ſatis ſuperq; docet.* Theologi Reformati de famoſo hoc Petri Lombardi ſcripto in quatuor tomos diſtributo, ipſaque adeò Theologia Scholaſtica ita ſentiunt.

I. Cauſam Pontificis & Pontificiæ religionis in talibus quidem libris ſtrenuè agi, multa tamē *Lomb.* excidiſſe, quæ Papiſticis placitis è diametro repugnant; de Scriptura, Prædeſtinatione; electione & reprobatione, Libero arbitrio, Euchariſtia, quæ excerpſit *aub. Catal. teſt. verit.* l,15. pag.501.

II. Quatuor *Petri* libros poſtea fuiſſe totius Scholaſticæ doctrinæ velut baſin, & κυρίας δόξας. Unde tot reperias Lombardi commentatores, quot celebriores extant Doctores Scholaſtici. Nomina habes in Prol. *Dan. cui*, c.4. confer c.6.

III. Notoriam hanc Theologiæ Methodi mutationem magna ſolis Eclipſi, multorum judicio,

dicio, fuiſſe prænuntiatam. *Matth. Paris* in 4. Chronic. lib. hoc habet: *Anno Domini* 1140. *Eclipſis per totam Angliam facta eſt cum terræmotu ita terribilis, horribilis, & tenebroſa, ut cœleſtia defeciſſe viderentur. Quod* (ſic conjecit *Balæus*, in Centur. p. 188) *& huic cõgruere puto: Cum aperiſſet ſigillum ſextum; ecce terræ motus magnus. Et Sol factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus*, Apocal. 6. *Per Eclipſin, ſeu obſcurationem Solis intelligimus hoc loco defectũ puræ doctrinæ Ieſu Chriſti. Tunc cæptum eſt Oxonii, Pariſiis & alibi, curioſè diſputari de authoritate Petri, de dignitate ordinis Monaſtici, de præſtantia ſacri cœlibatus, de conceptione Mariæ, de fermento & azymo, de Deificatione panis in altari per transſubſtantiationem, &c. Hæc per prædictã Eclipſin cœli enarrabant, ad gloriam Dei: ut notum eſſet electis, ſic Sc. impleri.*

IV. His juventutem ſtudiis ita fuiſſe occupatam, ut illa Bibliorum lectioni vacare non potuerit, nec voluerit. Vide *Anal.* noſtra p. 19. Quid, quòd ipſe Bibliorum contemtus hunc abortum peperit? *Monachi his diebus* (idem refert *Bal.* p. 189.) *videntes Sacræ Scripturæ cognitionem frigeſcere, & contemptui eſſe præ ſtudio Iuriſconſultorum; diſputationes Scholaſticas de rebus*

bus ſacris inſtituerunt. Otho Friſingenſis Epiſcopus (inquit Æneas Sylvius) primus diſputandi ſubtilitatem ex Ariſtotelis doctrina receptam, ad Bavaros & Auſtriacos detulit, ut impii cultus, & hypocritæ Monachorum inventiones pro neceſſariis ac bonis operibus deinceps haberentur, imo ut pro articulis fidei in Eccleſiis manerent: allegoricas interpretationes, morales diſciplinas, patrum ſententias, doctorum cenſuras, & ex Ariſtotele reſolutiones ac problemata Scripturis addiderunt. Tunc nimirum intrabant ſpuriorum doctrinæ, quibus, Evangelio ſepulto, omnia dimetiebantur. Petri Lombardi ſententiæ Theologicæ, Petri Comeſtoris Scholaſticæ Hiſtoriæ, & Gratiani Monachi Pontificia decreta, ubique dominari cœperunt. Abſq; his nihil ſanum, nihil purum, nihil credebatur in Eccleſiis religioſum.

IV. Ipſum, hujus Theologiæ Methodi apud Latinos authorem Petrum Lombardum, haberi à multis teſtem falſum, ſcriptorem pernicioſum, denique etiam ridiculum. Vide proleg *Dan. c. 5.* confer ſub finem Elenchum eorum, qui primo libro ſententiarum in citanda tum S. Sc. tum Patrum authoritate ſunt *à Petro Lombardo* vel addita, vel detracta, vel commutata, vel memoriæ lapſu ſuppoſita.

[*d*] Tri-

[*d*] Triplex hujus Theologiæ obſervanda eſt ætas, *Vetus, Media, & Nova.* Veteris Theologiæ Scholaſticæ, initia à Lanfranco Papienſi, quemadmodum ſcribit *Danæus*, cœperunt: ſed ea durâſſe poſtea videtur usque ad Albertum Magnũ penè per annos 200. videlicet ab anno Domini 1020. uſque ad annum 1220. quo tempore Lutetiæ Pariſiorum ipſum Scholaſticorum Theologorum collegium, & luſtrum, quod Sorbona dicitur, ædificari cœptum eſt, ne non tanta urbs hoc malum venenum maturè intra viſcera ſua reciperet. Hæc ætas habuit Lanfrancum, Guitmundum, Anſelmum, Hugonem de ſancto Victore, Gratianum, Lombardum, Comeſtorem, Petr. Clericum, Rupertum, Leonem Tuſcum, Guillelmum Antiſiodorenſem, Cyrillum (illum impurum Monachum montis Carmeli, qui ſcripſit novum Evangelium) Petr. Cluniacenſem, Bernardum Compoſtellanum, Hugonem Barcinonenſem, Vincentium Gallum, Alexandrum Alenſem, (qui primus in quatuor libros Sententiarum P. Lombardi commentatus eſt) Gualterum Pictavienſem. Hæc vetus Scholaſtica certè quidem pudentior adhuc erat: & quanquam Patrum Eccleſiaſticorum, i.e. hominum Eccleſiaſticorum dicta ipſi verbo divino adæquabat, tamen verbum Dei tractabat, & commentariis pro captu illorum hominum, id eſt, pro ignorantia & barbarie illius ætatis explicabat. De hac igitur ipſa ætate ſic in P. Dialectico ſcri-

ſcribit Joh. Trithemius, abbas Spanhemenſis. *Ab hoc tempore philoſophia ſecularis ſacram Theologiā ſua curioſitate inutili fœdare cœpit.* Ariſtoteles quidem in ipſius S. Theologiæ templi & ſacrarii limen jam introductus erat: nondum tamen in ipſum templum, vel illius adytum. In quod tamen poſtea perrupit, aut potiùs à Media Scholaſtica, quæ ſecuta eſt, deductus fuit.

Media Scholaſtica cœpit ab Alberto magno, i.e. anno Domini 1220. & pergit usque ad Durandum de ſancto Portiano, qui vixit anno Domini 1330. Itaque durat illa ferè per annos centum & decem, qua florente Ottomannus ille Turcarum Imperator, & nominis Chriſtiani infeſt.ſſimus hoſtis exoritur: Monaſteria in Occidente præſertim, ubi hæc Scholaſtica vigebat, hac eadem ætate furioſè exſtruuntur, crevitque hoc locuſtarum genus in immenſum. Habuit hæc media Scholaſtica Albertum Magnum, tanquam primum parentem & authorem, qui Philoſophiam illam prophanam, Ariſtotelicam dico, jam quidem in limen S. Theologiæ impudenter & temere à ſuperioribus introductam, ipſe in intima & adyta ipſa ſacrarii Chriſti intromiſit, illique in ipſo illo templo principem locum & primariam ſedem collocavit. Superiores enim Scholaſtici Patrum quidem, ſed Eccleſiaſticorum duntaxat, dicta, ipſi ſacro & divino Verbo

F exæ-

exæquabant: (quandoquidem in toto P. Lombardo ne nomen quidem Ariſtotelis legitur) ipſe verò, & qui ab eo profluxerunt, omnes ſcripta Ariſtotelis philoſophi divino ipſi Verbo ubique comparatunt: adeò ut quæ veſtigia exiguæ illius reverentiæ erga Deum verbum reſtabant, hoc ſeculo & à Media Scholaſtica prorſus extincta, & ex hominum animis deleta perierint. Hinc fit, ut in iſtius ætatis ſcriptoribus exſtet nomen ipſum *Ariſtotelis* aut *Philoſophi* primo loco poſitum, ſcripta ejus demonſtratione niti cenſeantur: quæ autem verbum Dei docet, crudelitate & probabili potiùs opinione teneri, quéadmodum quum alii plerique, tum verò Occan ille celeberrimus Scholaſticus in Centilogio ſcribit, & ſæpiſſimè reſpondet. Hinc Metaphyſicorum Ariſtotelicorum libri ipſis auguſtiſſ. ſancti Spiritus arcanis & Dei verbo ſunt exæquati. Hinc denique evenit, ut qui illa ætate in Theologia Scholaſtica florere, celebréſque haberi vellent, in Ariſtotelis ſcripta vel Phyſica, vel Logica, vel Metaphyſica commentationes accuratas ederent, ac in illis ſcriptis plus operæ & ſtudii, quàm in ipſa ſacra Scriptura ponerent. Hanc enim per tranſennam, ut ajunt; ſcripta verò Ariſtotelis tanquam proprium ſuę profeſſionis opus & ὑποκείμενον ex profeſſo pertractabant. Ac quidem primus ipſe Albertus ſummam Philoſophiæ ſcripſit: & in libr. Phyſic. Ariſtotelis, lib. 2. de Generat. & corrupt. lib. de Anim, de ſomno & vigi-

vigilia, de inſomniis commentatus: itémque ſcripſit de plantis & vegetabilibus, ac de motibus animalium. Thomas Aquinas qui Albertum præceptorem habuit, illius veſtigia ſecutus eodem modo in Theologia tractanda verſatus eſt: & ſic deinceps alii. Hac ætate farragines illæ, *de unitate formæ*, *de Vnitate intellectus*, *de Vniverſalibus*, *de Entitate*, *de Ideis* quæ ſunt in Deo, *de realitatibus* ſunt conſutæ. Deinde iſtæ quæſtiones, ut Philoſophia prophana prorſus in articulis fidei regnaret, & omnia in iſtorum Chriſtianorum ſcholis moderaretur, fieri cœptæ ſunt; impiæ illæ quidem, ſed anxiè tamen etiamnum hodie quoque inter iſtos vexatæ, *An Deus poſſit quodvis malum, etiam odiũ ſui præcipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum ſui: An poſſit univerſalem naturam ſine ſingularibus producere & conſervare: An potuerit hunc Mundum etiam ab æterno meliorem, quam fecit, condere: An tres perſonæ poſſint ſimul eandem naturam aſſumere: An hæc propoſitio, Deus eſt ſcarabeus, aut cucurbita, tam poſſibilis ſit, quàm hæc, Deus eſt homo: An numerus perſonarum pertineat ad primam intentionem, an ad ſecundam: Vtrum ideæ in Deo ſint practicæ an ſpeculativæ: An in Deo ſit intellectus agens &*

paſſibilis: *An anima Chriſti potuerit mentiri*: *An ſibi meritus ſit Chriſtus*: *Vtrum Pontifex* R*omanus habeat majorem poteſtatem quàm Petrus, an parem*: & cætera hujuſmodi vel blaſphema ipſa per ſe, vel quæ ad manifeſtam impietatem feneſtram & viam aperiunt. Hinc Quot-libetariæ quoque quæſtiones ab iſtis propoſitæ. Hæc fuit igitur illius ætatis Theologia, & ingeniorum ſtudia hujusmodi: ſcriptorum materia & occupatio talis, & tam à vera pietate aliena. Hæc ætas habuit Albertum Magnum, Thomam Aquinatem, Petrum de Tarenteſia, Guillielmum, Epiſcopum Pariſienſem, Durandum, Egidium Romanum, Hugonium Conſtantinopolitanum, Richardum de Mediavilla, Johan. Scotum, nomine Duns, qui perpetuus Thomæ Aquinatis impugnator fuit: adeò ut quod de Carneade & Chryſippo ſcribit Cicero, idem de iſto & Thoma poſſit affirmari, nihil vel dicturum vel ſcripturum fuiſſe hunc Scotum, ſi nihil Thomas priùs vel dixiſſet vel ſcripſiſſet: tanta fuit iſtorum diſcordia fratrum. Habuit quoque hæc ætas Alanum de Inſulis, Alexandrũ de Alexandria, Nicolaum de Lyra, Auguſtinum de Ancona, Bonaventuram, Guilielmum Occanum, Durandum de ſancto Porciano, cui poſtea Thomæ doctrina & ſophiſtica diſplicuit, quaſi omnis mali fons & cauſſa.

Sequitur *Nova* ſcholaſtica, id eſt, ultima, & peſ-

peſſima certè quidem iſtius Theologiæ ætas, quæ poſt Durandum cœpit ab Hereno de Bojo, Britone & Carmelita, illius Cyrilli nebulonis, qui Novum Evangelium ſcripſerat, blaſphemo diſcipulo, & ad ſequentia tempora, magno Eccleſiæ malo, propagata eſt, usque ad annum Domini 1514. quo primùm à M. Luthero everti cœpit, & ab iis qui poſtea ſequuti verum Evangeliũ docuerunt. Hæc ætas longè fuit impudentiſſima. Nam quæ modeſtia in ſuperiori & Media ſcholaſtica adhuc manſerat, ne temerè de quibusdam ritibus affirmaretur, iſta ætate ſublata eſt. Et de rebus etiam abditiſſimis & maximè arcanis, imò verò ſoli ipſi Deo notis magiſtraliter affirmari cœptum eſt, juxta illud vetus, Ἀμαθία μὲν θάρσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, id eſt, interprete Hieronymo; Imperitia confidentiã, eruditio timorem creat. Denique impurior quævis doctrina, tanquam veriſſimus articulus fidei, publicè hoc ſeculo introducta eſt, privatim quidem quibusdam reclamantibus, quorũ vel judicia contemnebantur, vel liberiores voces flammis ipſis coërcebantur. Ergo pronuntiari & definiri cœpit de Papa ipſo, quod antea tantùm quærebatur, licet abſurdè, *Vtrum Pontifex Romanus ſit ſimplex homo, an quaſi Deus: an participet utramque naturam cum Chriſto: de eius poteſtate ſupra Concilium: de Virginis Mariæ immunitate à peccato: de altero*

tero ſigno in S. Domini Cœna laicis interdicendo: & ſic de cæteris. Planè enim & ſuperciliosè Magiſtri iſti determinarunt de iſtis quæſtionibus: ſed falſiſſimè, & in Deum ac Eccleſiã ipſam contumelioſiſſimè. Ergò, quid in Media Scholaſtica adhuc poſitum erat velut in quadã deliberatione ſeu quæſtione, fuit ab iſta decretũ pro certiſſimo fidei Chriſtianæ articulo. Sic malum malo additum eſt, ut jam nihil penè iſta poſtrema Scholaſtica eſſe poſſit deterius, niſi univerſa Chriſtiana doctrina funditùs everteretur. Hæc ætas habuit Joan. de Regno, Henricum de Urimaria, Joannem Capreolum, Petrum de Aliaco, Joannẽ Gerſonem, Bernardinum Senenſem, Gabrielem Bielem, & ſimiles alios: ac tandem Eckium illum ſophiſtam, ac Genebrardum inpudentiſs. Monachos, vera eorum, qui in reprobum ſenſum à Domino traduntur exempla. Porrò in eo Scholaſtica omnino omnis conſenſit, ut quicquid contra recepta & probata à ſe dogmata, ritusque, à Romana Eccleſia traditos, & jam invectas ſuperſtitiones, in verbo Dei ſcripto reperitur, omne illud variis diſtinctionibus, ſophiſmatis atque oppoſitionibus obrueret: denique hominum ſcripta divinis exæquaret. Ac tandem Philoſophiam humanam, inprimis autem Ariſtotelicam in ſupremo ſuæ Scholæ ac controverſarum quæſtionum dijudicandarum ac decidendarũ gradu & throno tan-

quam

quam ruinam collocaret. Et tamen illa Pauli admonitio præceſſerat, *Videte ne quis ſit, qui vos deprædetur per Philoſophiam:* item & illa Tertulliani, *Philoſophi Patriarchæ hæreticorum:* Sed & Hieronymi ipſius, *Mihi videntur Ægyptiorum primogenita, dogmata eſſe Philoſophorum, quibus deceptos homines atq; irretitos tenebant*, ſi modò ad Dei verbum, vel veteres Patres iſta Scholaſtica attendiſſet. Et hæc quidẽ de Scholaſticæ Theologiæ progreſſione ac varia ætate & differentiis dicta ſint. Ita de hac Theologia ejusq; diverſis ætatibus loquuntur *Dan.* lib. cit. c. 2. *Hoſpin.* de Orig. error. p. 98. *Alting.* Theol. Hiſt. Hoc. 1. de Theologia, & 2. de Scriptura, cum quibus conferri poſſunt *Anal. noſtra* p. 14. & *ſcriptum German.* Wegweiſer/ par. I. p. 57.

[e] *Geneb.* l. cit. Wernherus, *juris Interpres, qui auditor juris conſultorum Conſtantinopoli fuerat*, Lotarium Saxonem, *minus in bellis civilibus impeditum hortatur, ut lites præcipiat ex legibus* Romanis *judicari, & easdẽ* Romæ *& Bononiæ enarrari. Sola enim Græcia ſtudia veteris illius doctrinæ, ſicut & cæterarum fere artium, retinuerat, ut indicant commentarii in jus Romanum Conſtantinopoli ſcripti. Antea verò*, ut idem habet, *per 600 amplius annos Romanæ leges ex Italia exulaverant.*

Digitized by Google

Nam cum eam Gothi & Longobardi occupâſſent & lacerâſſent, patrias leges in illam intulerunt, Romanis *legibus oppreſſis, & forma judiciorum mutata.* Confer *Calviſ.* an. Chr. 1200. *Buchholc.* a. 1133. Hic *Irnerius*, ſive *VVernherus*, vel *Guarnerius*, JURIS LUCERNA vulgo dicebatur. Bononiæ Jus civile profiteri cœpit annis 600. poſt Juſtiniani tempora elapſis. Ex Schola poſtea ejus prodierunt viri doctiſſimi, (*Placentius* præſertim, qui primus in monte Peſſuvio jus docuit, & *Azo*: ſummam is ad omnes Codicis titulos ſcripſit) qui juris profeſſionem in Italia conſervârunt & in Galliam transportârunt. Hanc revocationem & juris civilis reſtitutionem in annum Chriſti 1150. incidiſſe refert vir doctiſſimus *Valentinus Forſterus*, J.C. lib. 3. Hiſt. jur. Civilis Romani. Confer *Urſp.* p. 278.

[f] Vel *confuſo* potiùs; Ita enim *Avent.* annal. l. 6. p. 624. *Sub idem tempus* Gratianus *ille ius Pontificale dilaniavit atq;* confudit. *Etenim, uti eſt in noſtris Bibliothecis ſincerum, duas continet partes: prima, acta ſunt univerſorum Conciliorum, quæ quidem recepta eſſe conſtat: altera, Conſtitutiones, Epiſtolas, reſcripta,* Maximorum *Pontificum complectitur, ut quæq; geſta fuere, cauſæ, adſeſſores, teſtes, adductis locorum, temporumq; momentis, commemorantur.* Buchol. ex *Martin. Polon.* Tritb.

ad

ad an. Ch. 1151. Gratianus *Monachus poſt Ivonem Carnotenſem Decretorum opus, ex Veterum ſtatutis, ſanctionibus & ſcriptis compoſuit, quo juris Canonici ſtudioſi hodie utuntur. Hoc opus* Eugenius *Pontifex & approbavit, & in Academia publicè proponi mandavit. Geneb.* an. Ch. 1160. Gratianus *Bononienſis Monachus, rhapſodus libri Decretorum, quem & ſummo Pontifici confirmandum obtulit.* Confer *Chron. Vrſperg* p. 278. *Nicet. Gener.* 39. p. 192. b. De hoc *Gratian. Decreto* obſerva

I. Multa, ut dignitati Papali gratificari poſſet, ab eo mala fide citata eſſe, & adulterata. Hujus, criminis reus agitur à *Rainoldo* cont. Hart. p. 114. & 395. *A Genebrardo*, vide ſupra Sec. XI. p. 336.

II. Ea, de Scriptura Sacra, contra primatum, & anarchiam Pontificiam, de Baptiſmo, Euchariſtia apud Gratianum extare teſtimonia, quibus Eccleſiæ Romanæ praxis è diametro repugnat. Magno ea ſtudio collegit *Ioh. Hallerus*, Eccleſ. Bernenſ. Miniſter, an. Chr. 1572. & *author Catal. Teſt. verit.* l. 15. p 507.

[g] Pontifex enim Romanus, cùm vidiſſet Juri Civili non tantùm famam magnam, ſed etiam ſummam admirationem eſſe natam, & ad ejus ſtudia optima quæque ingenia ſe contuliſſe; ſuſpecta hæc res fuit, novamque ei ſolicitu-

dinem injecit, præſertim quòd viderit Imperatores hac ratione ad vetera jura in conferendis Epiſcopatibus ac Abbatiis, tendere, ipſaque juris Civilis authoritas eveheretur, in contrarium niſus, Canones, decreta, Synodorum, Pontificum præſcripta, ſedis Romanæ placita extollere cœpit, ipſisque legibus Imperatoriis, longè anteferre. Cumque in unum hæc omnia per Gratianum redigerentur volumen, operam ſtatim dedit, ut authoritate ſua hoc *Pludermentum deliriſſimum* (ita *Biblianden* noſter appellavit Comment. in Lev.p.5.) Provinciis omnibus obtruderet. Unde factum mox, ut per Italiam, Galliam, Germaniam Jus hoc Eccleſiaſticum publicè & in Scholis legeretur, & in Dicaſteriis exerceretur. Hæc cauſa eſt, quòd ſuam hic tum multi alii, tum Itali præſertim ſedi Romanæ probare voluerint obedientiam & devotionem. Unde tot Epitomæ, Compendia, Summę juris, &c. Et ſanè, niſi temerariis, Canoniſtarum conatibus obicē Deus poſuiſſet Reformatione Eccleſiæ, neſcio an ullum blaſphemiæ genus excogitari poſſet, quod ut palpum obtruderent Pontifici Romano, non eructâſſent. Eo jam in aſſignandis ei Epithetis dementiæ ſunt delapſi, ut ipſos tam craſſæ phraſeologiæ pudeat Jeſuitas. Vide quæ de hac re ſcripſimus in noſtro ὁδηγῷ P.I.p.229. P.II.p.47.

[b] Cujusmodi fuit I. *Daniel Morleye*, qui; *Baleo* teſt, Centur.p.229. ex *Lelando*; Mathematicæ artis cupiditate inſolita tactus animum ad Arabes, ea

ea ætate inprimis eruditos, adjecit, quorũ diſciplina tunc latè in Hiſpania floruit. Profectus igitur in Toletum, Arabum ſcrinia excuſſit, &c. Claruit a. Ch. 1190. 2. *Robertus Ketenenſis*, qui peragratis Galliis, Italia, Dalmatia & Græcia, tum demũ pervenit in Aſiam: ubi non parvo labore ac vitæ ſuæ periculo, inter Saracenos, truculentiſſimum hominum genus Arabicam linguam ad amuſſim didicit. In Hiſpaniã poſtea navigio traductꝰ, circa fluvium Hibernum, aſtrologicæ artis ſtudio, cum Hermanno quodam Dalmata, magni ſui itineris comite ac ſocio, ſe totũ dedit. Floruit a. Ch. 1143. *Bal.* 3. *Athelardus*, Bathonienſis Cœnobii Monachus, qui & ipſe quoq; ampla Arabica ſpolia ex Ægypto & Arabia in Angliam deportavit. *Bal.* p. 183. Vixit an. Ch. 1130. regnante Henrico I.

[*i*] Id quod operâ cumprimis *Athelardi* Bathonienſis præſtitum fuit, ceu diximus in Anal. noſt. p. 256. & id ipſum confirmat l. cit.

[*k*] *Robertus* enim *Ketenenſis*, Archidiaconus Papilonenſis in Hiſpania, electus, pretio illico conducitur non exiguo, per Petrum quendã Cluniacenſium Monachum Abbatem; dum Adelphonſus, inſignis quidam Princeps, Caurienſem urbem expugnavit; ut transferret ex Arabica lingua in ſermonem Latinũ Alcoranum, quod & opera ejus præſtitum fuit; ſed non ad mentem ubique authoris. Caſtigata ſuperiori ſeculo Verſio hæc fuit à *Bibliandro* noſtro, & una cum aliis, contra Saracenorum deliria, ſcriptis, edita Baſileæ.

[*l*] Ju-

[l] Juxta querelam *Ioh. Seldeni*, in Anal. noſtris p.236. propoſitam. Huc faciunt graviſſima illa, graviſſimi authoris, *Lud. Vivis* de cauſ.Corrupt.art.l.5. p.179. verba; ordine quædam recitabimus, quòd non ſemper occaſio recurrat hanc reciprocandi ſerram, nec ubique conſultum ſit ad alios lectorem relegare authores. *Sed enim vero neque hæc ipſa* (de Phyſica, prima Philoſophia, cœlo & generatione, ut ex præcedentibus colligitur) *Ariſtotelis volumina potuerunt intelligere, primum propter locutionem aſtrictam & ex brevitate obſcuram: hinc propter intricatas & obliquas ſententias: tum etiam ob immodicas ſubtilitates, quibus* Ariſtoteles *plerumque non exacuit ingenia, ſed perturbat, & frangit; tenebrasque, & hallucinationem inducit aciei mentis, dum conatur minutias quasdam tenuiſſimas oſtendere, & inutiles per ſe, & quæ intentionem obtutus ingenii ſubterfugiant, ac fruſtrentur: Non aliter, quam ſi fila monſtrare quis vellet rudentum illius navis, quam Myrmecides fabricatus eſt apicula contectam: vel diſpunctiunculas Iliados, quæ nuce capiebatur. Tales ſunt illius libri, Græcè quidem ut ab eo ſunt perſcripti, nam Latinos ita legimus, ut ænigmata audire te credas, non*

non planum ſermonem atq; explicatum, qualẽ inter ſe homines conſueverunt uſurpare. Dicet aliquis grave incommodum, ſed ideo tolerabile quod adjuvemur bonis Interpretibus ac explicatoribus ab Arabia usq; accitis: Quibus tandem? Verſione Arabica, & commentariis Aben-rois*, quem Philoſophi de noſtra Schola, qui poſt eum ſcripſere, ita ſunt amplexati, ut pene authoritati Ariſtotelis adæquârint, nec ſolùm, qui longo poſt intervallo vix erunt, ſed qui illius quoq; ætate: quod factum eſt & ignorantia meliorum, & admiratione mercimonii lingua & ſenſis peregrini: ut gratiam ei conciliaret apud primos novitas, apud poſteros vetuſtas, nomen eſt cõmentatoris nactus, homo qui in* Ariſtotele *enarrando nihil minus explicat, quàm eum ipſum, quem ſuſcepit declarandum.* Sed *nec potuiſſet explicare etiam ſi divino fuiſſet ingenio, quum eſſet humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem adferebat, quo in* Ariſtotele *enarrando poſſet eſſe probè inſtructus? Non cognitionem veteris memoriæ, non ſcientiam placitorum, priſcæ diſciplinæ, & intelligentiam ſectarum, quibus Ariſtoteles paſſim ſcatet. Itaq; videns eum peſſimè Philoſophos omnes antiquos*

Digitized by Google

quos citare, ut qui nullum unquam legerit ignarus Græcitatis ac Latinitatis, pro Polo, Ptolomæum ponit, pro Prothagora Pythagoram, pro Cratylo, Democritum, libros Platonis titulis ridiculis inſcribit: & ita de iis loquitur, ut vel cæco perſpicuum ſit literam eum in iis legiſſe nullam. At *quàm confidenter audet pronunciare hoc aut illud ab eis dici, &, quod impudentius eſt, non dici: quum ſolos viderit* Alexandrum, *Themiſtiũ, & Nicolaum Damaſcenum: & hos, ut apparet, verſos in Arabicũ perverſiſſimè ac corruptiſſimè. Citat enim eos nõnunquam & contradicit, & cum eis rixatur, ut nec ipſe quidem, qui ſcripſit intelligat. Ariſtotelem verò quomodo legit, non in ſua Origine purum & integrum, non in lacunam Latinam derivatum, non enim potuit linguarum expers, ſed de Latino in* Arabicum *transvaſatum. In qua transfuſione ex Græcis bonis facta ſunt Latina non bona, ut ille dicit, ex Latinis verò malis, Arabica peſſima.* Ad exempla jam pergit, quibus probat vitioſa, eſſe Averrois in Ariſtotelem, quem ne quidem intellexerit, commentaria, quæ recenſere nimis eſſet fuſum. Dolendum quidem fuit, Chriſtianorum Scholas eum barbariei & linguæ Græcæ ignorantiæ ceſſiſſe locum, ut ab Arabibus ſuas mutua-

mutuare coacti ſunt authorum Græcorum verſiones. Injuriam tamen magnus ille vir facit Arabibus, quod exiſtimet, Ariſtotelem, cæteroſque veteris Philoſophiæ Antiſtites, Arabes non ex Græcis tranſtuliſſe fontibus, ſed Latinis rivulis. Certum enim eſt, florente Saracenorum Imperio, Philoſophica ſtudia, ita honorata fuiſſe à *Chaliſis*, ut non pauci fuerint, qui lautis ab illis conducti ſtipendiis, & unctis pellecti minervalibus, literas illas vel publicè tradiderunt; vel ex monumentis Græcis in ſermonem Arabicum transvasârunt. Nec mirum eſt, translationes iſtas Textui originario examuſſim nõ ſemper reſpondere, cùm Interpretum non rarò vitio & exemplarium varietate irrepſiſſe tam enormis inter ἀρχέτυπα & ἔκτυπα diſcrepantia videatur. Vide analecta noſt. p.255. De ipſa verò Philoſophandi ratione apud Arabes, hujus loci non eſt excutere, quàm rectè de illa ſentiat Vives: Certum eſt plures alios, neq; verò indoctos eſſe, quorum benignius de eorum ſtudiis Philoſophicis eſt judicium. Vide *Analecta* p.307.

[*m*] Quemadmodum enim & hoc, & præcedenti jam ævo, Theologia *Loquentiū*, ſeu *Scholaſtica*, de qua prolixè agit Clariſſ. *Poc.* in Spec. Arab. & non in *Hiſt. Orient.* l.2.c.ult. in Arabū Scholis magno triumpho fuit graſſata; ita ab iisdem à Chriſtianis recepta, non ſimplicitatem tantùm Theologicam variis perplexitatibus involvit; ſed & barbariſmis, & aſperis loquendi formulis infe-

infecit. Termini enim, hæcceitates, entitates, quidditates, & ſi qui ſunt alii, quibus caſtimonia Latiorum temeratur & violatur, ad Arabum blandè ſonantes voculas æquipollentes ſunt formatæ, vel potiùs deformatæ. Quo enim quis ad *Loquentium* illorum ſeu Scholaſticorum Arabum propiùs accedere niſus eſt mentem, eò etiam pertinacius eorundem exprimendis verbis inſtitit. Unde tandem ſcabra illa & inſulſa nata fuit Scholaſticorum Latinitas. Hinc fortè eſt, quòd, idem *Lud. Viv.* lib. cit. p.183. commemoret, etiam Thomæ Averroem Arabem multos præferre.

[*n*] Teſtatus enim *Trith.* (ut diximus de *Petro Abelardo* Dialectico, qui vixit a. Ch. 1150.) quòd *Philoſophia ſecularis ſacram Theologiā ſua curioſitate inutili fædare cæpit.* Et *Avent.* annal. lib. 6, p. 624. *Hiſce quoque temporibus fuiſſe reperio Rucelinum Britannum, Magiſtrum Petri Abelardi, novi Lycæi conditorem. Qui primus ſcientiam vocum ſive dictionum inſtituit, novam Philoſophandi viam invenit. Eo namque authore duo Ariſtotelicorum Peripateticorum genera eſſe cæperunt, unum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod ſcientiam rerum ſibi vendicat; quamobrem* Reales *vocantur. alterum novum, quod eam diſtrahit,* Nominales *ideo nuncupati, quòd avari re-*

ri rerum, prodigi Nominum, atq; Notionum, verborum videntur aſſertores. Illorũ anteſignani *Thomas & Scotus*; Horum *Occamus, Marſilius, Ioh. Buridanus.* Atque ſic fundamenta & ſubſidia Theologiæ Scholaſticæ hoc penè ſeculo concurrerunt omnia. 1. A *Damaſceno*, cujus libri ſub Eugenio III. primùm, ſeculo hoc adulto, in Linguam Latinam ſunt tranſlati, *Lombardus* mutuavit Methodum. 2. Ab Arabibus, quorum ſtudiis hac etiam ætate fuerunt implicati, tum loquendi genus habet, tum authoritates, 3. A Philoſophis Chriſtianis, Academicum ἐφ' ἑκάτερα diſputandi modum & morem. Tolle has plumas, & ridebis corniculam Æſopicam.

[o] Quo nomine celebratur 1. *Iohannes, Sariburienſis*, de quo *Bal.* init. Centur. 3. pag. 211. *quod ex primis fuerit, qui Britãnia, poſt Theodori tempora, Græcam & Latinam linguam ſuæ puritati ac dignitati reſtituere laboraverit* 2. *Odo de Ceritona*, Monahus Ciſtertienſis, qui Æſopum latinè reddidit. *Bal.* p. 221.

XI. *Monaſticus* ordo magnas ſeculo hoc ex [a] ordinibus vel inſtitutis, vel confirmatis, acquirit vires; candidati tamen vitæ novæ, regulis vix ſuſceptis, voti immemores reſiliunt; voluptates ſectantur, divitiis inhiant, [b] ſuper-

G ſtitio-

ſtitionem augent, ſplendida erigunt ædificia, adeoque præter Monachorum nomen nihil retinent. Unde Variæ Pontificiorum [*c*] hoc nomine excitatæ querelæ. *N*on negamus interim, fuiſſe in clauſtris illis non paucos viros, pro ratione illius temporis [*d*] doctos, celebres, & meliori [*e*] ævo dignos.

[*a*] Cujuſmodi ſunt 1. *Ordo hoſpitalis S. Iohannis Baptiſtæ* in Hieruſalem, ſive *Teutonicorum militum D. Iohannis*, *Iohannitæ*, progreſſu temporis appellati ſunt, *Rhodii*, ac *Meliten ſes equites* Initium refertur ad Imperium *Fulconis* Regis Hieroſolymitarum, qui moritur an. Chriſt. 1141. Alii verò originem ejus rejiciunt ad an Chr. 1190. Cùm enim diuturna obſidione Ptolemais premeretur, dicitur quidam *Henricus* Walpot (*Faſcic. temp.* p. 76. a. *Raimundum* vocat, hominem miſericordiæ operibus deditum) ut ægrotantium cura haberetur, ordinem hunc inſtituiſſe. Quem deinde ſtatim approbârunt Fridericus, Imperatoris defuncti filius & alii, qui Legatos mox miſerunt in Germaniam & Italiam ad Pontificem, ut confirmaretur, quod factum eſt an. Chr, 1201. die 22. April. à Pontifice *Innocentio III*. datus eſt ipſis veſtitus albus cum nigra cruce, *Centur. Sig.* 237. Hic ergò *Hoſpitalariorum* ordo (ſuperiori jam ſeculo, ut ibi diximus pag. 339. inſtitutus, poſt expugnatam Hiero-

Hieroſolymam) confirmatur, augetur, & *Ioannitarum* cognomento inſignitur. Videatur *Hoſp*. de Orig. Monach. pag.187. 2. *Dominicanorum*, ſeu *Prædicatorum*, quorum Pater eſt *Dominicus*, *Hiſpanus*, a. Ch.1198. Confirmatur inſtitutum ab *Honorio III*.a.Ch.1216. Hi *Iacobitæ* vocantur *à Matth.Par*. *novum genus Prædicatorũ qui authore Innocentio Papa in Italia exorti, nihil proprii habuerunt, nec de craſtino fuerunt ſoliciti*. 3. Ordo Monachorum *fratrum Domus S. Trinitatis*, qui in Gallia circa an. Chr. 1199. incipit. 4. Ordo *mendicantium Auguſtinenſium*, à Wilhelmo Pariſienſi eodem ferè tempore inventus. *Chron. Belg. Faſcic. temp.* pag. 78. a. vocatur *VVilbelmitarum* Ordo, *à VVilhelmo* olim Duce Aquilegienſi inchoatus. *Geneb.* ait; *eos initium habere a Iohanne Bono Mantuano, nomen à Guilielmo*. 5. Ordo *Templariorum*, ſive militiæ Templi: ortum habuit a.Ch.1118. Nam cùm latrones plurimi peregrinis inſidiarentur, alios ſpoliarent, & alios trucidarent *quidam commiſeratione & pietate moti offerunt ſuam operam Patriarchæ Hieroſolymitano in coercendis illis latronibus. Author hujus rei fuit* Hugo de Paganis, & Godefridus de S. Almaro. *Prima eorũ profeſſio fuit, ut viverent caſtè & piè, more Canonicorũ & pro conſequenda remiſſione peccatorũ itinera tuta-*

Digitized by Google

rentur à latronibus, in ſecuritatem peregrinantium. Exiguo ita ab initio orti brevi tempore munificentia Chriſtianorum ad immenſas divitias pervenerunt, ut cuivis regi in alendis exercitibus pares eſſent; *Tyr.* Confer *Geneb.* an. Chr. 1118. de ordine Militiæ templi ſeu Templariorum; Johannitarum ſeu Hoſpitaliariorum; & Teutonicorum, qui ex utroque priorum mixtus erat. *Naucl.* etiam *Gen.* 27. p. 174. qui refert, *ex Hieroſolymis quatuor ordines Crucifixorum originem duxiſſe.* Ordinem Canonicorũ ſepulchri Dominici, *qui ſub Patriarcha primùm erat*; ordo militiæ S. Johannis, nunc Rhodiorum, ordo Templariorum, ordo Teutonicorum: de quibus prolixius ordine agit. 6. *Carmelitarum* ordo, circa an. Ch. 1160. in Palæſtina exortus in monte Carmel, quibus habitus Propheticus & pallium verſicolor fuit. Quem tamen habitum poſt 60 annos ut luxurioſum, Honorius Papa adem t. 7. Ordo *Humiliatorum* incidit in an. Ch. 1162. cùm imperator Fridericus Lombardiam vaſtaret. Plurimi enim facultatibus ſuis ejecti pro iis recuperandis, induti veſtibus albis Imperatori ſupplicant, &, voti compotes, hunc poſtea habitum retinuerunt. *Centur.* 8. *Præmonſtratenſium. In hac generatione*, ſcribit *Naucl.* Gen. 38. p. 183. *circa annum Domini* 1120. *Ordo Præmonſtratenſis originem habuit*,

buit, cuius loci & ordinis fundator Norbertus *extitit,* R*efert Vincentius, quòd hic fuit Lotharingus genere, divitiis atque facundia clarus, qui divino amore ſuccenſus, poſt poſita ſeculi pompa, Presbyter eſt ordinatus, verbo prædicationis inſtitit, nudus nudum ſequitur Chriſtum, quorundam etiam religioſorum moribus exploratis vitam inauditæ auſteritatis aſſumſit, per aliquod tempus nudus inceſſit pedibus, etiam brumali rigore non deſtitit Verbum Dei ſpargere, & animas Chriſto lucrifacere, denique Gelaſius Papa cùm in Gallias veniſſet, ad hunc vir Dei* Norbertus *nudis incedens, pedibus acceſſit, animiq; ſui propoſitum pandens, licentiam ſeminandi Verbum Dei accepit, tandem à Papa Calliſto commendatus eſt Bartholomæo, Laudenſi Epiſcopo, quo protectore in loco* Præmonſtrati, *divinitus inſpiratus reſedit, ibique ſolitariam & religioſam vitam agere cepit, multosq; fratres colligens, regulam S. Auguſtini ſuſcepit.* Vide etiam p. 180. a. Et *Vrſperg.* p. 278. 9. *Marianorum;* de quibus *Genib.* *Anno* 1190. 13. *Cal. Decemb, auctoribus quibusdam civibus Bremæ & Lubecæ ordo* Marianorum *militum (ad Teutonicorum formam) inſtituitur in Ptole-*

 maide,

maide, magnis ſumtibus ibi ædificato Xenodochio. in uſum eorum, qui familiæ infererentur. Poſtea cum numerus creviſſet, ceu Colonias inde in Germaniam deduxerunt ad Chriſto ſubigendas Sclavorum & aliorum infidelium ſeptentrionalium terras. 10. *Gilbertinorum*, quæ Secta utriuſq; ſexus ad Sempringamum in terra Lincolnienſi a.D.1148. à quodam *Gilberto* initiũ habuit. Vide *Bal.* Cent.p.172. & *Hoſp.* de orig. Mon.p.184. Novi etiam ordinis author eſſe voluit *Rupertus*, Abbas Limpurgenſis, qui piſcium etiam, lacticiniorum, ovorum & vini uſum tollere voluit. Sed multi ei reſtituerunt. Vide *Geneb.* an.Ch.1119.

[*b*] Reperias licèt paucos quoſdam, qui, minùs φιλόκαλοι, nullam externi apparatus geſſerint curã; pulligine quinimo, cilicio & fune magnam humilitatis, pietatis, ἀκτημοσύνης ſpeciem præ ſe tulerint; Videmus tamen, utres pleroſq; fuiſſe inflatos, & turgidos, qui ambitione, hypocriſi, tyrannide ita erant ſuffarcinati, ut cæteris minutijs locum cedere non potuiſſent. Vel ſolus *Dominicus* ſeculi hujus abortus, exemplo ſit. Horret animus recenſere, quæ cucullato iſti Monacho à doctis pariter & plebeijs Pontificiis paulatim fuerunt aſſignata munia. In multis pari cum Paulo, Gentium doctore, ambulat paſſu; in aliis paraſangis aliquot præcurrit. Qua de re conſuli poteſt ὁδηγὸς noſter P. II. p.275. De ſævitia

vitia ejus, tyrannide, & belluino in bello contra Waldenſes furore, ſuo etiam loco dicemus. Hæc verò quæ inſania; Parietis inſtar dealbati foris nitere, intus verò hypocriſi repleri, rapinis & latrociniis?

[c] Quas quidem omnes h.l. afferre nihil attinet. Uno ſaltem atque altero omnes probabimus teſtimonio, ſub Monaſticæ vitæ prætextu, multos ad divitias aſpirâſſe, & ampliſſimos honores. De novo *Gilbertinorũ* ordine, ejus caſtitate & pietate conſulatur, ex Nigello, *Hoſp.* l. cit. De *Hoſpitaliariis Hieroſolymitanis* refert *Tyrius*, quod circa a. D. 1155. *ſuperbire inceperint, præclaras ædes extruxerint, prædia emerint, decimas Epiſcopis dare voluerint, iiſdemq; multis modis moleſti fuerint*. Unde Patriarcha Hieroſolymitanus Epiſcoporũ teſtimoniis inſtructus in Italiam proficiſcitur ad Pontificem, ubi tamẽ nihil impetrat, quia omnia ab Hoſpitaliariis pecunia fuerunt corrupta. Dici enim nequit, quos brevi tẽpore hic ordo habuerit ſucceſſus. *Cũ hactenus*, ſcribit *Geneb.* an. Ch. 1130. *novem tantum eſſent equites illius ordinis, ex eo tempore adeò excreverunt numero & opibus, ut ante 50. annos fuerint circiter 300. equites & infiniti penè fratres inferiores, quos vocabant* Servientes. *Nulla etiam erat regio Chriſtianorum, à qua ipſi maximas poſſeſſiones dono non accipiebant.* Sic in

Germania etiam divitiis corradendis Monaſteria avidiùs inhiabant, quàm voti & inſtituti ratio permitteret. De Vrſpergenſi Cœnobio ſcribit *Fel. Fab.* Hiſt. Suev. l. 1. p. 110. *ita ditatum fuiſſe, ut laborarent* Monachi *apud ſedem* Apoſtolicam, *quatenus Præpoſitus eorum infulatus eſſet. Quo* (nam facile parta, facile dilabebantur) *obtento in temporalibus non multum proſperati ſunt. Vnde ævo noſtro neceſſitate cogente vendiderunt multas poſſeſſiones, & alienaverunt bona à conventu, uſque ad libros & calices, &c.* Dixeris, fuiſſe vota Monaſtica aucupia illicita honorum, & divitias conſequendi certiſſima compendia. Unde mirum non eſt, præ cæteris hoc vivendi genus pleriſque placuiſſe. Si quos aliquando pietatis ſtudium eò abripuit, neceſſitatis telum coëgit, aut mundi tædium ſuaſit, quid hoc ad alios? Nihil ineptius videtur, quàm multis eam vivendi regulam præſcribere, quam vel ipſi authores ſervatu difficilem ſibi fuiſſe, ſunt falſi. Novimus, non externis tantum corporum lineamentis, ſed ingeniis quoque & naturæ propenſione à ſe differre homines. Cur igitur ex noſtra menſura & modulo aliis, de quorum viribus non ſatis nobis conſtat, Canones & leges figere eas laboramus, quas pauci aliqui ſingulari quodam Dei beneficio poſſident? Dantur, Dei gratiâ, & inter nos utriusque ſexus non pauci, qui *παρθενίαν* ſanctiſ-

ſimè cuſtodiunt, quibus mundus, & quæ mundana, imò & honeſtæ, atque adeò licitæ voluptates ſordent. Lege verò conſtringere velle alios, eos etiam, qui verbum hoc non capiunt, extremæ dementiæ eſt; ſuo quisque ducitur genio. Quod ideo moneo, quia videmus novos hoc ſeculo magno numero Ordines, novis adſtrictos votis & juramentis non prodiiſſe, tantū catervatim, ſed publica Paparum confirmatione fuiſſe commendatos, bono quidem Eccleſiæ Romanæ non contemnendo, ſed ratione parùm ſana.

[d] Cujuſmodi ſunt 1. *Bernhardus*, natione Burgundus, nobili familia natus a. Ch. 1061. Abbatem egit in Clara valle. Sæpe ei oblati fuerunt honores Epiſcopales, quos ſemper declinavit. Moritur an. Ch. 1153. ætatis 63. circiter 20. Aug. in Divorum Catalogum refertur a. 1164. Vide *Naucl.* gener. 29. pag. 186. & *Plat.* in Paſch. II. qui de vita & ſcriptis ejus compendiosè loquitur. 2 *Petrus*, Cluniacenſis Abbas, & ipſe Romanam vidit tyrannidem, eam accuſavit, & profligavit. 3. *Bernhardus*, Monachus Cluniacenſis, qui cleri & Romanæ Curiæ totius vitia graviter depinxit. 4. *Rupertus*, Tuitienſis cœnobii propè Coloniam, præpoſitus. Is inter eruditiſſimos hujus ſeculi refertur circa an. Chr. 1125. 5. *Petrus*, Cantor Pariſienſis, qui in Longipontis Monaſterio ſenex mortuus eſt, an. Chr. 1197. 6. *Theodoricus*, S. Trudonis, Leodienſis Abbas,

 flo-

floruit an. Ch. 1120. 7. *Hugo*, natione Saxo, Abbas Sancti Victoris Pariſienſis, unde & vulgò *Hugo de S. Victore* dicitur, moritur an. Ch. 1140. 8. *Richardus* de S. Victore, Scotus, vir doctiſſimus, & quoad externam converſationem religioſus: vixit an. Chr 1140. 9. *Gratianus* Monachus, de quo ſupra. 10. *Ekbertus*, Abbas S. Florini, Trevirenſis Diœceſis, floruit circa an. Ch. 1160. aliquot Scriptorum author. *Anglia* præſertim, Monachos habuit multos, qui eruditionis laude claruiſſe dicuntur. 1. *Herebertus Loſinga*, ex Monacho natus Monachus, *vir celebratur tam divinarū, quàm ſecularium ſcientiis imbutus*, Bal. 2. *Stephanus Hardingus*, Benedictinus primò; deinde Ciſtertienſis Monachus. *Id.* 3. *Gilbertus*, Abbas VVeſtmonaſterienſis, *doctrina & ingenio ſummis viris eo tempore æquari poterat. Id.* 4. *Florentius Bravonius*, Vuigornienſis Monachus, *homo utraq; diſciplina, divina & humana opiparè præditus, maximum ſibi ex editis opuſculis doctrinæ comparabat nomen. Id.* 5. *Achardus* Canonicus regularis, Auguſtinienſis. Ingentem per illos dies à vitæ integritate gloriam conſequebatur, ſed à variarum literarum notitia majorem. *Id.* 6. *Enchmerus* Dorobernenſis, Abbas S. Albani, Philoſophorum & Poetarum ſtudiis initio, deinde verò maximè propagandæ authoritati Pontificiæ addictus. 7. *Athelardus Bathonienſis* Monachus de quo ſuprà. 8. *Arnulphus* Concionator, Mona-

Monachus *Anglus*, ut habet *Bal.* non, ut alii volunt, *Belvacenſis*, & Abbas ad Burgum Petri, flagellum prælatorum Papiſticorum, ut poſtea audiemus. 9. *Elmerus*, Monachus, vir præclarè eruditus. & fama celeberrimus. 10. *Guilelmus Malmesburienſis*, Benedictinæ ſodalitatis Monachus, aliàs Somerſet dictus. Vir erat ſuo ſeculo in omni genere bonarum literarum planè eruditiſſimus; *Bal.* 11. *Osbertus Clarentius*, Monachus Fani Petri; *Id.* 12. *Robertus Salopienſis*, cui *Lelandus* & religionem tribuit & literas, quod *Bal.* Monachatum interpretatur, & ſophiſticas præſtigias. 13. *Henricus Saltereienſis*, Salopiani etiam Monaſterii Benedictinus. Purgatorii fulciendi ingenioſus artifex, & Ariſtotelicis ſtudiis addictus. *Id.* 14. *Osbernus Claudianus*, ſeu Gloceſtrienſis Monachus, eloquentiæ, artium cæterarum, ipſius imò Theologiæ ſolidioris laude clarus; *Id.* 15. *Nicolaus de S. Albano*, ejusdem Cænobii Abbas, propugnator immaculatæ B. V. conceptionis, ſtrenuus. *Id.* 16. *Andreas Victorius*, Canonicus Ordinis regularium D. Auguſtini, ad fanum Victoris, Lutetiæ Pariſiorum, in omni liberali arte & Philoſophia exercitatus. 17. *Radulphus de S. Albano*, Monachus & Abbas Cænobii illius, tam ſoluta, quàm ligata oratione inter ſuos excelluit, *Id.* 18. *Laurentius* Dunelmenſis Cænobii præcentor, & Abbas poſtea VVeſtmonaſterienſis, Poeta, Orator, Theologus. 19. *Radulphus* Eleemoſynarius, Theologiæ Exe-

Exegeticæ excultor. *Id.* 20. *Nicolaus Breckſpeare*, Latinè *Haſtifragus*, Reberti Monachi ac ſacerdotis filius, ad culmen poſtea Pontificium, ſub nomine *Hadriani IV*. evectus, qui in familiari cum *Iohanne Sarisburienſi* Anglo, amico veteri, colloquio, amicè inſinuare ſolebat: *Ambire Pontificatum, eſſe* R*omulo ſuccedere in parricidiis, non Petro in paſcendis ovibus*, *Id.* 21. *Serlo Grammaticus*, Rhetor ac Poëta non contemnendus; Ciſtercienſis Monachus. 22. *Guilelmus Rhievallenſis* Monachus de Rusheforde, Ciſtercienſis ordinis, Hiſtoricus. Cæteros taceo, quos longa adhuc ſerie tum ex *Lelando*, tum ex aliis recenſet *Baleus*. In Sexu quoque fœmineo, Monaſtico capiſtro illigato, nonnullæ commemorantur, quæ ſeculi ſortem ſuperâſſe ſcribuntur, ut eſt 1. *Hildegardis*, quæ; multorum judicio; Propheтiſſa, floruiſſe dicitur a. Ch. 1170. præſentem partim illius ætatis clerum ſuis depinxit coloribus; partim etiam Monachos mendicantes, futuros demum, orbi delineavit. Epitomen vaticiniorum ejus habes *Cat. Teſt. Verit.* l. 15. p. 523. 2. *Mechtildis*, Bernhelmi, Abbatis Spanhemenſis, ſoror. Huic etiam vaticinia tribuuntur. Ex oculis ejus (an forte alius? nec enim certò conſtat) eſt: 1. oritura in Germania, graviſſima propter religionem, diſſidia. 2. *Tunc* R*omanam Eccleſiam* (ejus verba ſunt) *totaliter à fide Chriſtiana apoſtaturam apertè, quæ alioquin per multa*

multa jã tempora apertè apoſtataverat. 3. Remanſurum pauperem & afflictũ cœtum in Germania, qui piè ac purè Deum colat; *Id.* p.525. 3. *Eliſabetha Germana.* Hildegardi familiaris, vixit an. Ch. 1150. Gravis ejus in prælatos Pontificios cenſura extat, Pariſiis impreſſa. Sed & extra clauſtra Monaſtica viri nonnulli eruditionis laude ſeculo hoc eminuerunt 1. *Honorius* Auguſtodunenſis Eccleſiæ Presbyter & Scholaſticus, in Sacris & prophanis literis inſigniter doctus, an. Ch. 1120. 2. *Petrus*, Cantor Pariſienſis, an. Chr. 1197. mortuus. 3. *Iohannes Sariburienſis*, Anglus, qui objurgatorium cleri ſcripſit: an. Chr. 1150. vide ſup. p. 97. 4. *Otho*, Friſingenſis Epiſcopus, a. Ch. 1150. 5. Potho, Prumienſis Presbyter. 6. *Etmundus* Archiep. Cantuarienſis. 7. *Petrus Bleſenſis*, Archiep. Rothomagi & alii plures, de quibus conſulatur *Cat. Teſt. Verit.* lib. 14. 15. *Bal.* Cent. 2. 3.

[*c*] Quam quidem ſortem tum plerisque eorum, quorum nomina expreſſimus, tum Bernhardo cumprimis obtigiſſe ſcriptores optant Reformati, quoties errata ejus excuſant. Non malè: ſobrie, tamen & ſano ſenſu, θεοδίδακτος, vir ille, ab ipſis etiam Pontificiis (vide *Gaulib.* Tab. Chronog. p. 667.) appellatur. Multa vidit & animadvertit, quæ faliginoſo illi, imò tenebricoſiſſimo ſeculo accepta ferre nonpotuit. Sedibus æthereis ſpiritus ille venit. Ut verò videas, quid exemplum poſſit & conſuetudo, ipſum nunc Bernhardum in caligine hujus ætatis pal-

pan-

pantem, eidem, ſplendida verbi Dei luce illuſtrato, & aſſidua Auguſtini lectione informato, opponemus. Seculi vitium eſt, quando *Serm. 2.* de Adv. ſic B. Virg compellat: *Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio repræſenta. Fac ô benedicta, per gratiam, quam inveniſti, per prærogativam quam meruiſti, per miſericordiam, quam peperiſti: ut qui te mediante fieri dignatus eſt particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ Beatitudinis ſuæ, Ieſus Chriſtus Filius tuus, Dominus noſter.* Et quod majus eſt, *Homil. 2.* de B.V. *Propterea curre Eva ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre reſpondeat, ipſa matris opprobrium auferat, ipſa patri pro matre ſatisfaciat. Scrutare ſcripturas, & proba quæ dico. Vis ne, ut & ego aliqua ex his teſtimonia hic inſeram? ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixiſſe Deus videtur, quando ad Serpentem ait:* Inimicitias ponam inter te & mulierem? *Etſi adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod ſequitur:* Ipſa conteret caput tuum. *Cui hæc ſervata victoria eſt, niſi Mariæ? Ipſa procul dubio caput contrivit venena*

nenatum. Præclarè facit, quod Scripturis ſibi hac in re certandum videt. Sed ut ſeculi conſuetudini ſatisfaceret, & Mariæ triumphum (quod ipſum tamen quoſdam Scriptores Pontificios malè habet, ut diximus *Theſ. Phil.* p. 155 (aſſignatet vim ſacris literis facit eaſque, (ut vel hinc appareat, quàm ſit periculoſum, fontibus Hebreis derelictis, rivulos conſulere) τῇ ὑπὸ θεοῦ διαλέκτῳ invitas cogit. Alius; & multum ab hoc lucubrante (noctis enim filiæ ſunt tres illæ Conciones) mutatus *Bernhardus* occurrit, *Epiſt.* 174. *ad Canonicos Lugdunenſes*. Cùm enim novum illi B. Virgini feſtum dicare vellent, graviter eos reprehendit. Nihil juvabat prætextus, *valde honorandam eſſe matrem Domini*: *judicium enim requirere honorem reginæ*, monet. *Virgo regia*, addit, *falſo non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum*. Scripturæ & Eccleſiæ vox eſt, cùm ſpem nos noſtram collocare jubet in ſponſo, non verò invigilibus. *Cor ſponſæ* inquit; *non eſt in vigilibus, ſed in Domino fiduciam habens. Minus vigilanter id obſervârunt Corinthii, quum ſecederent, dicentes: Ego ſum Cephæ. Quoniam, inquit, in me ſperavit liberabo eum. Non in vigilibus, non in homine, nō in Angelo, ſed in me, inquit, ſperavit, liberabo eum: nihil boni niſi ex me exſpectans.*

Cuſto-

Cuſtodia non modo ex me, verum etiam per me fiat neceſſe eſt. Serm. 15. in Pſal. 91. p. 91. tota. Conſuetudinis verò κέλδ-σμα, Homil. 2. de B. V. p. 33. *ô quisquis te intelligis in hujus ſeculi profluvio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus ſideris, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum: reſpice ſtellam* (de hac fallacia παρερμηνείας, quâ *ſtellam Maris* voce Hebræa *Mariam* exprimi volunt, actum eſt in ὁδηγῷ P. II p. 182.) *voca Mariam. Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis; reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iracundia aut avaritia aut carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam, &c. Ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris.* Eadem ratio eſt reliquorum quoque fidei dogmatum. Nonne dolendum ſit, quòd is, qui de merito Chriſti (quod ſolum, vel ignotum, vel contemtum, Gentiles Judæos, Turcas aliam purgandi ſe à peccatis, adeoque ignem illum ex

citandi

citandi, viam quærere coëgit, ut prolixè tanquam rem ſcitu valde neceſſariam, probavimus, in ὁδηγῷ noſtro P. III. p. 558.) de perfecta, & gratuita Juſtificatione hominis coram Deo clariora facit verba, quàm quæ cum fictitio illo igni purgatorio ſubſiſtere poſſint; in eos tamen, qui purgatorium negant, tam acerbè invehitur? Imò, qui ex Scriptura didicit, tria tantùm eſſe hominum receptacula; *Cælum, in quo ſoli beati: terram, ibi mixti: infernum, ubi ſoli mali*; ex eadem; ſed torta, ut ſeculi conſuetudinem ſequeretur, quantum addit. *Non credunt autem*, ſcribit contra Petrobruſianos, Serm. 66. in Cant. *ignem purgatorium reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam ſolutam à corpore, vel ad requiem tranſire, vel ad damnationem. Quærant ergò ab eo qui dixit: quoddam peccatum eſſe, quod neque in hoc ſeculo, neque in futuro remitteretur; Cur hoc dixerit, ſi nulla manet in futuro remiſſio purgatiove peccati?* Dicant nunc; ἐν παρόδῳ; tanti viri exemplo emendati, noſtri Theologiæ Studioſi, ſuũ Linguæ ſanctæ deferre honorem! Ejus certè ignorantia toties Bernhardo fraudi fuit, toties eum ad avia & devia abripuit, ut vel ſola Scripturarum aut Phraſium Hebraicarum παρερμηνεία; & (ut ſuprà monuimus) immoderatum Mariæ cultum pepererit, & ignis quoque Purgatorii ter-

H rores

rores exacuerit. Quid enim Phraſis illa; neque in hoc, neque in futuro ſeculo, ſibi velit, & quòd omnem planè remiſſionis ſpem excludat, nôrunt illi, qui vel obiter literas Hebraicas ſalutarunt.

Quos, tempore Bernhardi, Roma habuerit Pontifices, jam jam monebimus. Omne ſtudium, omnis cura eorum in augenda erat authoritate, & abſoluto dominio. Vix cuiquam contra mutire licuit. Qui Papam in graviſſimo verſari videbant errore, officii eum monere religioni duxerunt: paucis exceptis, quorum ora obthurari non poterant. Cæterorum labra fulminibus ſuis compeſcebat. Omnium rerum examen ad tribunal ſuum trahebat. Atque huic etiam conſuetudini, ſui immemor, nonnunquam, ſuccubuit Bernhardus. Cùm ex Scripturis graviter & nervosè, animo excelſo planè atque invicto; contra Lugdunenſes Monachos probâſſet, malè conceptionis B. V. immaculatæ feſtum inſtitui, tandem, ubi ἐπινίκιον jam eſſet canendum, cauſam quaſi deſerit, & ad ſedem Romanam devolvit. *Nam*, inquit, *ſic ſi videbatur, conſulenda erat Apoſtolicæ ſedis authoritas, & non ita præcipitanter, atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum.* Et clariùs paulò pòſt. *Quæ autem dix, abſq; præjudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ authori-*

tati

tati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejusmodi ſunt, reſervo, ipſius ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare. Ita conſuetudo loqui coegit hominē aliàs ſatis cordatū. Ubi verò ad ſe rediit, & mente fuit magis compoſita, Papæ authoritatem non flocci fecit. *Opponi & anteponi poſſet*, ſcribit *Epiſt.* 7. p. 1161. R*omani Pontificis, tanquā gravior, authoritas, &c. Talis potiùs proferatur, cuius omnino fas non ſit authoritati contradicere. Certè ſummus ille Pontifex, qui per ſanguinem proprium ſolus & ſemel introivit in ſancta, æterna redemtione inventa terrifica voce denuntiat in Evangelio, &c.* Item: *Num quid ideo malum eſſe deſiit? aut minoratum eſt, quia Papa conceſſit?* Ipſum Eugenium, quibus compellet verbis, uno & altero probatum ibimus ſpecimine: *Is modus*, ſcribit *lib. 1. de conſid. ad Eugen.* p. 1522. *qui frequentatur, execrabilis plane, & qui non dico Eccleſiam, ſed nec forum deceret. Miror namque, quemadmodum religioſæ aures tuæ audire ſuſtinent huiusmodi diſputationes advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad ſubverſionem, quàm ad inventionem proficiunt temeritatis. Corrige pravum morem, & præcide linguas vaniloquas, & labia doloſa clau-*

 de.

de. Item p.1519. *Stetiſſe lego Apoſtolos judicandos, ſediſſe judicantes non lego. Num quid ſervus ejusmodi erat Paulus, ad quem, de toto orbe confluebant ſimoniaci, ſacrilegi, concubinarii, inceſtuoſi; & iſtiusmodi monſtra hominum, ut obtineant honores Eccleſiaſticos, vel retineant?* ſicut nempe ad Papam; p. 1517. *Verum, quando docemus populos? meditamur in lege? Perſtrepunt in palatio Leges, ſed Juſtiniani, non Domini. Qua mente obſecro, ſuſtines coram te ſemper ſilere illam, garrire iſtas? &c. In criminibus ſaltem, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra. Quid falcem veſtram in meſſem alienam extenditis? Habent hæc infima & terrena iudices ſuos*; lib. 2. de cõſid. ad Eug. Pap. *Non ſcripto tibi opus eſt, ſed ſarculo*, exemplo Prophetico. *Epiſcopi nomen non Dominum, ſed officium ſonat. Eſto, ut alia quacunque ratione hæc tibi vindices, ſed non Apoſtolico jure. Planum eſt, Apoſtolicis interdicitur dominatus. I, ergò tu, & tibi ſuperare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus, dominatum, &c. Forma Apoſtolica hæc eſt: Dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio. Ovibus non dominaberis. Et nunc audi canticum meum, & minus ſuave, ſed ſalutare.*

Et

Digitized by Google

Et iterum lib. eod: *Domabis lupos, ſed ovibus non dominaberis, paſcendas utiq; non premendas ſuſcepiſti.* Lib. 3. *Præſis, ut proſis: præſis, ut fidelis ſervus, & prudens, quē conſtituit Deus ſuper familiam ſuam. Ad quid? ut des illi eſcam in tempore, hoc eſt, ut diſpenſes, non ut imperes. Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis iniuſtitia.* Item: *Facitis hoc quia poteſtis, ſed utrum & debeatis, quæſtio eſt. Oves quid capiunt? dæmonum magis paſcua hæc, &c. Evangelizare paſcere eſt. In ſericis ſucceſſiſti Conſtantino, non Petro. Conſidera te non dominum Epiſcoporum, ſed unum ex ipſis. Mutilantur Eccleſiæ, quod Romanus Epiſcopus omnem poteſtatem trahat. Sciant Eccleſiæ præfecti, ſe medicos eſſe, non dominos.* Hac contra Pontificem παῤῥησίᾳ utebatur Bernhardus, ubi conſuetudine in transverſum raptus non fuit. Quid Scripturæ ſacræ magnus ille vir tribuerit, non uno operum loco indicat. *Vbi neceſſitas non eſt, inconvertibilia maneant Patrum decreta; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. Nam de quibus Scriptura authentica, nec præceptor expectandus, nec prohibitor auſcultandus.* Tract. *de præcept. & diſpenſ.* Nihil

ei Majorum præſcribere potuit exemplum. *Recedant*, inquit, *à me & à vobis, qui dicunt; Nolumus eſſe meliores, quàm patres noſtri;* Epiſt. 91. ad Abbates Sueſſione congregatos. Quibus Conciliis intereſſe deſiderârit, ibidem clarè & præclarè monet: *Illo præſertim Concilio, in quo non hominum traditiones, obſtinatius defenſantur, aut ſuperſtitioſius obſervantur: ſed diligenter humiliterq; inquiritur, quæ ſit voluntas Dei bona, & bene placens, & perfecta. Illud toto deſiderio feror, devotione immoror, condelector amore, inhæreo conſenſu æmulatione perſiſto.* Varia vidit Scripturæ Sacræ effecta, de quibus prolixè agit, *ſerm. de multiplici util. verbi Dei* p. 562. *Beati enim, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Vultis noſſe, quàm beati? Primum quidem ſonans in auribus animæ vox divina conturbat, terret, dijudicatq; ſed continuò, ſi bene adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Deniq; & cibus noſter eſt, & gladius, & medicina, & confirmatio & requies, reſurrectio quoq; & conſummatio noſtra. Nec mireris, quod verbum Dei iam nunc inveniatur omnia in omnibus eſſe, quantum ſpectat ad juſtificationem, ſiquidē & futurum eſt omnia*

in

in omnibus ad glorificationem. Audiat & illud peccator, & conturbabitur venter ejus: à voce illa carnalis anima contremiſcet. Omnia namq; cordis ſecreta rimatur atq; diiudicat ſermo vivus & efficax, cordium atq; cogitationum perſcrutator. Vnde & licèt mortuus in peccato, ſi audieris vocem filii Dei, vives. Sermo enim, quem loquitur, ſpiritus & vita eſt. Si cor tuum induratum eſt, memento Scripturæ dicentis: Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea. Et item: Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. Si tepidus es, & evomi iam formidas, non diſcedas ab eloquio Domini, & inflammabit te: quia colloquium eius ignitum valde. Quod ſi tenebras ignorantiæ plangis, diligenter audi, quid loquatur in te Dominus Deus, et erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen ſemitis tuis. At fortaſſis tanto amplius doles, quanto clarius peccata etiã minima illuminatus agnoſcis; ſed ſanctificabit te pater in veritate, quæ eſt utiq; ſermo eius, ut inter Apoſtolos audire merearis. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Iam verò cum laveris manus tuas, ecce paravit in conſpectu tuo menſã, ut non de ſolo pane vivas, ſed ex omni ver-

bo, quod procedit de ore Dei, & in fortitudine cibi illius, curas viam mandatorum ejus. Vbi ſi conſiſtunt adverſum te caſtra, & prælium tentationis inſurgit, arripe gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei, & in eo facilè triumphabis. Quòd ſi fortè (ut eſt certaminis conſuetudo) contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum ſuum, & ſanabit te, & eripiet te de interitionibus tuis; ut in te quoque impleatur, quod ait centurio, cuius fides tam magnificè commendatur: Domine, inquit, dic tantum verbum, & ſanabitur puer meus. Sed & ſi titubas adhuc, confitere & clama: Mei autē penè moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, & in verbis ſuis confirmabit te: ut experimento diſcas, quoniam verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. In his atq; huiusmodi perſevera, in talibus jugiter exercere, donec iam dicat Spiritus, ut requieſcas à laboribus tuis. In hoc verbo quieſces dulciter, ac ſuaviter ſoporaberis, donec veniet hora, cùm omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & procedent, &c. Vides quid à *Bernhardo*, θεοδιδάκτῳ, expectare poſſimus? quam dextrè nos doceat πανοπλίαν illam, verbi Dei, ad quoslibet hoſtium noſtrorum aſſultus tractare? Quod genus morbi excogitari poteſt,

poteſt, afflictionis, aut calamitatis, cui, ipſo judice *Bernhardo*, in hoc κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ medicina non ſit parata? Neq; verò in privato tantùm morum examine ad Biblia ille nos rejicit, in doctrinæ quoque ſcrutinio libertatem ſibi dari vult, *abundandi in Scripturarum ſenſibus*. Unde Epiſt. 77. *Abundet in ſuo ſenſu qui vult quantum vult, dummodo nos patiatur in Scripturarum ſenſibus abundare, &c.* Hæc promto gratoq; animo ab eo excipimus, & ô quàm vellemus traditionum caligo lumen ſæpe Scripturæ in eo non ſuſtuliſſet! quod tamen ut præfati ſumus temporis injuriæ adſcribimus.

Vidit ſuo jam ſeculo, magno conſtare ſanguine expeditionem Hieroſolymitanam: ſuis tamen conſiliis & exhortationibus, plures armavit, quàm ipſe nonnunquam Pontifex. Quod enim hic propter varia cum Imperatoribus & Principibus Imperii diſſidia, tentare non fuit auſus, Bernhardi authoritate, quæ ubiq; longè maxima fuit, impetravit; ut ſuo loco dicemus.

Vidit *Bernhardus*, non omnes eſſe Monachos, qui cucullati cluent. Multorum exemplo expertus eſt, faciliùs eſſe vovere, quàm votis reſpondere. Unde tot ejus de Monachatu, & Monachis querelæ. *Apolog. ad Guilel. Abbatem*: *Miror unde inter Monachos tanta intemperantia in commeſſationibus & potationibus, in veſtimentis, in lectiſterniis, equitaturis & conſtruendis*

ædificiis inoleſcere potuit: quatenus ubi hæc ſtudioſius, voluptuoſius atq; effuſius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi major putetur religio. Ecce enim paucitas putatur avaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia deputatur. E contrà, remiſſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollities veſtimentorum & equorum faſtus, honeſtas; lectorum ſuperfluus cultus munditia. Cumq; hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur. Et iterum: *Nihil de Scripturis, nihil de ſalute agitur animarum; ſed nugæ & riſus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures paſcuntur rumoribus, quibus totus intentus modum neſcias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, et pro ſolis carnibus, à quibus abſtinetur, grandia piſcium corpora duplicantur. Cumq; prioribus fueris ſatiatus, ſi ſecundos guſtaveris, videberis tibi nec dum guſtâſſe piſces. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinq; ferculis devoratis, prima non impediant noviſſima, nec ſatietas minuat. Palatum quippe dum novellis ſeducitur condimentis,*

mentis, paulatim diſſueſcere cognita, & adſuecos extraneos, veluti adhuc jejunum, avidè renovatur in deſideria. Venter quidem, dum neſcit, oneratur: ſed varietas tollit faſtidium. Quia enim puras (ut eas natura creavit) epulas faſtiſſimus, dum alia aliis multifaria permiſcentur, & ſpretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula provocatur ſaporibus: tranſitur nimirum meta neceſſitatis, ſed nec dum delectatio ſuperatur. Quis enim dicere ſufficit quot modis (ut cætera taceam) ſola ova verſantur & vexantur, quanto ſtudio evertuntur, ſubuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidē frixa, nunc aſſa, nunc farſa, nunc mixtim, nunc ſigillatim apponuntur? ut quid autem hæc omnia, niſi ut ſoli faſtidio conſulatur? Ipſa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, ut non minus aſpectus, quàm guſtus delectetur: & cùm jam ſtomachus crebris ructibus repletum ſe indicet, nec dū tamen curioſitas ſatiatur. Sed dum oculi coloribus, & palatum ſaporibus illiciuntur, infelix ſtomachus cui nec labores lucent, nec quem ſapores demulcent, dū omnia ſuſcipere cogitur, oppreſſus magis obruitur, quàm reficitur. Iam verò

ro de aqua potu quid dicam, quando ne ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur. Item: *Videas uno in prandio ter vel quater ſemiplenum calicem reportari, quatenus diverſis vinis magis odoratis, quàm potatis, nec tam hauſtis, quàm attactis, ſagaci probatione & celeri cognitione, unum tandem e pluribus, quod fortius ſit, eligatur.* Ib. *Mentior ſi non vidi Abbatem, ſexaginta equos & amplius in ſuo ducere comitatu. Dicas, ſi videas eos tranſeuntes, non partes eſſe Monaſteriorum, ſed dominos caſtellorum; non rectores animarum, ſed Principes provinciarum, &c.* Hæc inquam, *Bernhardus* omnia animadvertit, cenſurâ notavit, indeq;, dubio procul, collegit difficilius eſſe id, à multis ſine diſcrimine extorquere, quod paucorum duntaxat eſt, ſpeciali privilegio; quàm unum omnibus aptare capitibus pileũ. Ipſe nihilominus *Bernhardus*, quia eo vixit ſeculo, quo Monachatus ſummo in honore fuit habitus (neque verò mirũ: eo namq; tempore pro Pontificis authoritate & dominio; omnes certabãt: armis quidam, cæteri multiplici devotione, vel ſuperſtitione potiùs) ad ejus propagationem non parùm contulit. Unde Monaſteriorum amplius 160. pater dicitur. His ergò aliiſque de cauſis diximus, *Bernhardum meliori ſeculo eſſe dignum.* Quod in aliis, articulo præſertim de libero arbitrio, fide

de juſtificante, adeoque ipſa juſtificatione ſuum facere allaborant Pontificii, *Gaultherius* cumprimis in Tab. Chronog. aërem verberant. Vix enim quiſquam ab *Auguſtini* tempore de fundamentali hoc dogmate, & planè ἀκρογωνιαίῳ Chriſtianiſmi λίθῳ plenius ſcripſit, quā ipſus ille. Quoties imputatam ille Chriſti juſtitiam, quam tanquàm peregrinam conviтiis variis exagitant adverſarii noſtri, urget, propria ſpoliatus? *Porrò* ſcribit, *mors Chriſti morte fugatur, & Chriſti nobis iuſtitia imputatur*; *Serm.* ad mil. templi c. 11. Et *Ep.* 190. *Aſſignata eſt homini aliena iuſtitia, quia caruit ſuâ: ſatisfactio unius omnibus imputatur. Serm.* 61. in Cant. *Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius: ipſa eſt enim & mea. Nempe factus es mihi tu iuſtitia à Deo. Num quid mihi verendum ne non una ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breve, quod non poteſt operire duos: iuſtitia tua in æternum & me & te pariter operiet largiter & larga, & æterna iuſtitia.* Hæc, & ſi quæ ſunt alia, hujus κόμματ☉ dicta, cur reliquit Ieſuita *Gaulth.* intacta, niſi quòd vidit, infeliciter his contra nos pugnari telis., Quid? quòd, ne *Bernhardi* auhoritate deſtitui videatur, id ipſum ex eo cōtra nos magno conatu aſſertum it, quod ſtrenuè hactenus adverſus Pontificios Theologi noſtri defenderunt, veram nempe fidem

dem ab efficaci operum ἐνδείξει non poſſe ſeparari. Bernhardi verba è Jeſuita ex Serm. 24. in Cantica ſunt: *Quid dividis actum à fide? Iniquè dividis, fidem perimens tuam. Nam fides ſine operibus mortua eſt. - Munus mortuum offers Deo? Si enim quadam anima fidei, ipſa devotio eſt, quid fides, quæ non operatur ex dilectione niſi cadaver exanime?* Et rurſum: *Mors fidei eſt ſeparatio Charitatis. Credis in Chriſtum? Fac Chriſti opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probat actio, non incurvet terrenum opus, quem fides cœleſtium erigit.* Atque hoc ipſum velle Theologiam Reformatam, diximus P. III. ὁδ. 217.

XII. Reſtat ſtatus *Eccleſiæ*, quem exulceratum fuiſſe, & luctuoſum, vel hinc conſtat; quòd viri magni, Antichriſti [*a*] adventum inſtare palàm ſint faſſi, tot ſine dubio, [*b*] prodigiis, diſſidiis, [*c*] aliiſque, tum [*d*] in Doctoribus, tùm in doctrina [*e*] obſervatis characteribus, inducti.

[*a*] Calviſ. an. Ch. 1106. *Celeberrima fama tum temporis in Eccleſia fuit, futurum brevi tempore, ut Antichriſtus revelaretur, ut habet Baro-*

Baronius hoc anno. Vnde apparet Antichriſtum tum temporis ſediſſe in Eccleſia, ſed non fuiſſe revelatum, quod tempus revelationis eius non fuiſſet completum, aliàs facilè eum agnoviſſent in Hildebrando, *Vrbano, Paſchali & ſequentibus, qui ſe ſuper omnia, quæ ſunt in mundo, extollebant, ſed nemo tum credere poterat, Papam eſſe Antichriſtum.* Baronii verba an. Chr. 1106. S. 26. ſunt: *Quod pertinet ad Antichriſtum: fuit quidem opinio non vulgarium virorum, Antichriſtum hoc fore ſeculo revelandum, & inter alios Norberti, viri temporis huius fama celeberrimi, de quo iſta S. Bernhardus, Ep. 56. ad Ganfridũ, Carnotenſem Epiſcopum. Cùm ante hos paucos dies ejus faciem videre, & de cœleſti fiſtula, ore videlicet ipſius, plurima haurire meruerim; hoc tamen ab ipſo non audivi: Verùm de Antichriſto cùm inquirerem, quid ſentiret. durante adhuc ea quæ nunc eſt generatione, revelandum illum, certiſſimè ſe ſcire proteſtatus eſt. At cùm eandem certitudinem unde haberet, ſciſcitanti mihi exponere vellet? audito quod reſpondit, non me illud pro certo credere debere putavi. At ſummam tamen hoc aſſeruit, non viſurum ſe mortem, niſi prius videat generalem in Eccleſia perſecutionem.* De Paſchali etiam Papa ex alio commemorat, *quod, dum in itinere poſitus, Florentiam perveniſſet,*

ſet, de adventu Antichriſti proximè futuro, fama fuerit ſparſa. In ejusdem vita ſcribit Platina, *Florentinum Epiſcopum affirmare ſolitum, Antichriſtum natum eſſe*; Sed ab ipſo ei Papa ſilentium fuiſſe imperatum Noli mirari, in graſſante quoque Papatu nonnullos fuiſſe, qui quamvis Antichriſti tempora inſtare, imò continuare, facilè obſervârint, non viderint tamen, hoc monſtrum Papam eſſe. Idem enim de Meſſia uſu veniſſe apud Iudæos certum eſt. Jeſum Nazarenum, mundi Servatorem illi, vel ſtupidi ignorabant, vel procaces negabant. Sed, quia omnia Prophetarum oracula impleta jam fuerunt, ne vulgus quidem diffiteri poterat, aut exhibitum eſſe Meſſiam, aut in momenta expectandũ. Unde quemlibet ovium; poſt Chriſti aſcenſionem, hoc nomine amplectebantur. Sunt hæc occulta Dei judicia, quæ mirari potius religioſè licèt, quàm curioſè rimari.

[b] Vide ſup. p. 2. quibus adde *Plat.* in Paſch. II. p. 178. *Chronic. Vrſp.* p. 263. *Sigon.* lib. 11. p. 279. lib. 14. p. 325. lib. 15. 346. 353. quibus, ut initio hujus ſeculi monuimus, non parùm orbis terrebatur; ſolus fermè Papa naturâ ea curſu excuſavit.

[c] Unde *Carol. Sigon.* de reg. Ital. l. 15. p. 358. ait, *hæc tempora tetris hominum flagitiis, & diris populorũ inimicitiis prope fuiſſe infamia.* Confer. *Catal. Teſt. Verit.* lib. 15. p. 578. Atque de his ordine erit agendum.

A. Ampliſſimam litium ſegetem ager oſtendit Romanus. Romæ enim tot *propter ſedem, & dignitatem Papalem* orta fuerunt diſſidia, bella, & cædes, ut difficilè ſit credere, Spiritum ſanctum eum locum, cui ſpeciale promiſit patrocinium; tot expoſitum voluiſſe impietatibus, & invaſionibus. Exemplo ſunt 1. *Calixtus*, & *Mauritius Burdinus*, illum Romani, hunc Imperator Papam eſſe voluit. Cumque hic ab illo Sutrii caperetur, in camelo averſus per totam urbem traducitur, tandemque in Monaſterio Caſſinenſi vinctus detinetur. Facta ſunt an. Chr. 1121. vide *Chron. Vrſperg.* p. 262. *Onuph.* p. 90. 2. *Lambertus*, Epiſcopus Oſtienſis, & *Theobaldus*, Presbyter Cardinalis. Mortuo enim Calixto, Cardinalium ſtudia dividuntur, duoque Pontifices eliguntur, ille *Honorius II.* hic *Celeſtinus II.* eſt appellatus. Lambertum Bononienſem intruſiſſe dicitur Leo Frangipanis; *Calviſ.* Celeſtinus, plerisque ad Honorium accedentibus, ſponte ſe abdicavit. *Honorius autem,* ſcribit *Sigon.* lib. 10. pag. 258. *cum ne ita quidem ſuam probari electionem ab omnibus intelligeret, poſt duodecim dies, convocatis Cardinalibus* (quorum ſibi benevolentiam ante comparabat; *Calv.*) *inſignia ultro depoſuit, & ſe item honore abdicavit.* A quibus poſtea denuò eligitur. 2. *Gregorius* Cardinalis, & *Petrus*, Petri Leonis filius. Mortuo enim an. Chr. 1130. Honorio II. de no-

vo creando Pontifice ita conſentiunt, ut eligatur in templo D. Marci. Sed, populo tumultuante, qui pecunia corruptus erat, Cardinales in templum Marci venire non poſſunt, ideo conveniunt & eligunt Gregorium Cardinalem, quem vocant INNOCENTIUM II. Reliqui Cardinales congregati in templo D. Marci Petrum eligunt, Petri Leonis filium, potentiſſimum in urbe Roma: eumq; nominant ANACLETUM II. Schiſma hinc enatum nefandiſſimum. *Innocentius* annos ſedit 13. menſes 7. *Anacletus* verò annos 6. menſ. 9. Sed *Anacletus*, quòd potentia prævaleret, Innocentium urbe, & Italia ejecit, & ad omnes Imperatorem, Reges & Principes ſcribit de ſua electione, nemo tamen ei reſpondit. Ideo *Innocentium* anathemate ferit, & ut haberet, qui ſe agnoſceret Papam Romanum, *Rogerium* Siciliæ & Apuliæ Ducem creat Regem: *Innocentius* contra, qui in Galliam fugerat, ibidem *Anacletum* anathemate ferit. De quo anathemate ſcribit etiam *Vrſperg. Chron.* p. 279. Plenius hoc ſchiſma deſcribitur à *Baron.* a. Ch. 1130. qui factioſorum utrinque ſtudia & nomina accuratè depingit. Deprædationibus omnia exponebantur. *Sigon.* ſub Lothar. III. pag. 261. vocat *diſſidium, quo vehementer non tota ſolum Italia, ſed univerſa fermè etiam Chriſtiana laboravit Reſpublica. Innocentii* partes Bernhardus ſequebatur, ut *Vrſperg.* habet p. 277.

&

& *Sigon.*l.cit. Anno Ch.1139, Leonis aſſeclæ *συνοδικῶς* à mille penè Epiſcopis damnantur; *Vrſp.* p.281. 4. *Gregorius* & *Innocentius*. Mortuo enim *Anacleto* II. ſub Victoris nomine ſuffectus eſt *Gregorius* Cardinalis. *Gaulth. Baron.* an. Chr. 1138. 5. *Rollandus* Cancellarius, & *Octavianus* Romanus. de quibus videatur *Onuph.* p.125. *Sigon.* lib. 13. p.308. *Vrſperg.* p.290. Ex quibus omnibus vel unum audiemus *Sigonium*: *Cardinales in templo S. Petri convocati de novo ſubrogando Pontifice conſultârunt, verùm tertio die diductis in diverſa ſententiis Cardinales duos Rolandum Senenſem, olim Canonicum regularem, & Octavianum Romanum* (Hunc *Vrſp.* appellat *virum per omnia religioſum & probatum*) *Pontifices deſignârunt.* Rolandus *à 23. electus coccineam chlamydem,* (*mantum* vocat *Vrſp.*) *ſibi à ſuis cupientibus properanter injici non eſt paſſus. Octavianus à quinq; tantum declaratus raptam avidè à manu miniſtri, ut* Rolandum *jure præverteret, ipſe ſibi feſtinantius induit, atq;* Rolando *& Cardinalibus eius per armatos ilico intromiſſos in arcem compulſis, à ſuis in ſede S. Petri conſtitutus Victoris IV. nomen aſcivit: inde ad Palatium populo civi ſuo haud gravatè favente deductus prompta cleri populiq; obſequia accepit.*

Rolandus novem dies cum ſuis in arce per Senatores obſeſſus manſit: demum emiſſus ad Ciſternam Neronis inter Ariciam & Tarracinam proceſſit, ibique XII. Cal. Octob. in magna Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, *Cleri, populique, qui convenerant, frequentia chlamydem ritè induit, ac conſecratus Alexandri III. nomen accepit. Ita Victore, qui nondum conſecratus fuerat, iure ſuperato poſt octo dies, & ipſum cum ſectatoribus eius, & ſi quis manum ei conſecrationis gratia admovere auſus fuiſſet, pœnis inferorum devovit, atque Anagniam ſe recepit. Quarto inde nonas Octobris Victor à paucis & ipſe Epiſcopis conſecratus eadem in Alexandrum, & partem eius, deteſtationis tela retorſit, ac per Othonem Comitem Palatinum Campaniã & patrimonium S. Petri invaſit, & Signiæ ſubſtitit. Tùm uterque jus ſuum tueri cupiens,* Alexander, *quod à pluribus creatus, et ante Victorem conſecratus: Victor, veſte Pontificia prius indutus, et tanquam Pontifex cleri populique ſolennibus obſequiis eſſet cultus, literas ad Fridericum caſtra adhuc ad Cremam habentem ſcripſerunt; eumq; ut partes ſuas ſuſciperet obſecrârunt.* Sed rem Fridericus ad Cōcilium

cillum rejecit, in quo, cùm nollet Alexander comparere, Victor evaſit victor. Vide plura p. 312. & *Onuph.* de Pontific.& Cardinal. Creat. lib.11.p.129. *Onuphrius* utriuſque partis aſſeclas brevibus proponit verbis & perſpicuis. *Victori*, inquit, *Barbaroſſa Imp. cum tota curia ſua et Germanis prælatis adhærebant*; A*lexandro Reges Angliæ,*F*ranciæ et Siciliæ. Italia omnis diviſa. Alii ſiquidem Alexandro, alii Victori favebant. Totus Clerus* R*omanus, paucis admodũ refragantibus, pro Victoris parte ſtabant.* Duravit hoc Schiſma, teſte *eodem*, per annos 17. continuos, inter *Rolandum* præſertim ſeu Alexandrum III. & *Paſchalem* III. quem Romani quidem Papam recuſant; Fridericus verò Imp. an. Ch.1166. Concilium Herbipoli indicit, cauſam Paparum diſceptat, & decernit, *Paſchalem* III. eſſe legitimum Papam, quod & omnes Imperii ſtatus approbant, præter Salzburgenſem, *Calviſ.* confer *Onuph.* lib.2.p.131. Sed quis malorum illam ſentinam, quam Pontificum electio hoc etiam ſeculo, quo Cardinalium votis illa ſtetit, orbi intulit, exhauriat? Cùm ſuperiori ævo hæc Romæ graſſarentur monſtra, culpam Genebrardus Germanis impegit; nunc cùm penes alios fuit, & eos quidem, quibus corrigi putabat errorem D. Pariſienſis, quis culpam ferat? quæ jam elabendi rima, ut ſalva maneat ſedes Romana?

B. Continua litis materia fuit *jus inveſtituræ,*

 teſte

teſte *Onuphrio* pag. 91. Pro eo acerrimè pugnabatur. I. in *Germania* præſertim ſub *Henrico V.* & *Lothario III.* Graviſſimum huius quæſtionis examen incidit in an. Ch. 1111. quo *Paſchalis* Pontifex *Henrico V.* jus concedit & privilegium Imperiale, Epiſcopatus & Abbatias vel prælaturas (ut vocant) per annulum & baculum. Mox tamen an. Ch. 1116. *Paſchalis II.* Romæ, in Concilio Lateranenſi, 6. Martii congregato, privilegium de inveſtitura Epiſcoporum Henrico V. antea traditum revocat, damnat & abrogat, ut per vim ſibi in caſtris extortum, illudq; nominat Pravilegium. Imperatorem etiam anathemate ferit. Quæ res multos Epiſcopos & Principes Germaniæ ad rebellionem adverſus Imperatorē commovit. *Onuph.* in Burdino ait, Henricum *à Paſchali, contra Sacramenti & juris jurandi fidem, capto, privilegium, illud vi extorſiſſe,* quo prætextu ejuſdem παλινῳδίαν excuſant. Sed aliter rem narrat *Naucl.* Gener. 38. p. 175. b. An. 1611. *inquit*; Henricus V. cum maximo exercitu ad ſe danda ſcandala, quæ inter Imperium & Sacerdotium erant, tum in Italiam venit. Hæc diſcordia, & à Gregorio VII. cœpta, agitata eſt à ſucceſſoribus ejus Victore, Urbano, & multò magis Paſchali, ob quam cauſam ſcandalum erat in toto terrarum orbe. Imperator enim, ut volens conſuetudine & authoritate prædeceſſorum ſuorum, petebat ſibi ſervari ea, quæ privilegiis

legiis Carolo Magno & ſucceſſoribus in Imperio jam per 300. annos, & amplius conceſſa & obſervata fuerant ſub ſummis Pontificibus, ex quibus privilegiis licitè per inveſtituram annuli & virgæ Epiſcopatus & Abbatias conferebant, & hoc ſuum jus allegabant. Sed contra hoc Synodali decreto cenſebant ſummi Pontifices prænominati nec poſſe, nec debere dari virgam vel annulum Epiſcopatum, aut aliam dignitatem Eccleſiaſticam à laica perſona, ac ſub execratione fieri prohibebant. Veniens itaque Sutrinum Rex legatos à ſede Apoſtolica expectabat; &, ut referunt ferè Italici ſcriptores adventum Regis Paſchali parùm gratum fuiſſe, cum Eccleſias multas in bellis everterat, & Epiſcopatus contra jus & fas pro libidine animi, cui placuiſſet demandaverat, addunt & quod Rex ipſe promiſerit Oratores VII. regni Teutonicorum proceres, in quibus duo nepotes regis erant, pollicebanturque jure jurando ſe in omnem inveſtituram Eccleſiarum omiſſurum curaturumq;, quod omnes Eccleſiæ, ſuo occupatæ juſſu liberè dimitterentur, abſoluturū quoq; populum à juramento in Eccleſiarum præjudicium præſtito. Ea ſponſione ſolenni ſtipulatione firmata miſerat Pontifex Sutrium legatos, ibiq; omnia ſolidata. Verùm alii ſcriptores aliter referunt, quòd ſcilicet legati Apoſtolici cum miſſis regiis Sutrium venerint, aſſerentes, promtum eſſe Papam ad conſecrationem,

nem, & omnem regis honorem, ſi tamen Rex ipſe Pontifici annueret liberratem Eccleſiarum, laicam prohibens inveſtituram, recipiendo ab Eccleſiis ducatus, Marchias, Comitatus, Advocatias, monetas, telonia, cæterorumque regaliũ, quæ poſſident, ſummã: Præbuit Rex aſſenſum ſcilicet, quòd inveſtituras Epiſcoporum demitteret, Papa autem è contra omnia regalia Imperatori relaxaret. Et hæc pactio, ut refert Gotfridus, Sacramento, & obſidibus inter Papam & Imperatorem, aſſeritur fuiſſe firmata. Igitur conventione facta Rex hilariter ad urbẽ properat, & Dominus Apoſtolicus cum omni clero & populo ſe in ejus occurſum adornat. Unde poſtea populo & clero prodeunte obviam, urbem Leoninam primò ingreditur, procedentibus ſacerdotibus cum infulis, & reliquiis ſanctorum, à mole Adriani uſq; ad Baſilicam S. Petri, cujus in gradibus Rex pedes Pontificis eo uſque cum Cardinalibus prodeuntibus exoſculatus eſt. Poſitis deinde militibus in ſtationibus ſuis, una cũ pontifice ad dextram, templum ingreditur, deinde Domino Papa Miſſam ſolenniter celebrante, cùm Imperator ad altare, ut ſacram concionem de manu ejus ſuſciperet, acceſſiſſet, dixit illi ſummus Pontifex: Domine Imperator hodie corpus Domini natum ex Maria virgine, paſſum pro nobis in cruce, ſicut tenet Eccleſia, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te. Verùm Pontifex ſummus, reſiſtentibus

Epi-

Ep iſcopis & contradicentibus, ſicut promiſerat, regalia Imperatori ſervare non poterat, pro ut etiam Antoninus ſcribit, ea propter tumultuatũ eſt. Et, ut ſcribunt quidam Italici, Regem Pontificem oráſſe, ut illos confirmaret, quibus Epiſcopatus dederat, licet jusjurandum ſecundùm eos ante interpoſuiſſet, ſe nunquam à Pontifice petiturum, Paſchalem verò id facere recuſantem, intromiſſis militibus dato ſigno una cum Cardinalibus captum, & cleri partem magnam ſpoliatam. Sed alii aliter ſcribunt, quòd poſt variam diſceptationem, poſtremò Apoſtolicus ab Epiſcopis & aliis fidelibus regis ſit cuſtoditus. Promotus inde Romanus populus ſumtis armis Teutonicos ex urbe Leonina pellit, portaſq; omnes claudit, ut Italici ſcribunt. Sed alii narrant, impetum in populo ſubortum, in exercitumque Regis taliter graſſatum, ut commiſſa aliquandiu pugna regem ipſum neceſſe fuerit exercitui ſubvenire, quod & impigrè fecit, & uſque ad inclinatam jam diem fortiſſimi militis, & optimi ducis opus agens, victoria poſt multam ſtragem fuerit potitus; Romani, qui è tumultu fugientes ſupererant, magna pars Tiberi abſumta eſt. Poſt triduum Roma ſecedens Rex Dominum Apoſtolicum ſecum duxit, & eo quo potuit honore habuit, donec compoſitis per regiones negotiis, inſtans paſcha haud longè ab urbe celebravit. Ibi ſedato inter ipſum & Apoſtolicum, inter regnum & ſacerdotium, diſſidio,

poſt octavas Paſchæ cum totius populi Romani inæſtimabilisque exercitus tripudio ante baſilicam S. Petri Auguſti nomen & imperium chriſmate ritè perunctus & ſacratus, & ſub auguſtiſſima pompa ornatus ſuſcepit, dato ſibi in præſenti per manum Apoſtolici ſub teſtimonio aſtantis Eccleſiæ privilegio inveſtituræ Eccleſiaſticæ, juxta conſuetudinem ante ſervatam, cujus ſtabilitatem Papa mox ſub anathemate confirmabat, ſic denique ea die; Gloria in excelſis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis eſt reparata. Tenor autem inveſtiturarum talis erat; *Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum, Dei clariſſimo in Chriſto filio, Henrico, glorioſo Teutonicorum Regi, & per Dei omnipotentis gratiam* Romano *Imperatori Auguſto ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.* Regnum *veſtrum* S.R. *Eccleſiæ ſingulariter cohærere diſpoſitio divina conſtituit. Prædeceſſores ſiquidem veſtri probitatis & providentiæ amplioris gratiâ* Romanæ *urbis coronam & Imperiū conſecuti ſunt, ad cuius videlicet coronæ & Imperii dignitatem tuā quoq; perſonam, fili chariſſime Henrice, per noſtri ſacerdotii miniſterium majeſtas divina provexit. Illam ergò dignitatis prærogativam, quam prædeceſſores noſtri, veſtris prædeceſſoribus Catholicis Impera-*

peratoribus conceſſere, & privilegiorum paginas confirmavere, nos quoq; dilectioni tuæ cōcedimus, & præſentis privilegii pagina confirmamus, ut videlicet regni tui Epiſcopis & Abbatibus liberè, præter violentiam & Simoniā electis, inveſtituram virga & annulo conferas, & poſt inveſtituram Canonicè conſecrationem accipiant ab Epiſcopo, ad quem pertinuerint. Si quis à clero vel à populo præter aſſenſum tuum electus fuerit, niſi à te inveſtiatur, à nemine conſecretur, exceptis illis, qui vel in Archiepiſcoporum, vel in Rom. Pontificis ſolent inveſtitura conſiſtere. Sane Archiepiſcopi vel Epiſcopi libertatem habeant à te inveſtitos Abbates & Epiſcopos canonice conſecrare. Prædeceſſores enim noſtri Eccleſias regni ſui tantis regalium ſuorum beneficiis ampliavere, ut regnum ipſum, Epiſcoporum maxime & Abbatum præſidiis oporteat communiri. & populares diſſenſiones, quæ in electionibus ſæpe contingunt, regali oporteat majeſtate compeſci, ſi quis vero inflato ſpiritu ad periculū animæ ſuæ contra hujusmodi authoritatis noſtræ decretum agere præſumſerit, ſciat ſe vinculo Apoſtolicæ maledictionis & anathematis in hoc ſeculo & in futuro, niſi reſipiſcat, eſſe alligatum

atq;

atq; ſubmerſum. Hæc *Nauclerus. Matth. Paris* in Wilhel. I. p.p.62. brevioribus litis hujus proponit deciſionem verbis: *Anno D.* 1112. *facta eſt contentio Romæ, inter Papam Paſchalem & Henricum Imperatorem hac de cauſa. Imperator uti voluit* privilegio anteceſſorum, habito annis trecentis, ſub Romanis Pontificibus ſexaginta, qui licitè dederant Epiſcopatus & Abbatias per annulum & baculum paſtoralem. *E contra cenſebant Romani Pontifices, nec poſſe, nec debere dari per virgam vel annulum Epiſcopatum, vel aliquam inſtitutionem Eccleſiaſticam à manu recipere laicali. Facta eſt pax inter Imperatorem Henricum & Papam Paſchalem, ita ut Epiſcopi deinceps & Abbates inſtitutionem accipiant ab Imperatore & ſuis ſucceſſoribus per virgam & annulum, & prius faciant Epiſcopo, ad quem pertinent, Canonicam obedientiam, & conſecrationem accipiant conſuetã. Acta verò hæc ſunt ante altare Apoſtolorum Petri & Pauli, in oculis omniũ, & ſic Papa corpus Chriſti dedit Imperatori.* Variant nonnihil anthores iſti in enarrandis circumſtantiis, hoc interim conſtanter aſſerunt, optima utrinque fide, rationibus, quæ cum vi aut coactione ſubſiſtere non poſſunt adhibitis, fuiſſe actum; Id quod tum demum Papa

perſua-

perſuaderi ſibi eſt paſſus, cùm, vertente anno, videret, tumultuantes Romanos, & variis ſe hoc nomine injuriis laceſſi: tunc demũ hoc χρηςφύγετον obtendit. *Anno* 1112. ſcribit *Nauclerus, Pontifex multas à Romanis paſſus eſt iniurias, dicentibus quibusdam, quod contra inſtituta Eccleſiæ* Regem *Henricum tyrannum* (ſic odio nationis Itali Imperatorem ſuum, modò acceptæ cladis memores, appellabant) *& Eccleſiarum deſtructorẽ Imperiali benedictione ſublimâſſet, inſuper privilegio ſacrilegum condonâſſet. Inde coactus in Concilio XI. Kal. April. habito Laterani, facta coram omnibus profeſſione Catholicæ fidei dixit:* Amplector *decreta ſanctorum Patrum, Romanorum Pontificũ, præcipuè Gregorii VII. & beatæ memoriæ, Papæ Vrbani, quæ ipſi laudaverunt laudo, quæ tenuerunt, teneo, quæ confirmarunt, confirmo, quæ damnaverunt damno, quæ interdixerunt interdico, atque in omnibus & per omnia, & in his ſemper perſeverabo. Quibus expletis ſurrexit Gerardus, Egelſinenſis Epiſcopus, legatus Aquitaniæ, & de conſenſu Papæ, ac totius Concilii legit hanc Scripturam dicens: Privilegium illud, quod pro liberatione captivorum à Domino Paſchali Papa per violentiam* Regis *Henrici extortum eſt, nos omnes Canonica cenſura & autho-*

authoritate Eccleſiaſtica judicio S. Sp. damnamus & irritum judicamus: Atq; huic judicio Archiepiſcopi & Epiſcopi ferè 100. ſubſcripſerunt. Varias de hoc Paſchalis juramento ſententias & cenſuras, quibus exagitatus fuit, uſq; adeò ut ne hæreſeos quidem ſubterfugere potuerit labem, habet *Baron.* a. Ch. 1111. S. 27. & deinc. Nobis de eo opportunior dicendi locus dabitur in Symbibaſi: Nunc verò totius controverſiæ ſummam, temporis ſerie diſtinctã, breviter dabimus. A. Ch. 1107. Henricus Imperator à Principibus Germaniæ electus circa feſtum Paſchalis legatos mittit ad Paſchalem Papam, qui tum in Galliis Synodum agebat Trecis, eique nunciat, ſe privilegio de inveſtitura clericorum cedere non poſſe, cùm id datum ſit Carolo Magno, & omnibus aliis Imperatoribus; Papa in Gallia peregrinus concedit Imperatori inducias, ut de hac re cogitet annuo ſpatio, donec ipſe Romam veniat. *Urſp. Sigon.* lib. 10. pag. 243. Anno 1111. memorabilis illa obtigit Hiſtoria, cujus modò meminimus. An. 1112 in publico Cõcilio Paſchalis errorem de conceſſa veſtitura agnoſcit, conſiliumque rogat An. 1116. Idem Paſchalis Synodum Romæ congregat, in qua agitur de inveſtituris Laicorum, & utrique, tam dantes, quàm accipientes inveſtituras excommunicantur. A. Ch. 1119. Calixtus Rhemis in Gallia acta Hildebrandi & Urbani confirmat. Suo tamen

men jure Imperator cedere noluit. Vide *Baron.* h.a.S.10. Qua de cauſa, renitentibus multis ex communicationis ſupplicio mulctatur, *Ib.* A. Ch. 1121. Wirceburgi toto octiduo controverſia de inveſtitura tractatur. Tandem Imperator tot fatigatus moleſtiis Pontifici Inveſtituram reſignavit, an. Ch. 1112. *Bar.* a. cit. S.6. *Chron. Vrſp.* p. 267. *Naucl.* Gener. 37. pag. 178. b. Unde *author Faſcic. temp.* p. 75. *Iſte* Henricus *V. ſatis exceſſivus fuit in quibusdam, & primò erga patrem ſuum, quem cepit & in carcere eum mori fecit. Etiam contra Pontifices Romanos, eo quòd deberet reſignare inveſtituram Epiſcoporum &* Abbatum, *& nollet, ſicut nec Pater ejus. Tandem ad cor rediens obedivit, &c.* Pacis hujus poſt 50. annorum fluxum initæ meminit etiam *Geneb.* an. Chr. 1119. Recruduit hoc certamen ſub Lothario III. Cùm enim an. Ch. 1132. Innocentius Leodium prodiiſſet, atque eodem quoque Lotharius cum omnibus ſacris & profanis regni ſui proceribus, & univerſa Germaniæ nobilitate occurriſſet, ibi Innocentius à Rege, cæteriſque eximiè cultus conventum celeberrimum habuit, in quo ſacras adverſus Anacletum deteſtationes redintegravit, ac Lotharium ad ſe, Eccleſiamque tuendam honeſto Othonis Magni, & poſterorum ejus exemplo hortatus eſt. Lotharius ſe nullo ei tempore defuturum reſpondit, *ſi ipſe ſibi antiquum jus*

con-

conferendorum ſacerdotiorum, cui nuper Henricus renunciârat, concederet: nam Imperiũ plurimum eo vectigali ſubtracto ad gravia prò Eccleſia ſuſtinenda bella detrimenti cepiſſe. Qua voce audita graviter perculſi Cardinalium animi ſunt, ut qui ſe triſtiorem in Germania ipſis Eccleſiæ rebus fortunam reperiſſe viderent, quàm Romæ reliquiſſent, ſi eo ſibi jure cedendum eſſet, quod ipſi nuper tanto ſudore ac ſanguine vix tandem Eccleſiæ peperiſſent. *Sig.* Expugnatus tamen Bernhardi authoritate Imperator jure ſe ſuo abdicavit. *Sig.* lib. 11. p. 203. confer p. 269. *Calviſ.* 1151.

II. In *Anglia*. An. Chr. 1102. Anſelmus in Anglia Concilium agit Londini, contra inveſtituras laicorum, cujus decretis Henricus rex ſe opponit. *Calviſ. Geneb. Matth. Par.* p. 56. confer 95. 96. *Bar*, an. Chr. 1101. S. 1. & deinc. Anno Chr. 1108. Rex Angliæ inveſtituram cedit. *Baron.* S. 5. Sed an. 1136. Stephanus Anglorum Rex, inveſtituras prælatorum jure regio ſibi reſervavit: *Matth. Par.* pag. 176.

III. In *Gallia*. Vide *Bar.* an. Chr. 1101. S. 12. Certè, cùm an. Chr. 1142. Innocentius Papa in Galliis Petrum quendam feciſſet Epiſcopum Bituricenſem, inſcio rege Ludovico, & præter voluntatem ejus, ingentes turbæ in regno Galliæ fuerunt ortæ. Epiſcopus ille Epiſcopatu à rege pellitur, & alii Epiſcopatus, qui non conſentie-

ſentiebant regi, vaſtantur. *Baron. Matth. Par.* p 77. Confer *Avent.* annal. l. 6. p. 610.

IV. In *Hüngaria.* Reges Hungariæ inveſtituras facere conſueverant ad initium hujus ſeculi, quo Pontifici jus reſignârunt, *Martinus Geneb. Sed illud hodie non ſervant, imò inveſtiunt, vel ſaltem ad libitum Epiſcopos faciunt,* ut ſuo jam tempore ſcripſit *Naucl.* Gener. 37. p. 173. b.

C. Propter *jura* eligendi Patricium, *Conſules,* & Senatores inter Pontifices & Senatum Romanum excitatæ ſunt ſimultates. *Sigon.* de Reg Ital. lib. 11. an. 1144. *Interim novum Romani tumultum excitaverunt. Etenim ſenatoribus, quos inſtituerant, non contenti, Patricium celſioris faſtigii Magiſtratum, adiecerunt, ac vectigalia omnia tam urbana, quàm peregrina Pontifici erepta ei attribuerunt, Pontificeq; ſacris decimis, & largitionibus dignitatem tueri ſuam iuſſerunt.* A quo quidem propoſito Romani nec blanditiis terreri poterant nec minis. Ad arma tandem deventum, quibus infeliciter Lucius Papa immixtus ipſe occubuit. Hadriano poſtea ſedente, legati Romanorum Fridericum, cuius contra eosdem jam auxilium imploraverat Pontifex, conveniunt, copiaque dicendi facta, ita exorſi ſunt: *Senatus Populusq; Romanus, Rex optime felicem hunc tibi adventum gratulatur, ſeq; coronam Imperii tibi*

traditurum pollicetur, ſi pacem præſtiturus & jura ſua converſaturus accedis. Cæterùm, poſtulat à te duo: Vnum quidem ut injunctum à ſe clericorum dominatum depellas, ac civitatem in antiquam Reipublicæ formam reſtituas. Neque enim te fugit, quanta quondam fuerit huius urbis maieſtas, cùm, ſenatorio atque equeſtri ordine vigente, ipſa per conſules, prætores; ac tribunos plebis gubernabatur. Quod eò te ſtudioſius facere oportere exiſtimat, quo plus ab ea, quàm quiſquam alius accepiſti: cum tranſalpinus homo, ad regnum Italiæ, Imperiiq; Romani culmen evectus ſis. Alterum verò, ut ad ſervandas antiquas conſuetudines Magiſtratibus ſuis, à quibus tibi mox in Capitolio acclamabitur, usq; ad quinq; millia librarum argenti dilargiaris, injuriasq; à Republica uſq; ad effuſionem ſanguinis arceas, & hæc privilegiis munias, tuaq; manu corrobores. *Sig.* an. Chr. 1155. Imperator verò Papæ jam partibus addictus dura eos repulſa abegit: quâ exculerati Romani, prælio ſe ulciſci contenderunt. Victi tamen à Germanis alii in Tiberim merſi, cæteri cæſi aut fugati fuerunt. A.C. 1177. denuo inſtant apud Alexandum, ut copiam faceret Romanis, legendi Senatores. *Sigon.* Naucl. Gener. 40. *Hic* Lucius *ab initio Conſules, Ro*

manis

manis quibusdam faventibus, deponere curavit, multorum ex nobilitate ac populo Romano ope ac conſilio fretus; faſtidiebant enim tyrannidem conſulum: ſed adeò conſularis factio prævaluit, ut Lucio urbe deturbato in fautores ſuos multum ſit deſævitum: Novo enim exemplo ſtudioſos Pontificis, qui fuga ſibi non conſuluerant, effoſſis oculis, cæcârunt, Compoſita tandem fuit controverſia an. Ch. 1188. ſub Clemen. III. hac conditione, ut Romani Patricium ſubrogarent, Senatores autem & præfectum urbis ita crearent, ut à Pontifice inveſtituram per mantum acciperent. *Sig.* p. 345. &c.

D. Habuit & *Imperatorum electio* ſexcenta ſua incommoda, & diſſidiorum fomenta. Omnem Pontifex movit lapidem, ne quis ab Imperii ſtatibus eligeretur, qui ad votum non eſſet. Et ſi forte talem ſuffragiis vincere contigiſſet, prius non deſtitit, quàm facem ad cruenta bella, contra recens deſignatum gerenda, ſubdidiſſet. *Prioris* exemplum ſuppeditat *Vſperg.* Chron. p. 305. in Philippo, & Innocentio III. *Innocentius Papa III. tunc de novo in ſede Apoſtolica ſublimatus omni ſtudio cæpit adverſari eidem. Hoc agens, ut ipſum impediret, ne ad ſublimitatem culminis Imperialis poſſet aſcendere, improperans ei, quæ frater ſuus, & parentes crudeliter peregerant, quæ tamen multa*

nequitia hominum impulſi creduntur pere-giſſe, in quo, ſalva reverentia ſedis Apoſtolicæ, non videtur ſecundum æquitatem judicâſſe, *cum Dominus teſtetur per Prophetam; quod nec peccata parentum filiis imputentur; quanto minus peccata fratrum aut aliorum propinquorum? Ezechias quoq; & Ioſias Reges religioſiſſimi, iniquiſſimos habuere parentes. Quinimò in generatione Salvatoris noſtri IeſuChriſti connumerantur, multi iniqui. Extat adhuc Epiſtola præfati Innocentii directa ad Bertholdum Ducem Zaringiæ, in qua contra Philippum multa abſurda, & quædam falſa deſcribuntur, quam fecit interſeri in compilatione Decretalium ſuarum*, quas Magiſter *Petrus Beneventanus, Subdiaconus ipſius poſtmodū in uno volumine compegit, diſtinguens eas ſub certis titulis & librorum differentiis, ſecundum convenientes ſententias. Tunc cæpit Papa frivolis* (quæ apud *Sigon.* l. 15. pag. 358. occurrunt) *inſiſtere obiectionibus & exceptionibus, quatenus ipſum impediret, ſententiam objiciens ei excommunicationis, &c.* Imò palam Pontifex falſus dicitur: *Ego vel auferam Philippo diadema regium, aut ipſe tollet à me inſigne Apoſtolicum*; ut habes ſup. p. 67. Quæ

verb:

verba repetuntur à *Felic. Fab.* Hiſt. Suev. l. 1. p. 108. Tanta erat Papæ φιλονεικία!

Poſterioris exemplum occurrit in Conrado, filio Ducis Hermanni, Suevi, fratre Friderici I. & nepote Henrico V. Qua de re audire placet *Felic. Fab.* l. 1. p. 96. *Hoc* (electionẽ nempe Conradi) *ut Papa audiuit, Innocentius huius nominis II. obſtupuit & timuit pro eo, quod genus Suevorum iterum culmen Imperii apprehendit, & ſtipendia grandia miſit Bavariæ Duci Henrico, genero Lotharii Imperatoris defuncti, prohibens eum, ne inſignia imperialia, quæ apud eum depoſita fuerunt, electo daret, ſed contra eum arma ſumeret. Sed & Duces Saxoniæ, alias amaricatos, propter præfatum Lothariũ, Papa amplius incitavit contra Conradum, qui tamen erat vir probiſſimus, &, pro Chriſtiana religione, Zeloſiſſimus, ſicuti ſequentia declarabunt, & de eo ſcribentes etiam Italici teſtimonio fideli probant*, ſed de injuriis ei factis à Papa *nihil dicunt. Et ſi Conradus reprehenſibilis fuiſſet pro uno digito, in cubitos multos extendiſſent: ſed, coacti ueritate dicunt veritatem, in parte tamen eis placita. Cum ergo Conradus III. huius nominis Imperator pro inſigniis Henricum Bavarum imperet, & dare nollet, mouit contra eum exercitum*

citum. Vt autem Papa hoc audivit, miſit in adjutorium Henrico *Bavaro magnum exercitum Gallorum, Italorum, & Siculorum ad expugnandum Conradum: ſed & Conradus omne Imperium ſibi ſubditorum convocavit, & Fridericus frater Conradi totum robur Suevorum armatorum congregavit, ad ſe defenſandum, & ſua jura ac patriam, ſicut tenebantur, cum ſit de iure divino. Porrò prædictus Henricus Bavarus per ſe bellare non valens, ſenectute prægravatus, Guelfonem fratrē ſuum juniorem Bavariæ Ducem, exercitibus præfecit, & belli curam commiſit. Congreſſi ergò ad præliandum Fridericus Dux Sueviæ, ex parte Conradi Imperatoris, & Guelfo ex parte ducis Bavariæ Henrici congreſſum fecerunt in campo iuxta oppidum Nerwshaim, quod inter Giengen & Nerdlingen eſt. Arriſit autem divina clementia Suevis audacibus, cum etiā* Fortuna juvat audaces, *& Fridericus gloriosſam victoriam obtinuit: Guelfus verò, cæteris interfectis, cum paucis confuſus, in Bavariam rediit. Poſtea in memoriam æternam illius victoriæ Duces Suevorum Monaſterium in loco fundaverunt ordinis Sancti Benedicti. Demum* Papa inquietus *de Imperio Suevarum*

rum fortiorem exercitum deſtinavit Bavaris, & Guelfo Bavarus paratus contra Suevos procedit in prælium, in campum iuxta villam Elnhofen, Prope VVinſperg. Porro clamor Bavarorum, quo Suevos terrere putabant, erat ex nomine ſui capitanei clamantes, Hic Gwelfo, *vulgariter* hie welf (eadem, verbis iisdem, leguntur apud Hermannum Æædituum, in Chronic. qui hunc clamorem vocat die krey) *clamor autem Suevorum, quo Bavaros deridebant, erat ex nomine villæ, in qua lactatus à nutrice fuerat Fridericus Dux Sueviæ, Capitaneus Suevorũ, quæ dicitur Giblingen clamantes,* Hic Giblingen (in al. hie Guaivvelin: nam & ipſa villa vocatur Waiblingen: ſed Guabelin Germanicum eſt, Gibelin Italicum) *per quod denotari volebant, quod non reali potentia, nec per Ducatum Sueviæ Gvvelfonẽ vellet debellare, ſed lacte nutricis ſuæ, id eſt, auxilio ruſticuli: quod & contigit. Itali autem,* Galli *& Siculi in exercitu Gvvelfonis ex parte Papæ, exiſtentes dum iuſſi eſſent, ut in congreſſu clamarent* hie welf/ *non intelligentes idioma, interrogabant ſignificatum orationis, quibus dictum eſt, quod* hie Gwelf/ *eſſet clamor deſignans ſervitu-*

 tem

tem ſpectantem ad Papam, & e contrario, hic Giebeling *eſſet clamor ſervientium* Imper*a-tori. Unde uſque hodie apud italos clientes, & de parte Papæ dicuntur* Gwelfi *& armigeri de parte Imperatoris dicuntur* Gibling. *Et ſub duobus nominibus ab eo tempore uſq; in hodiernum diem ſeditiones & diviſiones truculentiſſimæ, quaſi per ſingulas Italiæ civitates ſunt.* Hæc nomina, *dicit Dominus Antoninus, in Chronic. tit. 17. c. 8.* eſſe peſtifera nomina pro eo, quia ablativa ſunt unitatis & pacis *In ſupplemento autem Chron. lib. 13. ſub Gregorio IX. dicuntur* nomina peſtifera ad totius Italiæ interitũ deſervientium: *& ibi ponitur aliud principium illorum nominum, ſed iam dictum verius eſt. Hora ergo ſtatuta Gvvelfi & Giblini congreſſi, iterum vicerunt* Suevi, *& Ducem Bavarum Guelſum interfecerunt, & multum populum cum eo; cæteri fugæ præſidio ſalvati evaſerunt. Conradus autem* Imper*ator manu fratris ſui victoria potitus Bavariam ſibi ſubnervavit, & Ducatum* Henr*ico abſtulit, & nobilem virum militem Baronem de Schiringem Ducem Bavarorum præfecit.* Hic finis fuit inſidiarum Papæ contra Imperatorem, cujus paulò pòſt, Saracenorum proſpero in Oriente ſucceſſu territus, amicitiam ambivit.

E. Mul-

E. Multum etiam Pontifices vexavit *controverſia de bonis Eccleſiaſticis*, quæ paulatim illi amiſiſſe ſe querebantur. Vide *Sig* l.15.p.349. Plures dari poſſent exitialium diſſidiorum, quibus ſeculi hujus infelicitas fuit aucta, abortus, niſi diutius æquo rei, ſua ſatis natura claræ, immoraremur illuſtrandæ. Id coronidis loco obſervetur, perniciofiſſimas colliſiones eā nobis dediſſe ſedem, quæ ſi re vera, quod audire vult, eſſet ab aliis prorſus cenſeri deberet immunis. *Omnium calamitatum*, inquit *Sigon*. l.13. initio, *quas ab exactis Longobardis Italia pertulit, nullæ aut majores, aut fœdiores fuerunt, quàm quas ipſa ſacrorum comitiorum diſſidia intulerunt, quorum tria pernicioſiſſima proxima patrum erat adhuc ætas experta, Honorii, Clementis & Anacleti, qui de jure dignitatis cum* Alexandro, *Gregorio, & Innocentio* Pontificibus *decertârant. Horum enim ſingulæ externa Germanorum arma in Italiam non ſine maximo ipſius pernicie advocavere: primum verò & ſecundum Imperium etiam ipſum, parū ſalutari in futurum exemplo, ab Eccleſia disjunxere. Ecce autem hærente adhuc non modo in armis, ſed etiam in oculis penè omnium memoria tertio, quartum exarſit vel omnium, quæ adhuc ſcripſi teterrimum, quo* Alexan-

drum tertium Victor quartus inceſſit. Hoc *enim non omnes ſolum occidentales Eccleſiæ, ſed etiam regna inter ſe, ac provinciæ, civitateſque disiunctæ ſunt: quin & Imperator propterea tam gravem, tamque diuturnam cum Eccleſia contentionem inivit, ut non ſolum in præſens civitates inter ſe univerſas diſtraxerit, ſed etiam in eisdem familias ipſas inexpiabili in multa ſecula inducta diſſenſione diviſerit.* Hinc *etiam Gibellinorum & Guelforum nominibus ex vetere Germaniæ diſſenſione deſumtis, exitiales Italis factiones manârunt, quæ ſub Friderico patre exortæ, neq; omnino poſt ſub* Henrico *filio obliteratæ, demum ſub Friderico nepote effuſius erumpentes ingentes in multos poſt annos ſtrages in Italia edidere.*

[*d*] In quibus deprehendebatur & reprehendebatur. lib. 1. *Ambitio.* Hinc querela *Bernhardi* de Conſiderat. lib. 1. *Plana eſt ambitioſis Eccleſia: non eſt jam quod exhorreat in ſtudiis & molitionibus ambitionis, non plus quàm ſpelunca latronum in ſpoliis viatorum.* Ambitioſus fuit a. Papa, cujus una fuit cura ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Unde Henricus Imperat. contra Pontific. apud *Avent.* l. 6. p. 611. *Nullo,* inquit, *pacto*

cto fas iusque eſſe faſtuoſo Pontifici, leviſſimis Gallus magis ſuperſtitioſis, quàm religioſis, tot divos, tot pientiſſimos, Pontifices maximos, minores, Myſtas, Monachos, Reges, Imperatores, ſuperas atq; cælites impietatis condemnare, ſe quo ad vita ſuppetat, non paſſurum, ut inſtituta à maioribus accepta, per tot annos hactenus obſervata, fraude & aſtu paucorum, cum maxima Chriſtianorum morum pernicie oblitterentur: Pontifices, Epiſcopos, Myſtas, Monachos ab Imperatoribus, atq; regibus collocupletatos eſſe. Vbi his pares opibus facti ſunt, more præditorum, quo plura donata fuerint, plura concupiſcere, illisq; ſordere prima quæq;, ubi maiora ſperârint, titulo honeſto libertatis Eccleſiaſticæ fraudulentos homines graſſari, illud conari, ut ſe excluſo, paulatim etiam populum, ſacerdotes, Epiſcopos alios in ordinem, atq; ſervitutem tandem redigant, atque arma in eos, quorum beneficia poſſident, ne hæc aliquo pacto repeti queant, vertant. Pontifices Romanos orbis Imperium animo cogitare, regnum Chriſtiani populi adfectare, non quieturos, donec oppreſſo Cæſare, omnibus iugum ſervitutis, quod ipſi excuſſere, imponant, Chriſti cruciamenta declarare, quænam

nam ſit rabies ſacerdotum, adverſus immodicam concupiſcentiam, cui ſe ſemel animus devoverit, nullum ſtare terminum, ſe pene impuberem, imperitum, omnium rerum ab illis egregiis Paſtoribus dolo circumventum in patrem clariſſimum concitatum eſſe, armaque horum conſilio ſumſiſſe. Nunc genitore oppreſſo, adverſus ſe conſpirâſſe, neque modum ambitioni ponere, niſi alios omnes dignitate, honore expolient, &, quo ipſis quicquid lubeat, liceat, ab ſingulis juramentum, ſe futuros in eorum poteſtate, quicquid illi dicant, pro legibus habituros, atque tandem pro Deo adoraturos, exigant, &c. Novum ambitionis ſpecimen fuit & hoc, quod, *cùm priores Pontifices Romani ad diplomata, Epiſtolas, libellos omnes hactenus Imperatoris annos addidiſſent, primus Paſchalis, hiſce tacitis, ſuæ poteſtatis numerum adſcripſerit*: *Avent.* p. 617. Juramenta ſua vel vota violare jubentur Caſſinenſes Monachi, prætenſa *plenitudine omnimoda poteſtatis Pontificiæ*; *Sig.* lib. 11. p. 269. Quæ hæc *αὐθάδεια*? Quo loco Imperatores habuerit Pontifex, Venetiis clarum fecit, cùm collo Friderici inſultâſſet. Vide ſup. p. 12. confer *Naucler.* Gen. 40. p. 195. a. quod tamen in Hiſtoria ejus ſupprimunt *Sigon.* & *Geneb.* Poſteà, cùm an. Ch.

1191. Henricus in Italiam proficiſceretur, ut coronam à Papa acciperet, eamquidem, poſt longã moram, fuit conſecutus, ſed vix diademate cinctus, ignominiosè tractatur. Coronam enim antea impoſitam capiti, elevato pede, Pontifex iterum decuſſit, quo facto ſignificavit, in ſua poteſtate eſſe dare & auferre Imperatoribus Imperium quando voluerit. *Calviſ.* ex *Baron. Felix Fab.* Hiſt. Suev. lib. 1. p. 94. expreſsè ſcribit, *jubente & agente Papa, Henricum IV. ab Henrico V. Patrem à filio, in carcerem fuiſſe compactum.* De Eugenio III. commemorat *Sig.* p. 277. quod, *primùm ubi deſignatus eſt, contra opinionem omnium, ingentem animi indolem præ ſe tulerit. Nam cum à Romanis ad remittenda urbis vectigalia urgeretur, eos ita aſpernatus eſt, ut ne dignos quidem, queis cum habitaret, putârit.* Adeò nihil eſt, quod ambitiosè tribui ſibi, in Politicis etiã, noluerit Papa! Eccleſiam oppones primitivam? Apud Deum illa tantùm floruit; ajunt, nunc ſplendidius micat, hominum ſuffulta authoritate. Ita enim Apoſtolicus apud *Vrſp.* p. 259. *Eccleſia primitiva Martyrum tempore floruit apud Deum, & non apud homines. Dein ad finem converſi ſunt reges, Imperatores, Romani Principes, qui matrem ſuam Eccleſiam, ſicut boni filii honeſtaverunt, conferendo Eccleſiæ Dei prædia & al-*

lodia,

lodia, ſeculares honores & dignitates, regalia quoque iura & inſignia, quemadmodum Conſtantinus cæterique fideles, & cœpit Eccleſia florere tam apud homines, quàm apud Deum. Habent ergo mater & Domina noſtra Eccleſia ſibi à Regib*us ſive Principibus collata; diſpenſet & tribuat ea filiis ſuis ſicut ſcit, & ſicut vult.* In quas ambitio Pontificum curas conjecerit & anguſtias Eccleſiam hoc ſeculo ex iis patet, quæ de ſchiſmatibus modò prælibavimus: alia mox ſequentur. Quæ verò Pontiff. fuit gratia? Fatentur à Regibus, Principibus & Imperatoribus Eccleſiam magnificè fuiſſe donatam, ornatam & inſtructam, ipſos tamen benefactores indigniſſimis tractant (qua de re plura poſtea) modis. Leve eſt, quòd omnia regna feuda ſua eſſe voluit Papa Romanus. De Sicilia, vide *Geneb.* a. Ch. 1154. Sic *Alphonſo*, Portugalenſium novo & primo regi coronam per Albertum Cardinalem Alexander II. tradit, ea lege, ut quot annis Portugalenſes Reges duas auri libras Eccleſiæ Romanæ perſolvant. *Id Bar. Calviſ. Bal. p.* 176. Henrico II. ob cædem Cantuarienſis Epiſcopi, *Thoma*, cognomento *Bequeti*, ſpecie pœnitentiæ injunctum eſt, ut ne deinceps ullus eſſet Rex Angliæ, quem Pontifex Romanus non deſignâſſet, *Polyd. Hiſt. Anglic.* l. 16. *Geneb. Plat.* in Alex. III. Gravius, indignius, & intolerabilius eſt, quòd Pontifices, Imperatores ad eorum nutum

ſe

ſe ægrè compotentes, non aqua modo & igni, ſed & ſacris interdixerint; ſubditoſq; exauthorârint. Crebræ in Anglia fuerunt excommunicationes. Regem diris devovet Alexander III. Henricum, Patrem (vide *Buch.* p.314.) & filium, Pontifices aliquot *ſub ſpecie Religionis* excommunicârunt, *Vrſperg.* p.271. Philippum Franciæ Regem excommunicavit Urbanus. *Baron.* an. Chr. 1100. S.21. Eundem excommunicationis rigorem alii etiam adhibebant; adeò ut inhumata hinc inde defunctorum corpora triſte intuentibus præbuerint ſpectaculum. Exemplum habet *Matth. Par.* p.182. Multi quidem fulmina hæc parum curârunt. Vide eundem p.190. Alii tamen ita illis fuerunt territi, ut nulla facilius re obſequium Papa obtinuerit. Exemplum ſuprà habuimus in Friderico Barbaroſſa, p.12.

Sed & cæteros quoque *Eccleſiæ præſides* ambitio ita occupavit, ut de nulla re acriùs certârint, quàm de πϱωτείῳ τιμῆς. Unde tot cruenta bella, & pernitioſa inter Epiſcopos & Abbates diſſidia. Luculentum proponit exemplum *Matth. Par.* a. Chr. 1151. his verbis: *Eodem anno Conradus Imperator, vir prudens & diſcretus diem clauſit extremum, de quo legitur, quod, dum in ſancto Pentecoſtes, præſentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Imperii magnatibus in urbe quadam divinis intereſſet obſequiis, Diabolo inſtigante, ſurrexit contentio inter prælatos memora-*

memoratos, quis deberet eſſe dignior in primatu cathedrali, ut Imperatori propius conſideret. Altercantibus autem Epiſcopis circa hoc, aliisq; Prælatis; accurrunt eorundem Prælatorum Miniſtri cum gladiis & fuſtibus & ſic plagis impoſitis, iſtos de ſuis ſedibus extrahentes, in easdem alios intruſerunt. Et lite conteſtata, mitras hinc inde, & paſtorales baculos confregerunt, ſanguinem in Eccleſia non minimum effundentes. Quod videns Imperator contriſtatus eſt vehementer. &c. Legatur & ſequens tragœdiæ hujus καταστροφή. *Oderiſius & Nicolaus*, duo apud Caſſinenſes Abbates acerbiſſimo contra ſe invicem odio concitato, ad comparandos armatos omnem Monaſterii Theſaurum dilapidant: *Baron.* an. Ch. 1116. S. 3. utrique nempe dominandi libido arma miniſtravit. *Matth. Par.* An. Chr. 1113. Rex Henricus *dedit Archiepiſcopatum Cantuarienſem Rodolpho Londonienſi Epiſcopo & illum per annulum & baculum paſtoralem inveſtivit. Obiit eodem anno Thomas Eboracenſis Archiepiſcopus & ei Thurſtanus ſucceſſit. Orta eſt autem inter* Rodolphum *Cantuarienſem & Thurſtanum Eboracenſem Archiepiſcopos magna diſſenſio, eo quòd Eboracenſis ſubjici noluit Archiepiſcopo Cantuarienſi de more, ſicut ejus*

ejus anteceſſores facere ſolebant. Cauſa autem ſæpe coram Rege & D. Papa ventilata eſt, ſed nondum fine debito terminata. Vide etiam an. Ch. 1115. & 1125. Eandem recitat Hiſtoriam *Bal.* centur. II. p. 185. cui ſequentia ſubjungit: *Hinc cernere licet* (inquit *Polydorus*) *jam tum Epiſcopos cœpiſſe delirare, cupiditate ac ambitione cæcos: qui non viderint ſuum eſſe officium, ſpretis omnibus, quæ vulgus miratur animarum ſaluti tantummodo conſulere.* Ex *Thurſtani* verò opuſc. de Fontanenſis Cœnobii initio, ſequens recitat Paradoxum: *Tametſi videatur Evangelium emortuum, & impoſſibile in nobis; intueamur ſaltem Monachos Savintenſes & Clarevallenſes, qui nuper venerunt ad nos. quàm clarè revixit Evangelium in illis, ut ſi fas eſt dicere, utilius ſit eos imitari, quàm Evangeliũ recitare. Vſſer.* Ind. Chronol. an. Chr. 1199. *Turonenſis & Dolenſis* Eccleſiæ vetus illa de jure Metropolitico coram *Innocentio III.* agitata eſt controverſia: in qua *Dolenſis* cecidit, & *Turonenſi* Metropoli fuit ſubjecta. Vide *Innocent.* Regiſt. lib. 2. Epiſt. 79. & *Rogerum Hoveden.* in Hiſt. an. 1199. *Antiquit. Vſſer.* p. 530. *Matth. Par.* p. 191. Et ſanè, ambitionis œſtro ita percita fuit ſeculi hujus ætas, ut vel Sacrorũ mutatione ipſa imperium redimere, vel pacem publicã turbare religioni non duxerint. Græci Pontifici Ro-

mano fidei conſenſum promittunt, dummodo priſtinum Majeſtatis Imperialis ſplendorem recuperarent. Vide *Sig.* lib. 10. p. 250. collat. cum *Plat.* in Alex. III. *Emanuel Græcus Imperator Legatos ad Pontificem miſit, qui ei pollicerentur & magnas copias in Fridericum, & unicam mentem omnium Græcorum cum Eccleſia Romana convenientem, ſi pateretur Imperium Romanum antea diviſum in unum corpus redigi.* Conf. *Calviſ.* an. Ch. 1166. in *Oriente* ambitionis ſtudium inter Boamundum & Baldvvinum flagrans Carrâeos defraudavit, urbe, cujus mentio fit in Hiſtoria Abrahami. Vide *Matth. Paris* p. 58. Huc pertinet illud *Sigon.* a. Ch. 1119. H*oc anno bellum inter Piſanos & Genuenſes eſt ortum: Cauſa ejus prælata, quòd uterque populus, Epiſcopos Corſicæ apud ſe conſecrari volebat: id bellum per multos inde annos vario eventu eſt geſtum.*

2. Alii *bella* non tantùm *gerebant* per ſuccenturiatos ſuos aut Duces, ſed ipſi arma in innocentium Chriſtianorum viſcera ſtringebant. *Otto Friſingenſis* (verba ſunt *Avent.* annal. l. 7. p. 659) *Epiſcopus, Ottenburgium ſuperioris Bojariæ arcem condit, præſidio firmat; ob ſalinarum portorium vectigalq; Bojorũ Regulo, Monacenſibusq; bellum indicit: ſalem devehentes,*

Verin-

Veringem vicum, atq; Ottoburgium petere cogit: cætera itinera præcludit atq; obſidet. Hactenus Epiſcopi, ſacerdotes, Monachi, ſacratæ fœminæ otio literario addicti, ſcribundis libris, uti apparet in Bibliothecis, operam navârunt. Profani, qui ſacerdotes collocupletârunt, prædia ſacerdotalia adminiſtrârant, eos Conradus quoque Reginoburgenſis Epiſcopus ex Aſia reverſus, à curatione Eccleſiaſticarum opũ, Deo dicatarum, devotarumq; ſuperis, amovere vi connititur. Eberhardus Archimyſta Bojorum ob clientelam & Parochiam Vtinenſem cum Duce Boiorum digladians, ſocia arma collegis ſuis iungit, atq; de improviſo coniunctis copiis, nemine reſiſtente, fines Baiariæ invadunt, caſtella expugnant, omnia cæde, incendiis cõplent, templa expilant, nec ab aris, nec ſacris manus ſacrilegas, egregii ſanè paſtores, abſtinent, oves quas paſcere deberent, more luporũ, ſub magna ſuperficie pietatis, devorãt. Et ne omnino res divinas flocci facere videantur, magno religionis ſupercilio Chunegundã [illegible]uſtam albo ſuperum aſſcribunt. Huius vero infortunii fabrum fuiſſe Pontificem Romanum, quaſi tot cædibus ille delectaretur, *idem* monet p. eadem. *Spectante itaque atq; concitante*

tante Rom. Sacerdote, Philippus & Otto cognatas acies committunt, frater adverſus fratrem; filius adverſus parentem (quod eodem Duce, Majoribus etiam noſtris pro Pontificum ſalute non ſemel dimicantibus accidit) *confligere cogitur. Quis aliam tantæ diſcordiæ inter Chriſtianos cauſam attulerit, niſi Romani Epiſcopi ſpectaculum, quaſi paria componentis? Populus Chriſtianus mutuis ſe vulneribus, cohortantibus Flaminibus Romanenſibus, contrucidavit.* De Archiepiſcopi Moguntini ſtudiis bellicis, conſulatur *Urſp.* p. 260. *An.* Chr. 1195. Richardus, Rex Angliæ bis prælio cum Gallo congreditur, & bis hoc & ſequenti anno vincit: In ultimo prælio cepit Epiſcopum Beluacenſem, pro quo Celeſtinus Papa ad Regem ſcripſit, ut filius ſuus liberè dimittatur. Rex exuit Epiſcopo loricam, & alia arma, mittitque ea ad Pontificem, quæſitum an hæc filii ſui tunica eſſet? *Calviſ. Matth. Par.* p. 191. Colonienſis, Rainaldi, & Moguntini pro Friderico felices in Italia contra Romanos pugnas, quibus ipſi ſe immiſcuerunt, deſcripſit *Naucl.* Gen. 39. p. 191. a. b. De Ulrico, Patriarcha Aquilejenſi, ſcribit *Sigon.* an. Chr. 1162. *quòd bello fuerit adortus Gradum, à Venetis autem cum ſeptingentis Nobilibus Forojulienſibus captus, & Venetias perductus, cumque omnibus in cuſtodias conditus:*

ditus: Demum verò pactus, ſe quot annis duodecim procos & duodecim panes Duci in eiusmodi die daturum, ipſe cum omnibus liberatus. Inſtitutum inde manſit, ut quot annis ludicrum in foro in eius rei memoriam ederetur. Ipſe quoque Papa Lucius II. (de quo commemorat *Geneb.* p.616. quòd primus juxta conſtitutionis formam, poſitam in 11. Concil. Lateranenſi, creatus ſit Pontifex) armis adortus Romanos lapidibus ita contunditur, ut paulò pòſt animam exhalârit. De Innocentio II. Baron.an.Chr. 1133. S.6. quaſi re bene geſta, ſcribit, quòd urbem reliquerit, *quia facultate rebus divinis vacandi negata, armis jugiter inſiſtere neceſſitas ei imperârit.* De hac militandi conſuetudine loquitur etiam *Baron.* an. Chr. 1127. S.12. *Erat horum* (Clericorum) *haud exiguus numerus in palatio* Regis *militantium, nec in Palatina tantùm, ſed & caſtrenſi militia merentium, quod deplorat idem Sanctus Bernhardus, cum in pluribus locis, tum præſertim in Epiſtola ad Sugerium Abbatem Pariſienſem his verbis:* Cujus enim cor non indignatur, cujus vel clàm lingua non ſubmurmurat, Diaconum contra Evangelium Deo & Mamona pariter miniſtrantem? Sic quippe ſublimatum honoribus Eccleſiaſticis, ut nec Epiſcopis inferior videatur: Sic im-

plicatum militaribus officiis, ut præferatur & ducibus? Rogo quid hoc eſt monſtri, ut cùm & clericus & miles ſimul videri velit, neutrum ſit? par ſatis utrobique abuſio, ſive quod Diaconus menſa regia deputetur miniſterio, ſive quod Regis dapifer Miniſteriis altaris inſerviat. Quis ſanè non miretur, imò & deteſtetur, unius eſſe perſona & armatam ducere militiam, & alba, ſtolaque indutum in medio Eccleſia pronunciare Evangelium?, Tuba indicere bellum militibus, & iuſſa Epiſcopi populis intimare: Niſi fortè (quod intolerabilius eſt) erubeſcit Evangelium, de quo Vas electionis admodum gloriatur; & confunditur videri clericus, magiſque honorabile ducit putari ſe militem. Curam Eccleſia præfert; Regis menſam, altari Chriſti, & Calici Domini, calicem Dæmoniorum.

4. *Vita diſſoluta quorundam* 1. *Monachorum.* Vide ſup. p.122. quibus adde cænobiũ Luxovienſe in Gallia *penitus moribus deterrimis deformatum*, ut loquitur *Bar.*an. Ch.1131. S.12. & 1142. S.5. Exemplum illius parricidæ, apud *Vrſperg.* p.269. qui Epiſcopum ante altare in oratione ſtantem cultro perfodit. 2. *Sacerdotum*, vide ſup. pag.70 ex *Vrſperg.* Sic Paſchalis II. intellexit, Gallos Sacerdotes, non ita integrè, ut decebat, vitam ducere, *Plat.* In Anglia VVilelmus Eboracenſis Epiſcopus ſcelere ſuorum clericorum veneno appoſito, & in ablutione calicis poſt celebratam miſſam, ut moris, exhauſto, interficitur: *Calv.* ex *Bar.* 1154. Huc pertinere videtur Epi-

Epiſtola illa cælitus miſſa, ad temperandas Romanorum enormitates, ut loquitur *Matth. Par.* a. Ch. 1109. ex qua patet, nunquam defuiſſe, qui res Eccleſiæ meliori loco eſſe optârint.

5. *Avaritia*, & inexplebile habendi deſiderium, quod quidem plurimis occaſionem dedit difficultatibus. *Epiſcopi omnino*, ſcribit *Avent.* annal. lib. 6. p. 639 *immunes eſſe conantur, omnia munia in pauperes relegant, ſuis legibus fraudem faciunt, prædia, ſacerdotia, libertate ab Imperatoribus donata, cenſu, vectigalibus extra ordinem onerant, &c.* Hac argentangina multi laborabant. *Vſſer.* de VViviano refert, quod conculcârit & comminuerit obvia quæque, & aurum Hibernicum multum ſitierit. Adde Epiſt. Imper. *Frid.* in *Calviſ.* an. Ch. 1159. & exemplum Rogeri Eboracenſis Archiepiſcopi, de quo *Matth. Par.* an. Ch. 1181. In eundem etiam cenſum veniunt Cluniacenſes Monachi, de quibus *Baron.* an Ch. 1131. S. 10. & Legati Apoſtolici. Vide inf. p. 173. Confer. Antig. Brit. Eccl. *Vſſer.* p. 891.

6. *Simonia*, quæ ita Romæ fuit graſſata, ut pecunia omnia venderentur, teſte *Vrſperg.* vide ſup. p. 71. *Matth. Pariſ.* an. Ch. 1103. *In his ergo Regis negotio terminato, Anſelmus Archiepiſcopus pro Epiſcopis & Abbatibus degradatis, multa precum inſtantia, Dominum Papam*

rogare cæpit, ut cum illis misericorditer diſpenſaret, ut poſſent amiſſas recipere dignitates. Tunc ſedes clementiſſima, quæ nulli deeſſe conſuevit (dummodo albi aliquid vel rubei intercedet) præſcriptos Pontifices & Abbates ad priſtinas dignitates, misericorditer revocavit, &c. Vide ſup. p. 71. Et *Bar.* an. Ch. 1138. S. 6. de Innocentio Papa Simoniaco, ex *Chron. Caſſin.* & a. Ch. 1145. S. 7.

7 Multi, qui ne quidem per ætatem apti erant, obtrudebantur. Talis fuit ſucceſſor Erlungi, Wirciburgenſis Epiſcopi, *qui*, ut loquitur *Urſp.* an. Ch 1122. *præſtudiis ſcholaribus, nulla promotione Eccleſiaſtica mancipatus*, Epiſcopalem obtinuit dignitatem. Quia verò Imperatorum vitio anomalia hæc adſcribitur; Romam intueamur & in illa ſedem Apoſtolicam ipſam. In ea enim vocationem multis laboraſſe incommodis, cum publico plebis ſcandalo conjunctis, ne ipſi quidem negant Pontificii. Unde *Naucl.* Gen. 38. A. D. 1124. *Calixto defuncto Honorius II. qui & Lampertus, ex agro Immolenſi, oriundus, Oſtienſis Epiſcopus, Pontifex creatus eſt, qui et ſi obſcuro loco natus erat, tamen literatura & moribus tanto magiſtratu dignus videbatur. Verùm, ut refert Platina, non adeò ingreſſus ejus laudatur, cum ambitione*

ne quorundam potius, quàm omnium bonorum conſenſu Pontificatum inierit. Mortuo enim Calliſto, cum de legendo novo Pontifice ratio haberetur, Leo Fregi panis omnibus Cardinalibus interdixit, ne usq; ad diem tertium Pontificem crearent, quo & Canones & deligendi Pontificis regula curioſius inſpiceretur. Interim hominum ſuffragia quærebat vafer, quibus Lampertus crearetur, &c. Confer quæ ſup. de eodem ſunt dicta p.130. Ex reliquis, non paucos, qui & ipſi Pontificum loco à multis habebantur atque colebantur, *Baron. monſtra* nobis proponit. Ita appellat *Gubertum*, qui poſt 20. annorum regimen initio hujus ſeculi obiit. Vide *Bar.* an Ch. 1110. S.17. an. Ch.1122. S. 8. Antipapas *horrenda* vocat monſtra. Quam verò ſit difficile Papas diſtinguere ab Antipapis, poſtea diſpiciemus.

8. *Summa* Cleri, Paparum cumprimis, *ingratitudo*, de qua graviſſimè fuit queſtus Henricus Imperator, cujus verba ſupra recitavimus, pag 156. Aliquoties jam monuimus, Imperatorum indulgentiâ habere Papas, quicquid ad externum pertinet dominium. Electio ipſa & confirmatio diu penes Imperium ſtetit. At Papa, ubi emerſit ſemel, & à ſimplicitate primæva in Monarchiam degeneravit Papatus, ea ipſa à ſe dependere vulgò Antiſtites Ro-

mani jactârunt, quæ ab Imperatoribus ante hac expectare debuerunt. Quod ubi Imperatores ſubodorari cæpiſſent, omni ſtudio hanc à ſe & poſteris ſuis amoliri ſunt conati contumeliam. Hac una de cauſa plurima in Imperio Romano excitata ſunt diſſidia. Videamus exempla an. Ch. 1157. diſſentio inter Pontificem orta fuit hac de cauſa: Romani affirmare ſolebant, Imperium urbis & regnum Longobardorum donatione Pontificum Imperatores habere, atque ideò Lotharium Imperatorem pinxerant Pontifices in palatio Lateranenſi Romæ, ſubſcriptis Verſiculis hiſce:

Rex venit ante fores jurans prius urbis honores
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

fit Papæ, hoc eſt, *fit Vaſallus Papæ*, ut jam loquimur. Hanc picturam deleri volebat Fridericus: at Papa hoc anno ſcribens ad eundem, & inter alia hæc ponit verba: Quod Imperator cogitare debeat, Papam inſigne Imperialis coronæ imperatori contuliſſe, nec pœnitentia moveri, etiam ſi majora beneficia ipſi conceſſiſſet. Quibus verbis commotus, conqueritur apud ſtatus Imperii de hac injuria: *A pictura cœpit*, inquit, *ad ſcripturam pictura proceſſit, ſcriptura in authoritatem prodire conatur.* Hoc ſe paſſurum negat, aut coronam ſimul cum vita depoſiturum. Patet hinc 1. quem uſum apud

Pona

Pontifices habeant imagines, ea nempe tradere, quæ vellent à populo credi, ſive vera ſint, ſive falſa. Vide ἀδηγ. P. III. p. 43

2. Papæ, animum Imperatoriam proculcandi dignitatem nunquam defuiſſe; ſed ſucceſſum ſæpe. Unde ipſius quoque Pontificis tumor ſubſedit, ſi quando Imperatores clandeſtinis illis & ſenſim ſine ſenſu irrepentibus novitatibus opponere ſe animadvertit. Fridericus enim, cùm, Papæ ſuperioribus literis exaſperatus, in Italiam eſſet profectus, Papa ſibi metuens legatos obviam miſit, ſcripſitq; ſe, quæ de beneficio collato dixerit, beneficii nomen nō de feudo, ut uſitatum aliàs eſt, accipere; ſed tantùm de bene facto, nec ſe hæc velle, ut ignominiæ ſint Imperio, & ſe petere reconciliationem, quam etiam obtinuit. Sed ſequente mox anno Papa hortantibus (prodit nunc anguis, qui in homonymiarum latuit involucris) Cardinalibus Imperatori denuo movit litem, literis per vulgarem tabellarium miſſis. Imperator more ei antiquo reſcribit; nomen ſuum præponit, Papamque numero ſingulari appellat. Papa Imperatori hoc exprobrat his verbis: *In literis*, inquit, *ad nos miſſis, nomen tuum noſtro præponis, in quo inſolentiæ ne dicam, an arrogantiæ nomen incurris? Ab Epiſcopis homagium requiris, fidelitatē exigis, Cardinalibus noſtris miſſis non ſolum Eccleſias, ſed & civitates regni tui claudis,*

dis, reſipiſce. Cui reſpondet Fridericus: *Quicquid*, inquit, *Papatus veſter habet, id ex largitione Principum obtinet, unde cum Romano Pontifici ſcribimus, jure antiquo nomen præponimus: Revolvite annales, & ſi legere neglexiſtis, quod aſſerimus, illic invenitur. Ab Epiſcopis autem, qui regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia Sacramenta non exigamus? Aut igitur regalia noſtra nobis dimittant; aut ſi hæc utilia judicaverint, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari perſolvant. Cardinalibus veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, nec patent civitates. Quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores; non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores; non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores. Cum autem viderimus eos, quales requirit Eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes æquitati, neceſſariis ſtipendiis & commenta eos ſuſtentare non differemus.* Hinc Papa exacerbatus Mediolanenſibus ſcripſit & Cremenſibus, ut Imperatori rebellarent. Cùm verò difficulter absque prætextu hoc facerent, rogârunt Papam, ut Imperatorem excommunicaret, quod factũ eſt. Atque ſic tandem in nervum erupit, quo calidè admodum, multis verborum lenociniis, circumveniri debuiſſet Imperator. His nempe

pe fulcris totus innititur Papatus. Nudæ primò ab Archimyſta cuduntur aſſertiones, quæ ſi hominum mentibus ſpontè illabantur, aut longo uſu intrudantur, ne facile illis quis contradicat, res eſt in vado. Sin autem in ipſo partu periculum aliquod fœtui immineat novo; opportunius expectatur tempus. Quòd ſi arte nihil obtineat, ſermonis mangonio, aut obliquis cuniculis; anathemata minatur, ignem, laqueos, quibus optimos quosque ſuccumbere diuturnâ rerum experientiâ didicit.

[e] I. Quibus elogiis veteres *ſcripturam ſacram* ornârint, alibi plenius à nobis dictum eſt, præſertim Par. I. noſtri ὁδηγȣ͂, *& append.* diſſert. 8, de uſu Patrum. Hoc extra dubii aleam poſitum eſt 1. *omne Controverſiarum fidei Iudicium fuiſſe expectatum & Canone Scripturæ.* 2. *Nihil, miraculis licèt confirmatum; fuiſſe receptum, cui repugnaret expreſſus Sc.* S. *contextus.* 3. *Non aliunde, quàm ex Bibliis ſacris, plebem Eccleſiaſticam fuiſſe inſtitutam*, nec alia doctrinæ Chriſtianæ publicè in Scholis aut Monaſteriis tractandæ admiſſa fuiſſe principia, quàm eandem Scripturam ſacram. Quibus verò modis ſancta hæc veterum conſuetudo in turpē venerit deſuetudinē, ordine audiemus A. *Iudicium controverſiarum ſupremum & ἀνυπεύθυνον Pontifici deferebatur Romano*, docenti, quacunque tandem fronte & mente, ex cathedra.

dra. Ita verò altas in animis hominum ſedis Romanæ reverentia egit radices, ut nemo ἐπαυτοφώρῳ deprehenſum, & multorum judicio turpiſſimè lapſum Pontificem reprehendere fuerit auſus. De juramento, quo inveſtituræ jus Imperatori Henrico Paſchalis II. reſignavit, fusè agit Baron. an. Ch. 1111. Errorem ipſe faſſus eſt Pontifex palàm; *in eos tamen conſtanter egit, qui ſibi eiusmodi judicium adverſus eum ſumerent* (i. e. acta ejus reprehenderent) *cuiquam hactenus in Eccleſia inconceſſum*; Bar. S. 33. unde idem, Avent. teſte annal. lib. 6. p. 610. in Concilio, præter alia *in ſcrinio ſacri pectoris Romani Epiſcopi omnia jura contineri, juſta omnium condita eſſe, nec eundem religione mendacii aſtringi poſſe pronunciat. Proinde debere homines conſideratius jam loqui cum illo, atque pro legibus habere quæ dicat. Quicquid adverſus Romanum Senatum, Pontificalemve ſe extulerit, contundendū eſſe decernit.* Con. *Naucl.* Gen. 30. pag. 177. Huc facit *Gotfridi Viterbienſis* certamen metricè deſcriptum, quo Paſchalis, contra Henricum, cauſa his verbis defenditur.

Pars quoque Paſchalis ſic obviat Imperiali,
Sic regnare damus, quod Petro ſubjiciaris,
Jus etiam nobis Chriſtus utrumque parit.

Spi-

Spiritus & corpus mihi ſunt ſubjecta potenter
Corpore terrena teneo, cœleſtia mente,
Unde tenendo Polum, ſolvo, ligoq; ſolum.
Æthera pandere, cælica tangere Papa videtur.
Nam dare, tollere, nectere, ſolvere cuncta meretur,
Cui dedit omne decus lex nova, lexque vetus.

His blanditiis Romana ſedes ſuffulta magis magisque turgere cæpit: Et ne ſecus ſentire viderentur, qui ſemel his ſe addixerant ſacris, id etiam, quod hæreticum erat in aliis, & fidem concernebat, extenuebant. Qui inveſtituræ ejus Henrico adjudicabant, *Henrici hæreſin ſequi* dicuntur; *Par.* an. Chr. 1117. S. 6. *Bruno Abbas*, quem in Sanctorum Catalogum retulerunt Pontifices, ſcribit: *Laici enim, quantum libet religioſi ſint, nullam tamen diſponenda Eccleſiæ facultatem ſunt conſecuti. Hæc enim Apoſtolorum conſtitutio ſancta eſt, cui qui contradicit, Catholicus non eſt. Omnis autem qui hæreſin tuetur, hæreticus eſt. Nemo hinc non eſſe hæreſin, dicere poteſt, quam ſancta & Apoſtolica Eccleſia in multis conciliis hæreſin nominat, & cum ſuis auctoribus damnat*; *Baron.* a. Ch. 1111. S. 29. Quid? quòd publico Concilii decreto Henricianorum opinio. *inter præcipuas hæreſes computatur* (narrante *Urſperg.* an.

an. Ch. 1102.) *ac perpetuò cum ſuis authoribus ac ſequacibus anathemate huiusmodi ſubſcripta profeſſione, condemnatur: Anathematizo omnem hæreſin, & præcipuè eam, quæ ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat, quæ docet & aſtruit anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta aſpernanda eſſe.* Idem habet *Naucl.* Gen. 37. p. 170. a. & *Sigon.* lib. 9. p. 237. Fit quidem hic mentio contemtus tantùm anathematum (quod ipſum tamen reum facit Paſchalem, qui diras fœderis ſui cum Imperatore initi, violatoribus ſolenni formulâ denunciatas, contempſit ipſe, alioſque aſpernari juſſit) ſed & inveſtituræ jus, quod maximas in Eccleſiâ turbas dedit, ſimul accipiendum hoc loco eſſe, aut ſubintelligendum, quis dubitet? *Henriciana hæreſis* ipſa illa eſt, quam Simoniacorum ſectam appellat *Gaulth.* in tab. Chronog. quamvis hanc ab illa diſtinguat. Vide ſup. Secul. XI. p. 394. & 539. Confer *Vrſp.* an. Chr. 1106. Scribit & Ivo, *eſſe quoſdam qui inveſtituram vocent hæreſin*; quibus tamen ille calculum ſuum non addit, hac ferè ductus ratione, quòd ipſa ſic periclitaretur Papæ ἀναμαρτησία. Vide *Baron.* an. Ch. 1111. S. 40.

B. Hac ætate miraculis ea etiam fulciebantur, quorum fundamentum in Sc. Sacra nullum oſtendi poterat. Miraculis certabitur 1. pro *Purgatorio & Monachatu.* Exemplum proponit *Matth. Paris,*

Paris, p,178. & 185. in Hugone de Nunant, Conventrenſi, ſive Ceſtrenſi Epiſcopo; aliud apud *Naucl.* Gen. 38. p. 182. occurrit exemplum, & in *Vrſp*. p. 268. 2. pro *diebus feſtis*, *Par*. p. 192. ubi graviter animadvertiſſe fertur Deus in Anglos propter negligentem diei Solis, *& aliarum feſtivitatum ſanctorum* obſervationem. 3. pro *Interceſſione Sanctorum*. Id. p. 83. & 197. S. Hugonis meritis puerum reſuſcitatum commemorat. *Vrſp*. p. 267. 4. Pro *transſubſtantiatione*; *Par*. p. 90. & Faſcic. tem. p. 77. a. 5. pro *cultu reliquiarum*; Ia. Uſſ. Antiq. Brit. p. 331. de reliquiis S. Albani, & Matth. Par. p. 129. 130. Par. an. Ch. 1102. S. 13. 6. Pro *immoderato cultu. B. Virginis*, Id. p. 69. & 115. ubi Beata virgo Godricum canticum hoc docuiſſe dicitur; *Sancta Maria, Chriſti thalamus, virginalis puritas, matris flos, dele mea crimina, regna in me, duc me ad felicitatem cum ſolo Deo.* 7. Pro *imaginibus*, quas animatas nonnunquam fuiſſe miraculosè, prodigiosè fingunt; *Ib.* p. 184. *Naucl.* Gen. 39. 8. Pro *confeſſione auriculari*; Id. pag. 180. & p. 116. Pro σκληραγωγίᾳ & auſtera vitæ Monaſticæ, πολιτείᾳ, Godrico, magnæ apud Anglos æſtimationis viro, fraudi fuit vel ſemel lectulo effætum & emaciatum corpus commiſiſſe. *Id.* Ib. 10. Pro *adoratione crucis*, Id. p. 173. 177. quod cumprimis exemplum lectu eſt dignum. 11. Pro *ſuffragiis*, defunctis neceſſariis, Id, p. 94. 11. Pro *a-*

qua benedicta ſeu *luſtrali*, Id. p. 90. 13. Pro *excommunicatione Papali*; Baron. an. Ch. 1110. §. 7. Cùm enim Imperator à Papa poſtulâſſet, ut patris ſui corpus in Eccleſia ſepeliri permitteret, reſpondit: *Sanctarum Scripturarum his obſiſtit authoritas, divinorumq; miraculorum reverentia. Ipſos enim Dei* Martyres *jam in cœleſtibus poſitos id terribiliter juſſiſſe, ſcilicet ut ſceleratorum cadavera de ſuis baſilicis eiicerentur*. Vide Sec. XI. p. 374. Iisdem contra Eccleſiam Latinam armis pugnant Græci. *Hoc viri graves inter Græcos affirmant*, (ſcripſit aliquando ad me clariſs. D. *Legerus, harum rerũ peritiſſimus*) *in Eccleſia* Græca *excommunicatorum cadavera lurida, tumida, &* ἀδιάλυτα διατελεῖν *donec anathematis vinculo publicis Eccleſiæ precibus ſolvantur, quo tanquam* A*chilleo argumento, Eccleſia Græca Latinæ ſe præferre conſuevit*. 14. Ad confirmandam legitimam Paparum electionem contra Antipapas. *Bar.* a. Ch. 1130. §. 65. probare vult, *Deum Schiſmaticos magnis ſignis confundere*; ſed & eos, qui Schiſmaticorum nomine habebantur, miracula crepuiſſe, confirmat Caſſinatum exemplum apud eundem an. Chr. 1136. §. 7. de ipſis Papis contra ſe mutuo miraculis certantibus vide *Bar.* an. Ch. 1100.

C. In

Digitized by Google

C. In concionibus etiam Sacris, & diſputationibus modò ex Patribus tantùm, modò ex Philoſophis ſuas deſumſiſſe probationes, aut ſaltem ſacra profanis miſcuiſſe, ex iis clarum eſt, quæ ſup. de Theolog. Scholaſt. inſeruimus: adde, quæ de *Giliberto*, *qui ex Ariſtotelicis topicis quædam de divinitate & Deo, quem ſeparabat à divinitate, ſive in concionibus, ſive familiaribus colloquiis temerè effutivit*; habet *Bar*. a. Ch. 1147. S. 9. Eſt & hoc obſervandum, quòd viſionibus plus ferè ſeculum hoc (quo frequentes fuerunt, *Faſc. temp*. p. 76. b. *Bal*. cent. 3. p. 234.) detulerit, quàm expreſſo Dei verbo.

II. *Conciliis* ademta fuit 1, *libertas*: Docebatur enim; *omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem facta eſſe, & ab ea auctoritatem roburq; accepiſſe*; *Bar*. an. Chr. 1102. S. 6. 10. 2. *Maieſtas*. Sæpe enim vel lites forenſes, magno cum tœdio tractabantur. *In Synodo Lateran. an. Ch*. 1116. *habita, Epiſcoporum quidam de medio Concilii ſurgens, ita exorſus eſt: Dominum Patrem Papam recordari decet, quare illius præſentis, & generalis Concilii multitudo ſancta, per omnia periculorũ genera, mari terraq; cõvenerit invitata, ibi nõ de ſpiritualibus vel Eccleſiaſticis, ſed ſecularibus ordine præpoſtero tractatur negotio*; vel, decreta verbo Dei è

 diame-

diametro oppoſita, ſunt edita; vide *Cat. Teſt. Verd.* l. 15. p. 583. Sed & hoc eiusdem Later. Concilii decreto, Eccleſiaſtici muneris parum memores fuiſſe videntur Patres, quando ſanxerunt, *ut Archiepiſcopi Parochias vel Eccleſias viſitantes* 40. *vel* 50. *equorum numero ſint contenti; Epiſcopi* 20. *vel* 30. *Legati* 25. *Archidiaconi* 5. *vel* 7. *Decani duarum evectionum numerum non excedant*; *Matth. Par.* p. 132.

III. Ad *cultum ſacrum* quod attinet, in eo magna in dies, recepti jam abuſus, incrementa ſumſerunt, cujuſmodi eſt a. *Invocatio Sanctorum.* Monachus quidam ſecundum quietem votis ſuis ſatisfieri cupiens *nunc Dominum Mundi Salvatorem. nunc Maraim eius virginem glorioſam, nunc ſimul omnes electos Dei invocâſſe dicitur*, licet *ſpecialiter per interceſſionem piiſſimi ſanctiq; Confeſſoris Nicolai, ſperârit conſequi piæ petitionis effectum.* Eodem *invocandi* vocabulo cultum Deo, Mariæ & reliquis creaturis tributum non modo exprimit *Matth. Par.* pag 177. ſed & Nicolai interceſſionem reliquis præfert Cultum hunc variæ auxerunt *Canoniſationes*, elevationes & translationes. 1. An. Chr. 1103. *Oda* virgo, olim jam inter divos ſolenniter relata, elevatur per Epiſcopum Edbertum Leodienſem, & feſtivitas eius indicitur die 27. Novemb. 2. *Edvvardus* Rex Angliæ ab Alexandro

Papa

Papa Sanctorum Catalogo inſeritur an. Chriſt. 1161. *Calv.* 3. *Thomas Bequetus*, cujus vita, certamina, & res geſtæ prolixè deſcribuntur *à Matt. Par.* p. 94. & deinc. interfectus à quatuor Regis Henrici ſatellitibus, qui, querula Regis voce, *neminem miſer habeo fidelem, qui me liberet ab injuriis huius clerici?* moti in eum irruerunt die 29. Decemb. an. Chr. 1190. Triennio poſt, ab Alexandro, Sanctis adſcribitur: ſed an. Chr. 1538. ab Henrico rege in ignem conjicitur & crematur. Vide *Faſcic. temp.* p. 77. b. *Matt. Par.* 111. & 122. Eandem contra Angliæ Regem & Epiſcopos egit cauſam quæ ante contra Henricum IV. exercuit Gregorium VII. Uterque enim indefeſſo ſtudio culminis Papalis, dignitatem defendit, & clerum obedientiæ ſeculari exemit. Vide *Bal.* cent. p. 210. 4. *Hugo*, Epiſcopus Gratianopolitanus, *Bar.* an. Chr. 1134. S. 2. 5. *Bernhardus*; vide ſup. pag. 105. adde *Faſcic. temp.* p. 78. a. *Geneb.* p. 610. 611. 6. *Chunegunda* Auguſta, *Avent.* annal. lib. 7. 7. An. Ch. 1119. Caliſtus *Gerardum*; Civem Placentinum, Epiſcopum Potentinum in divorum numerum retulit, *Sig.*

II. *Reliquiarum* transportatio crebra, & cultus. An. Chr. 1163. translatum eſt corpus *S. Edvvardi*; *Matth. Par.* p. 95. An. Ch. 1103. obtigit elevatio corporis *Priſcæ*; *Bar.* An. Chr. 1184. *Florianus*, ægrè tandem Româ dimiſſus in Poloniam

 trans-

transfertur. Vide fabulam apud *Calviſ.* An. Ch. 1129. ſecunda facta eſt translatio *Albani* Martyris, *Vſſer.* p. 986. *Cataldi* reliquiarum translatio, à Geraldo Tarentino Archiepiſcopo inſtituta, incidit in annum 1150. *Vſſer.* pag. 1183. *Cineres Baptiſtæ Iohannis religioſè fuiſſe cultos* teſtatur *Baron.* an. Chr. 1101. S. 13. *Super reliquias jurare cogebantur*, juramentum præſtituri; *Naucl.* Gen. 40 pag. 200. Unde magnus conquirendi reliquias ſeculo ſuo fuit fervor. Cùm Saladinus Hieroſolymam expugnâſſet, *collegerunt Chriſtiani omnes reliquias Sanctorum, quas in locis ſacro ſanctis poterant invenire, & poſuerunt eas in quatuor magnis eburneis capſellis, quas* Saladinus, *inter cætera, quæ civitate ſubacta occupaverat, intuens, & quod in eis contineretur, diligenter inquirens, juſſit deferri apud Baldach, & tradere Chaliphæ, ne Chriſtiani de oſſibus mortuorum gloriarentur ulterius, & crederent eos habere interceſſores in cælis, quorū oſſa venerabantur in terris. Princeps autem Antiochenus & Patriarcha, cæteriq; fideles tanto Theſauro nullo modo defraudari volentes, promiſerunt ſub juramento, ſe easdē reliquias redemturos quinquaginta duobus millibus biſanciorū, &c.* Matth. Par. p. 159. Quæ pretio redimi non poterant, furto auferebantur.

bantur. Ita *Petroci* corpus Bodmania furto abla-tum ad S. Mevennii Monaſterium tranſlatũ eſt, *Vſſer*. 310. antiq. Brit. p. 1014. Latini, Conſtanti-nopolis parte expugnata, *magnam prædam tu-lerunt; multasq; reliquias ſanctorum auro & gemmis decoratas, inde tulerunt. Quidam et-iam Abbas Ciſtercienſis ordinis de loco, qui vo-catur Pariſius, in nemore Vos ego conſtitutus, plurimas reliquias ad Monaſterium ſuum detu-lit, quæ adhuc retinentur ibidem. An furtivæ ſint, judicet, qui legit*; *Vſſ*. p. 310. Hac ratione Coloniam deportatæ ſunt reliquiæ trium Re-gum, Mediolanenſibus à Friderico Imperatore ereptæ; vide *Sigon*. lib. 12. p. 304. quam ipſi cala-mitatem omnium graviſſimam judicârunt, *Id*. p. 317. vide & Faſc. temp. p. 78. a. Unde *Platin*. in Paſchal. II. *Eodem quoque in loco ſepultum fuiſſe eundem Epiſcopum Lucenſem, Anſel-mum comperi, ac Mantuam deinceps transla-tum in Eccleſiam Cathedralem ob eam rẽ credo, ne à vicinis furto ſubriperetur, cum miraculis continuò clarior fieret*. Præter cætera verò, jam memoratas, quæ hoc ſeculo celebraban-tur, ſanctorum reliquias, reperio. 1. *Dentem Cæſarii*, quem Bernhardo dono datum evellere non poterant, niſi precibus id ipſum à Cæſario cœlicola impetrâſſent. Scilicet! *Baron*, an. Ch. 1138. S. 7. 2. *Sanguinem Chriſti*, cujus portio-

nem an. Chr. 1150. Theodorus Flandriæ comes ex ſacro bello reverſus Brugis in æde S. Baſilii collocavit. *Calviſ.* 3. *Virgines Urſulanas*, quarum plenior revelatio, Coloniæ facta, refertur ad an. Chr. 1156. vide *Uſſer.* Antiq. pag. 619. 624. 128. 129. quibus prolixè fabula iſta caſtigatur. 4. *Amphibalum*, & ſocios eius, quorum quidam tres numerant, alii ſex. Inventio eorundem incidiſſe ſcribitur in an. Chr. 1177. in colliculo, juxta villam Redburnam. *Uſſer.* lib. cit. pag. 161. 331. *Matth. Par.* p. 128. & 130. 5. *Corpus Patricii*, apud Dunenſes an. Chr. 1183. patefactum, & ſequenti anno effoſſum, *Uſſer.* pag. 892. ubi & controverſiam tangit Glaſtonenſium cum Dunenſibus de eiusdem Patricii corpore. 6. *Corpus Columbæ & Bigridæ*, quod eodem quoque tempore Anglis innotuiſſe dicitur; *Id.* p. 889. & ſeq. quâ inventio & translatio reliquiarum iſtarum ex Officio Eccleſiaſtico fuſius recenſetur. 7. *Reliquias Arthuri*, antiqui Anglorum Regis, quarum translatio contigit an. Ch. 1177. *Id.* p. 120. & deinc. p. 980. De quo redivivo multa narrant Anglorum veterum fabulæ. 8. *Tunicam Chriſti inconſutilem*; de qua *Matth. Par.* pag. 91. A. D. 1156. *in pago Pariſiacenſi, Monaſterio Argentoilo, revelatione divina, tunica Salvatoris inconſutilis, & ſub confuſi coloris reperta eſt, quum ſicut literæ cum ea repertæ indicabant, glorioſa mater eius fecerat ei, dum adhuc puer eſſet.* Prolixum alia-

aliarum reliquiarum Catalogum habet *Baron.* a. Chr. 1123. S. 3. & 1113. S. 28. qua corpora quædam S.S. Martyrum inventa referuntur. Acceſſit 3. *Viſitatio Reliquiarum*, Divorum & Divarum religiola a. *Compoſtellam* totius Occidentalis orbis peregrinatione celebrem eſſe ſcribit *Baron.* an. cit. S. 1. & an. Ch. 1121. S. 4. b. Ad *Thomæ Cantuarienſis* Sepulchrum Angli & Galli catervatim confluunt; *Matth. Par.* p. 128. 150. *Philippus Archiepiſcopus Colonenſis, & Philippus Comes Flandrenſis venerunt in Angliã vota orationum beato Martyri ſoluturi*; *Id.* pag. 136. *Et Ludovicus Rex Francorum beatum Thomam martyrem orationis gratia viſitare decrevit*, p. 131.

III. *Naturam peccati* ipſi quoque Pontifices non ſatis perſpectam habuerunt; dum formam eius conſtituerunt non τὸ ἄνομον, ſed τὸ ἑκούσιον. Alexander Thomæ Archiepiſcopo literas ſcripſit, quibus inter alia ſequentia inſerta leguntur verba: *Debet autem prudentia tua diligenter advertere, quod plurimum intereſt, quando ex deliberatione & propria voluntate, & quando ignorantia vel neceſſitate aliqua committuntur. Nam (ſicut legitur) uſq; adeo voluntarium eſt peccatum, quod niſi ſit voluntarium, non ſit ſit peccatum. Matth. Par.* p. 97. Hæc ſi vulgo obtinuit opinio, nimis ſtricta erat pec-

cati definitio. Hoc etiam ſeculo ſententia de immaculata B. Virg. conceptione publicè à multis fuit propoſita & defenſa: vide cent. *Bal.* pag. 190. 193.

IV. Multum cumprimis fundamentale de gratuita hominis coram Deo *juſtificatione* dogma labefactabatur.

A. *Satisfactionibus humanis*, cujusmodi erant 1. *ingredi Purgatorium* Patricii, *Matth. Par.* pag. 83. 92. 2. *Cruciatam ſequi militiam*. Peccata enim his expeditionibus *redimere* juſſit, qui primus claſſicum cecinit Urbanus *Matth. Par.* p. 21. Unde & Angliæ rex ad Cantuarienſis expiandam cædem, *juſſus fuit* 200. *milites ſuis ſumtibus* Hieroſo*lymam ad oppugnandos Saracenos mittere*; *Plat.* in Alex. III. 3. *Verbera.* Henricus II. Angliæ Rex ab Epiſcopis abſolutionem petiit, *carnemque ſuam nudam diſciplina virgarum ſupponens, à ſingulis viris religioſis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos accepit. Matth. Par.* p. 125.

B. *Indulgentiis.* Honorius II. pro ſede Romana purgantibus *peccata univerſa remiſit*; *Bar.* an. Chr. 1127. S. 5. Idem indultum facit cruce ſignatis *Eugenius* III. *Bar.* an. Ch. 1145. S. 32. & 1146. S. 12. Nec ſegnior fuit *Gregorius* VIII. *qui omnibus illis, qui corde contrito & humiliato ſpiritu, laborem itineris hujus ſuſceperint, & in*

in pœnitentia peccatorum & fide rectâ deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam, & vitam æternam eſt pollicitus; *Sigon.* a.Ch.1187. Paſchal.II. a.Ch.1116. *His qui propter Concilium, & animarum ſuarum remedium Apoſtolorũ limina viſitarent, qui de capitalibus pœnitentiam agerent, quadraginta dierum pœnitentiam indulſit*. *Bar. Vſſ*. p.269. Militiæ Cæſar auguſtanã civitatem obſidenti, & in expeditione illa morienti, Gelaſ.II. *à vinculis peccatorum* abſolutionem ſtipulatur.

C. Purgatorio, Patricii cumprimis, cujus accuratam τοπογραφίαν habes apud *Vſſer*. pag.897. *Matt.Par*.p.83. & in ὁδηγ. P.III. p.325. Alius etiam meminit Purgatorii idem par. p.178.

D. *Duriore clauſtricolarum vitâ meritoriâ*. In hoc eò multi progreſſi ſunt, ut omnem ferè ſenſum exuiſſe videãtur. Vide quæ de *Vlfrido* Anachoreta loricato habet *Matth.Par*. p.89. De *Godrico* & *Ailrico*, pag.112. & deinc. Ut enim, absque urgente neceſſitate τὰς συναγωγὰς καταλείπειν, monito Apoſtolico planè adverſatur; ita tenui cibo, corporis ἀφειδίᾳ, continuis flagellationibus vitam mereri velle æternam, gratuitam noſtrî propter Chriſtum juſtificationem lædit.

E. *Peregrinationibus religioſis*. An. Ch.1144. *Ludovicus Rex, quod expugnato Victriaco in Eccleſia* 1300. *diverſi ſexus & ætatis homines cre-*

crematі eſſent, terram ſanctam pœnitentiæ cauſa adiit, ubi integrum annum ſubſiſtit. Idem an. 1155. S. *Iacobum in* Gallicia, *& inde poſt quatuor annos montem* S. *Michaelis de periculo maris, religionis ergo petiit, & an. Chr.* 1177. *in* Angliam *ad divum Thomam. Sigeb. continuatus; Genebr.*

V. In *vocatione Miniſtorum* 1. avita libertate eligendi populum privatur, initio facto ab ipſo Pontifice. *Geneb.* in Celeſt. II. *Primus hic ſine ullo populi interventu Papa creatus eſt, lege à præceſſore Innocentio II. poſita, qua populus omnino à Pontificis comitiis excluſus eſt, & ad ſolos Cardinales Pontificis electio, paulatim etiam cleri primoribus excluſis, vel in Cardinalium collegio cooptatis redacta.* 2. *Iugo obedientiæ & judicii civilis clerus eximitur.* Unde Thomas Cantuarienſis Regi ſe Angliæ maximè oppoſuit, & homicidam quendam clericum, alioſque facinoroſos civili Magiſtratui tradere noluit; *Bar.* an. Chr. 1163. Alii tamen exceptio hæc ſuam habuit limitationem, Matth. *Pariſ.* pag. 155. qui locus condocefacit, eos propter enormia flagitia deferri poſſe & capi. confer Baron. an. Ch. 1163. S. 20. 3. *Legitimi conjugii vinculum denuo eis abjudicatur* an. Ch. 1100. per Paſchalem II. *Bar.* an. Chr. 1123.

in

in Synodo Romana per Calixtum II. *Bal.*p.183. an.Ch.1139. per Innocentium II. *Bar.* Atque ex his vel quædam, vel omnia, multorum animos ita perculerunt, ut non dubitârint, quin τ̃ Δυσκόλυ (ita veteres Antichriſtum appellabant) hæ eſſent furiæ.

Inquias: Malè Curiæ Romanæ mores cum dogmatibus Eccleſiæ eiusdem confunduntur. Illorum emendationem omnes conſtanter flagitârunt, quæque deſiderata ſemper, multos in hanc impulit mentem, ut crederent, tempora Antichriſti inſtare; ab his vel latum recedere unguem hæreticum erat. *Multa deplorat Bernhardus*, ſcribit *Baron.*a.Ch.1152.S.1. *quæ corrigenda à Papa eſſent, & inter alia frequentes legationes, ſed ſine fructu, lucri tantùm cauſa. Deplorat etiam frequentiores, captioſas & inutiles appellationes: dolet inſuper Concilia celebrari, ſed inde nihil utilitatis hauriri; miniſtrorum, quæ ſua ſunt quærentium, non quæ Ieſu Chriſti, luget multitudinē.* Idē nihilominus Bernhardus *Eccleſiæ Catholicæ*, (id eſt, Cardinalis ſtylo, Romanæ) *totius ornamentū ſimul ac fulcimentum dici meretur*, *Bar.*an.Ch.1154. S.14. utpote qui pro Papæ authoritate pugnavit. Vide *Epiſt.*237. & *Conſiderat. ad Eugen.* lib.2. *Iohannes Sarisburienſis* vulgi de Romana Curia judicium

cium verbis promit ita perſpicuis, ut ulcus illud purulentum & luridum vehementius nemo tetigerit; ubi verò ad doctrinam ventum eſt, *hæretici aut ſchiſmatici nomine* cenſendum pronunciat, *qui à doctrina Romana recedit*. *Baron.* an. Ch. 1156. S. 13. Cur ergò ipſa ſtatim damnetur doctrina, ubi morum tantùm eſt enormitas & exorbitantia? *Reſp.* 1. Non negamus, Bernhardum, Sareſburienſem, alioſq; ſedi Romanæ ex ſeculi vel vitio, vel conſuetudine, multum detuliſſe: hoc enim jam ſupra à nobis datum eſt atque conceſſum. Quantum verò à ſe ipſo mox Bernhardus fuerit mutatus, cùm ad ſe rediit, ibidem monuimus. 2. Sed nec neceſſariò ſequitur; Bernhardus reverentiã Papæ ſtudioſè detulit & honorem: *Ergò*, ejus ubique ſecutus eſt placita. In eo cum multis aliis verſatus eſt errore, Papæ eſſe *præſidere Principibus*, *Regna & Imperia diſponere*, *Baron.* a. Ch. 1145 S. 9. Quid nî ergò civile quoq; obſequium præſtiterit illi, qui & ἀρχιερεὺς, & ἄρχων τῦ λαῦ haberi voluit? Nota eſt Pauli hiſtoria. *Act.* 23. ubi Apoſtolus colaphis, ſacerdotis juſſu, contuſus τοῖχον κεκονιαμένον, Præſulem appellavit. Monitus verò non modò ſe excuſavit, ſed & Scripturæ authoritate confirmavit; *Præſidibus populi non eſſe maledicendum*. Nemo tamen ſanus credet, hoc ipſo, Paulum impietati Judaicæ, cuius Archimyſta erat Ananias, calculũ addere voluiſſe. Quanquam

quam non negem, aliam in multis Bernhardi eſſe rationem, utpote qui ſacrorum quoq; Antiſtitem, Pontificem Romanum defendit.

II. Ultro largimur, non omnes (eſſe tamen aliquos, ſequutura mox docebit συμβίβασις) ex doctrina, ſed ex morum pravitate pleroſque Antichriſti adventum conjeciſſe. Quid verò obſtet, quominus Talionis lege agere nobis cum adverſariis liceat? ut Papas ſuos defendat contra Antipapas, ad fructum provocat ἔνδειξιν *Baronius. Bernhardus*, Henricum quendam nova, ejus judicio, molientem, impugnaturus, *Epiſt. ad Ildeph. Com.* iisdem utimur armis. *Tu de tali arbore tandem bonos ſperabas fructus*; ſcribit *Bar.* an. Ch. 1147. S. 17. His ipſis quoque Machinis Reformationem Majorum noſtrorũ arietârunt adverſarii: Sed quàm feliciter, ſuo multi malo, & πεπειραμένῳ experti ſunt ἀντιμέτρῳ. Quos ſeculo hoc vitis Romana produxerit fructus, labruſcæ, quas ſuperiori litera *d.* decerpſimus, probant: aut ſi ſatis illæ labia non aſtringant, alias, vulgi voce decantatas, deliba. *Ego*, inquit *Iohannes Sareſburienſis*, familiari cum Adriano IV. conterraneo habito colloquio, *apud eum* (Papam) *uſus ſpiritus libertate, mala quæ in diverſis provinciis audieram, patenter expoſui. Sicut enim dicebatur à multis,* Romana *Eccleſia, quæ mater omnium Eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem exhibet aliis, quàm novercam.*

Sedent

Sedent in ea Scribæ & Phariſæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretioſam ſupellectilem congerunt, auro & argento onerant menſas, ſibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tā Chriſtus, quàm vana gloria introducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt clerum & populum laboribus & miſeriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Eccleſiarum lætantur ſpoliis, & quæſtum omnem reputant pietatem: Iuſtitiam non tam veritati, quàm pretio reddunt, omnia namque cum pretio hodie, ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis. *Nocent ſæpius, & in eo Dæmones imitantur, quod tunc prodeſſe putantur, cùm nocere deſiſtunt exceptis paucis, qui nomen & officium paſtoris implent:* Sed & ipſe Romanus Pontifex omnibus gravis & intolerabilis eſt. *Præterea omnes arguunt, quod ruentibus & collabentibus Eccleſiis, quas Patrum conſtruxit devotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit, & ipſe non modò purpuratus, ſed deauratus accedit.*

Pala-

Palatia ſplendent ſacerdotum, & in manibus eorum Chriſti ſordidatur Eccleſia. Provinciarum diripiunt ſpolia, at ſi Theſauros Croeſi ſtudeant reparare. Sed recte cum eis agit Altiſſimus, quoniam & ipſi aliis, & ſæpe viliſſimis hominibus dati ſunt in direptionem. Et ut opinor, dum ſic in invio erraverint, nunquã deerit eis flagellum Domini: Os ſiquidem Domini locutum eſt: Quia quo iudicio iudicaverint, iudicabuntur, & ſua menſura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non novit. Hæc, inquam, Pater, loquitur populus, *quandoquidem, vis ut* illius *ſententias proferam:* Policrat. lib. 6. c. 24. Bar. an. Chr. 1156. S. 12. 13. Confer. an. Ch. 1167. S. 68. de φιλαργυρία Cardinalium, & totius curiæ Romanæ. Nonne ergò & nobis cum *Bernhardo* exclamare liceat; *Tu de tali arbore tandem bonos ſperabas fructus?* Monemus tamen, multas hic plebis coacervari querelas, quæ nec eiusdem ſunt generis, nec eiuſdem ponderis: quasdam mixtas eſſe, quæ cùm mores ſpectare videantur, fidem ipſam, Pontificiorum judicio, concutiant. In hunc cenſum venit Simonia, quæ omnes propemodum cleri ordines pervaſit. Confer. Sec. XI. p. 391.

Sectio II.

De

MUHAMMEDISMO.

I. Habet præſentis Seculi Hiſtoria Muhammedica multa ἀξιομνημόνευτα, quæ tamen ad tres revocari poſſunt claſſes, *Mesgidam*, *Academiam*, & *Curiam*: ſeu *Religionem* & *Politiam*.

II. *Religio* non practicis tantùm [*a*] Muſelmanorũ quorumvis excolebatur exercitiis; ſed & [*b*] procerũ, Zelo magno ferventium, propagabatur ſtudio; & exemplo.

[*a*] Cujusmodi ſunt omnia illa, quæ Alkorani mandato obſervare tenebantur I. *Preces*, quas non modò ſinguli pro ſe; ſed & pro Imperatoribus (vide infrà) & Regibus, imò mortuis etiam concipiebant. II. *Eleemoſyna*, quas præter cæteros largiter conferebat Chalifa Muſtanghedus billa. II. *Cura pro defunctis*. Atedus Ægypti Rex mortuus, lotus fuit & ſepultus. Pro eodem etiã fuſæ preces. *Elmac.* A.H. 568. Mortuus eſt Jobus Neghmoddinus Alaughed, fil. Schadæi. Ad latus poſitus eſt fratri Aſededdino, uterque poſtea

ſtea ad urbem Prophetæ transfertur, ibidemque ſepelitur. *Elm.* IV. *Prælia & pugna pro Islamiſmo,* quas ſplendido Martyrii nomine inſigniebant. In oppugnatione Damaſcia. H. 543. *Martyr* occubuiſſe dicitur ab *Elm. Iobus Sahaſdaus*, fil. Neghmoddini, frater Regis Joſephi Naziri Zelacheddini. In obſidione Haremenſi multos Muſelmannos *Martyrium obiviſſe* ſcribit *idem*, an. H. 572. V. *Blanditiæ*, & *munera*, quibus multos Saraceni ad ſuperſtitionis communionem pellexerunt. Hanc putant nonnulli *Mamlucorum* eſſe originem. Cùm enim Zelacheddinus (*Salatinus* vulgò ſcribitur; ſed malè, ſic enim vocis Arabicæ quæ *reſtauratorem religionis* ſignificat, perit compoſitio) Ægyptiorum videret mollitiem, deteſtatus eam eſt. Ut verò haberet milites quos Europæis in Syria habitantibus opponere poſſet, miſerat hactenus quotannis ad Circaſſos, propè Mæotidem paludem habitantes, & cum Tartaris perpetuo decertantes, & emit captivos adoleſcentes ſelectiores non paucos, eosque armis inſtruxit, & ad belli exercitia aſſuefecit, ita tamen ut ſimul Muhammedicam religionē addiſcerent. Hiſce militibus etiam a. Ch. 1187. Chriſtianos ex Palæſtina ejecit. Ex hiſce militibus poſtea, cùm poſteritas Saladini extincta erat, illi ipſi ex ſuo corpore regem elegerunt, nulla habita ratione ſucceſſionis in familiis, ſed tantùm virtutis in bello. Inſtitutum autem perpetuò tenuerunt hoc, ut adoleſcentes quotannis coëme-

 rent,

rent, præſertim baptizatos. Nec enim ad honores pervenire quiſpiam apud eos potuit, niſi qui baptizatus fuiſſet, & religionem Chriſtianã abnegâſſet. Atq; hi *Mamelucci* (*Mamluci*: vide *Anal*, p.313.) dicti ſunt. *Calviſ.* ex *Petro Bizaro.* Nonne hinc potiùs factum ſit, ut Agareni infantes ſuos baptizari peterent, quàm ut vel hac ratione Dæmonem, quod non abluti vexari dicebantur, ejicerent, vel matribus orthodoxis nati eſſent? ut eſt apud *Baron.* an. Ch. 1148. S.46. Certè hac ſibi ratione viam ad ampliores honores ſternere Saracenos voluiſſe, haud ægrè admitto.

[*b*] Talis erat I. *Zikæus* Atabacus, Halebi Dominus, qui Collegiis, Scholis & monaſteriis in Manzila extructis ſuis admirationi fuit: *Elmac.* II. *Mahmudus Nureddinus*, Zikæi fil. cui liberalitatis, modeſtiæ & fervoris in religione Muslimica, laus tribuitur, ab *Elm.* Idem, teſte *eodem*, templa Cathedralia extruxit, quæ inter illud eminet, quod *Nuræum*, ab authore, appellatur; Collegia etiam & Noſocomia in multis regionibus. Monaſteria item Zufæorum ſeu Sophorum, & πανδοχεῖα. III. *Almohades*, qui an. H.545. novi in Alcoranum interpretes ſedem in Hiſpania fixerunt, neminemque ſub ſe Chriſtianam Religionem profiteri paſſi ſunt. *Cal. Geneb. Mar.* IV. Judices quoque & Antiſtites Iſmaelitarum lynceis omnia penetrabant oculis. Inſidiis ubique paratis graviter in eos animadvertebant, qui in Muhammedicam impietatem linguam ſuam leviter ſtrin-

ſtringebant. Horũ calumniis impetit⁹ periit magnus ille *βιβλιογράφης Sabarvardaus. Iach.* p.150.a.

III. Florentem fuiſſe *Academiarum* Arabicarum ſtatum hoc ſeculo, tum ex Principum erga [*a*] literas & [*b*[literatos animo colligimus, tum ex [*c*] eorum ſtudiis, ſcriptis & monumentis, qui doctorum nomen inter Saracenos obtinuerunt.

[*a*] Conſtat enim, multos fuiſſe Chalifas & Reges, qui eruditionis laude commendantur. I. Felix Poeta fuit, *Abulhaſenus*, frater Muſtarſchedi billa, Chalifæ. *El.* Unde cùm à fratre, cui eripere cogitabat Imperium, eſſet captus, carminibus ejus ambivit gratiam. II. Eadem laus fratri quoq; Chalifæ, *Muſtarſchedo billah* tribuitur. Specimen habet *Elmac.* III. Poeta etiam celebris vocatur *Talaajus. Elmacin.* IV. *Moſtanghedus billah*, Chalifa. carmina etiam poſteritati reliquit. *Elm*.

[*b*] Quod teſtimonium *Elmac.* p.298. perhibet Muſtadhiro billa. Ex iis etiam, quæ in Hiſtoria Orientali l.2. c. ult. de Sect. Muhammedanorum produximus, proclive eſt conjicere; fuiſſe quosdam in Scholis Doctores, qui diſputationibus crebris jura & ritus Islamiſmi magna ſolertia ventilârunt; quorum ſtudia & conatus magnificis ſtructuris Imperatores foverunt. Sophis vel Zufæis Nureddinus Collegia erexit:

Schaphæis verò Sultan Nazirus in Ægypto, *Elm*. Juventuti etiam, ſtudiis conſecratæ, ſua erant gymnaſia. *Author.lib.Iuch*.p.149.a.(ex occaſione magni illius terræ motus, qui ab *Elm*. Hamathenſis κατ' ἐξοχὴν vocatur, quoq; 13. perierunt urbes) refert, *ludum etiam literarum ibi corruiſſe, quo 50. Iſmaelitarum liberi fuerint oppreſſi.*

[*c*] Floruerunt autem maximè 1. *Studia Aſtronomica.* Tempore Moſtaalæ, fil. Moſtadheri Chalifæ prædixerunt Aſtronomi, diluvium eo tempore venturum, ſed non ſimile diluvio Noachi. Cumque ad ſe Aſtronomum quendam vocâſſet, differentiæ rationem edixit hancce: Tempore Noachi omnes ſeptem ſtellæ erraticæ erant in piſcibus, nunc verò ſex tantùm: excipitur n. Saturnus. Bagdadi autem ob profunditatem ſitûs maximè metuentes, vada omnia claudebant. Et certè ita evenit. Eo enim tempore, quo Iſmaelitæ, peregrinationes ſuas religioſas ſuſcepturi, Meccam proficiſcebantur, aquis omnes inundabantur, iis exceptis, quibus prærupti montes aſylum præbebant: *Iuch*.p.148.b. 2. *Medica*. Tempore Moſtarſchedi excelluit inter Medicos & Aſtronomos Abu Zelt, Ommiades. *Iuch*.149.a. Multum cumprimis Medicum ſtudium Ibn Raſchido i. e. *Averroi*, Avicennæ æmulo, debet, qui hoc etiam ſeculo, Cordubenſis Philoſophus & Medicus, atque commentator

tor Ariſtotelis floruit. Vide *Buch.* an. Ch. 1145. 3. *Philoſophia*, eorundem opera, ſtudioſè fuit exculta. *Gerard. Ioh. Voſſ.* præfat in lib. de Idolol. Gentil. fatetur, *Arabes Philoſophi* Ariſtotelem intelligit; *mentem*; *ſæpe longè ſagacius perſpexiſſe, quàm vel Græcos, vel Latinos.* 4. *Magia* etiam multos litâſſe Arabes, Friderici Hiſtoria probat apud *Sigon.* lib. 12. p. 305. Ajt; *in Italiam veniſſe Arabem quendam ex hiſpania, hominem magicis artibus egregiè, ut ferebant, inſtructum, ætate ſenem, facie deformem, quippe altero oculo captum, ſocios pene viginti ſecum adducentem, eo conſilio, ut venenis Fridericum perimeret, &c.*

IV. In *Curia* ſeu *Politia* occurrit 1. ordo [*a*] Chalifarum. 2. Cæterorum [*b*] Regulorum ſeu Principum. 3. Vezirorum [*c*] quorundam, ſeu Conſiliariorum.

[*a*] Primus eſt *Ahmedus Abulabaſus, Muſtadirus Billa*; de cujus initiis, aliquid dictum eſt Seculo XI. p. 433. Obiit anno Chalifatus 24. ætatis 41. *vir inſignis animi dotibus, comis in converſatione, in libertatem naturâ propenſus, eruditorum amator, iniquitatum prohibitor, eleemoſynarum largitor*; *Elmac.* pagin. 298. II. *Fadlus Abu Manſor, Moſtarſchedus billah*: Patri ſuc-

ſucceſſit, ea ipſa luce, quâ cum vita ille depoſuit Imperium. Matrem habuit pellicem. *Idem* Patri defuncto juſta fecit, ſepulturâ & precibus. Initia regiminis turbavit Abulhaſenus frater, quem Debiſi fortitudine victum in carcerem conjecit. *Elm.* Duriora pertulit *à Maſudo*, à quo in fugam conjectus & captus fuit, thronoque ejectus. Bagdadenſes etiam, Chalifam ſuum prædæ hoſti ceſſiſſe percipientes, ſuggeſta in quibus, pro more, preces fuerunt in ſalutem Imperatoris conceptæ, confregerunt, oratoremq; finem orandi facere juſſerunt, gemitibus dolorem ſuū teſtantes, & capitibus pulvere conſperſis. Maſudus verò, victoria contra Chalifam potius, literas à Sultano Sangharo, Melicſchiahi filio accepit, quibus in mandatis ei datur, ut priſtinæ dignitati Chalifam reſtituat. Quod & magna ſolennitate paulò poſt fuit factum: qua de re prolixè agit *Elm.* in vita ejus, hactenus *ἀνέδοτα*. Periit inſidiis ſicariorum 17. ex Bateniorum familia in necem ejus conſpirantium, qui punctim cultellis Chalifam ferientes, juſſu Sultani Sanghari, interfecerunt. Regicidæ, è veſtigio deprehenſi ſcelus morte redimere ſunt coacti. Magnum inde Maſudus præ ſe tulit dolorem. Ubi ex conſuetudine gentis, locus fuiſſet, & involutus, Bagdadum deportatur, ingentique cum civium luctu atque ejulatu terræ mandatur. anno Chalif. 17. *Elmacinus excellentiam* ei *ingenii*, tribuit, *audaciam, ſtrenuitatem, &c.* III. *Manzor, Abu*

giafar,

giafar, Raſchiidus billah, Moſtarſchedi filius, cuius è veſtigio inaugurationem ratam habuit Maſudus. Mox tamen ſequenti anno, cùm, opera & auxilio Atabaci Zikæi, atque Rathſachi, Maſudo bellum inferre tentaret, deponitur, Judicumque Bagdadenſium ſententia publicè contra eũ, tanquam tyrannum, & ſanguinis innocentis furioſum fuſorem, lata. *Elmac. Inch.* 149. a. Quod quidem decretum præſentia ſua, totiuſque exercitus, obtinuit Maſudus. Receſſit deinde Raſchidus, vitæ ſuæ conſulturus ad *Atabacum* (ſic leg. pro *Ababaco*, quod *Erpen.* habet) Mauzilæ Dominum, à quo paulò poſt repetitus, ſiſtere ſe jubetur. Sed noluit hoſpitem ſuum tradere hoſtibus Atabacus. Varia poſtea fortuna jactatus, belliſque fatigatus Iſphahanum profectus eſt, ubi morbo gravi affectus in Bateniorum incidit manus, qui deſultoriæ & errabundæ ejus vitæ finem fecerunt. *Elm.* Sunt tamen, qui veneno eum è medio ſublatum volunt. Sepultus eſt Iſphahani, in urbis veteris templo Cathedrali. Vix annum regnavit: Obiit an. æt. 21. Obſervat *Elmacinus*; qui & *eloquentiæ* eum nomine commendat; *nemine ex poſterioribus Chaliſis tam indignè faſces ereptos fuiſſe.* IV. *Muhammed Moctafa biamrilla*, Raſchidi patruus. Eo ipſo die quo Chaliſatum iniit, illo nepos ejus excidit. Omnia tum Bagdadi ſurſum deorſumque verſa, ſpoliis & rapinis implebantur. Ipſum

Chalifæ palatium penitus expilatum fuit, adeò ut præter tres mulos & quatuor equos nihil relinqueretur. Sed receptui mox ſignum datur, ubi novus Imperator fuit deſignatus. Locata Imperatori fidelium fuit Fatima, ſoror Sultani Maſudi. Obiit anno H. 554. Imperii 24. ætatis 66. Chaliſa *fuit ſtrenuus, venerabilis boni amans, In ſubditos, bonos præſertim, liberalis, ſuos in ſcientiarum ſtudio occupans*; Elm. V. *Iuſeph Abul Mutfer, Monſtanghed billa.* Inauguratus eſt die 2. menſis Rabii prioris an. H. 555. qui primus fuit ab obitu parentis, quem aliis innoteſcere noluit. Primus fidelitatis ei juramentum præſtitit patruus *Abutaleb*, quem ſecutus mox fuit frater *Abugiafar, & Auneddinus*, Vezirus: quibus ſucceſſit Judex Judicum & procerum, Imperii & ſapientum. Moritur anno Hegiræ 566. Regiminis 11. ætatis 48. Eum commendat Elmac. *ab amore ſcientiarum, odio tyrannidis; à Iuſtitia* item, *largis eleemoſynis, fortitudine, Poëſi, &c.* VI. *Abu Muhammed, Moſtadabenur illah*, Moſtanghedi billa filius; Matrem habuit Azam, Armeniam. Deſignatur Chaliſa, ipſo illo die, quo pater vitâ exceſſit. Cùm ejus Imperiũ ratum jam haberetur, de eo per legatos ſuos remotioribus etiam conſtare voluit. Eo ipſo tempore, quo in Ægypto pro Zelacheddino oratum eſt, preces etiam Muſelmani fuderunt pro ipſo, ceu Chaliſa. Quod fieri cæptum eſt an. H.

577.

577. VII. Succeſſit *Nazirus*, filius: *Iuch.* pag. 149. b. De quo plura, ex Arabum monumentis addere non licet. Subſiſtit enim *Erpenius* in πρασωποχραφία Muſtadiri billa, qui Chalifa fuit, numero 49. Abbaſidarum 29. Cæteros ex Mſc. Bibliothecæ, eheu! quondam Archipalatinæ, ſunt depromta. Deinceps nobis acquieſcendum erit in *Sepher Iuchaſin*, qui Chaliſarum ordinem, & quidem tanto ſtudio, pertexuit, *ut vix uſpiam tam accuratè conſignatos exiſtimet Schikhardus Praef. in Taar. Perſ. ne in Arabum quidem libris.*

[*b*] Sic A. Ægypto ſeculo hoc præfuit a. *Amirus.* Juch. 194. a. vel *Amrus billa*; vel *Amrus biachKam illah* Elm. pag. 298. Vezirum ſuum, Mamonem, cum tota familia & cognatione in vincula conjecit. *Id.* Decem ei Mamluci violentas intulerunt manus. Coryphæus erat Armenius quidam, imperandi libidine agitatus. Unde & diſtributis inter milites ſpoliis, Alkahiram ille occupavit. Cùm verò animadverterent alii, regiam eum ſibi arrogare poteſtatem, obſequi ei mox tergiverſantur, obnixeq; Achmedū fil. Fadli ſtratiarcham, ut furioſi hominis conatus reprimeret, rogant. Paret eorum monitis, & Alkahiram obſidione diuturna cinctam ad deditionē cogit, ſpoliisque onuſtus, Imperium Armenio ereptum, Hapheto reſtituit. *b. Abu Maimon Abdolmachbar, Haphetus ledinillah*, fil. Abulkaſemi, qui

qui jure fæderis, anno ætatis 58. inaugurationē fuit conſecutus. Præfuit autem rerum adminiſtrationi Stratiarcha Achmedus, fil. Fadli, qui quàm diu vixit, Haphetum vinculis conſtrictum tenuit. Cùm verò an. H. 526 efferata quædam juvenum turma ex Heſamia in Ahmedum irruiſſet, cervicem ei amputatam in arcem detulit: Haphetum verò carcere ſolutum regno Ægypti reddidit. Obiit an. H. 546. die Solis 5. menſ. Giumadi poſterioris; Imperii 18. *Elm. c. Taferus billah*, Hapheti filius. Inauguratus eſt Kahiræ eo die, quo defunctus erat pater, annos natus 17. Cæditur ab Abbaſo, fil. Tamim patre, & Naziro filio, an. ætat. 11. Humanis exempto patri filium ſubſtiterunt Alim Abulkaſimum, cogn. Gailrillah. *Elm. luch.* 149. a. Qua ratione, homicidii ſuſpicionem authores amoliti ſunt conati. Cū verò fama percrebeſcens ad aures Talaiihi, fil. Razichi perveniſſet, lachrymis & pulligine, ægrè ferat Principum cædem, teſtatus eſt. Armavit etiam defuncti amicos, ut ſcelus ulciſceretur. Nec mora. Suppetiæ mox paratæ, quibus communem hoſtem invaſiſſent, niſi convaſatis reculis ſuis & facultatibus fugam adverſarii capeſſere maluiſſent. Sed vitaturi fumum, inignem illicò præcipites ruunt. Franci enim (id eſt *Europei*: ut alibi iam monuimus) Abbaſum cum ſuis obvium ad Marram (ſic locus quidam vocatur Camelorum potationi aptus) trucidant, Nazirum verò filium captum abducunt. Taferus inte-

interim Kahiræ ſolenniter inauguratur. Talajo verò, qui *Malcezalechus* i.e. Rex iuſtus vulgi voce fuit proclamatus, Veziratus, omnisque ferè rerum adminiſtratio adjudicatur. Hic Francis magnam offert pecuniæ vim; ut Nazirum traderent. Emptorem nacti Europæi Talajũ, haud gravatim ei obſecundant, Nazirumque ferrea cavea cuſtoditum transmittunt. Ut duram ſatis Nazirus mortem obiret; ſupplicia reus ſubire cogitur diriſſima. Mulieribus carminandus, dilaniandus & fruſtillatim diſcerpendus committitur. Ne verò cruciatibus ſubitò enecaretur, ſua ipſius, paulatim deartuati, carne paſcitur, tandemque lenta morte extinctus in patibulum ſuffigitur; & ut prorſus nihil, quod vel famam lædere poſſet, vel cruciatum augere, deeſſet, in favillas truncus redigitur. *d. Faizus*, Taferi filius. Ægypti præſes fuit an. 6. menſ. 5. dies 17. Moritur an. Heg. 550. Magiſtratum iniit annos vix natus 5. *Elmac. Iuch.* Vezirus humeris eum impoſitum, populoq; conſpiciendum exhibitum, in ſolio collocavit. *Iuch.* 149. a. *e. Aiedus ledinillah* inauguratus eſt, eodem die, quo *Faizus* patruelis ejus, è vita abiit. Pro eo, in tecto regio collocato, oratum eſt in provinciis Ægypti, cùm annos haberet 21. Ne verò, nomine tenus tantùm Rex, inglorius viveret: *Malecozalechus*, penes quem rerum ſumma hactenus in Ægypto fuit, filiam ei deſponſavit, dotisq; loco dominium reſignavit. Ipſe verò paulò poſt, copias

pias cum Atedo conjuncturus, in ſeptem Mamlucos incidit, qui gladiis eum transfodientes è medio ſuſtulerunt. *Vir, Elmac.* teſte, *fuit excellens, moribus inſignis, felix Poeta, &c.* Veziratum, quo fungebatur Talajus, demandavit Atedus, Razzico Malechadelo, Talaii filio. Qui tamen iterum dignitate illa excidens locum ceſſit Schavero, qui rebellione contra Malechadelum Kahiræ mota, in extremas eum anguſtias, ipsũ imò carcerem, redegit. Ipſe verò Atedi juſſu nõ Vezirus tantùm conſtituitur, ſed & ſplendido *Amirolgbiusch* cognomento inſignitur. *Elm.* An. Heg. 564. Atedi imperium labeſcere cæpit; *Id.* Poſtea an. Heg. 577. vivo adhuc Atedo oratum eſt, pro *Ioſepho Nacîro*, *Zelach eddino*, Jobi filio in Ægypto: paulò poſt tamen finem fecit & vitæ & Imperii a. regni 11. *Zelacheddinus*; cùm jam emerſiſſet, & certam ſucceſſionis ſpem habuiſſet; dixiſſe fertur: *Quòd ſi conſtaret mihi, finem iam inſtare Imperii eius, nollem equidem contra eum æmulatione certare.* Mortuum lavit, & ſepelivit David. Scribunt Arabes, addictum eum fuiſſe errori Metempſychitarum (quem *Attanaſech* ſuâ linguâ appellant) & ſententiæ *Alholul*, quæ voluit, *eſſe Deum in omni loco, loqui omni lingua, atq; apparere in perſona aliqua individua*: ſic *Schareſt.* & *Elm.* explicant. Vide Spec. Arab. *PocoK.* p. 265. Hanc ſequebantur ſectam Alis poſteri; *Hiſt. Orient.* p. 368. De Metempſy-

choſi

Digitized by Google

choſi habet *Elmac.* Mſc. carmen, quo Barkadi (Kairwani provincia eſt) dogmate hoc imbuta commemoratur. Ita illud habet:

Barkadam deſcendit Meſſias, deſcendit in eam Adamus & Noachus
Deſcendit in eam Deus cum Majeſtate ſua; & quicquid præter Deum eſt, Spiritus (ventus) eſt.

Addit, *eſſe hoc fundamentum erroris Neſtorianorum, qui velint, influxum quendam deſcendiſſe in Meſſiam;* Eodem enim modo credere hos *deſcenſum Creatoris altiſſimi, in corpus Adami, & Noachi, & reliquorum prophetarum, & ſucceſſorum eorum, & Antiſtitum eorum.* Fuit autem hic Atedus ultimus Ægypti Rex ex Phatimæis ſeu Ali poſteris: *Iuch.* p.149.a. f. *Aſededdinus* Schaircuah, qui Vezirus fuit Nureddini, Regis Damaſci. Hic illum ad ſubigendam & ſubjugandam Ægyptum emiſit. Atq; hac ratione Imperium ad Jobitas fuit devolutum: *Iuch.* l.c. qua de re, ex *Elmac.* pòſt. g. *Ioſephus Zelacheddinus*, filius Jobi, nepos ex fratre Aſededdini cognomento Nazirus. Hic Saladinus vulgò dicitur. De cujus viribus & Imperio agit etiam *Matth. Par.* pag.136. & deinc. Mortem ejus deſcribit id. p.167.

BAGDADI Reges erant 1. *Muhammed.* Cog. Gajattudinus, Meliciſchiahi, de quo ſup. ſeculo, fil.

fil. Obiit an. Ch. 1117. ætatis 37. *Elm.* p. 297. 2. *Mahmudus*, Muhammedis, & patruus eius Sanghar, pro quo, Bagdadi & alibi, oratum fuit ann. Heg. 514. Utrique cognomentum *Schanſchah* eſt inditum. *Elm.* Pater ei moriturus præter regnum, in theſauris reliquit 11000000. aureos. An. Heg. 521. inter Chalifam & Mahmudum obortæ ſunt lites & controverſiæ, quæ cùm prædis, rapinis, incendiis dirimi non poſſent, amicis tandem pactis finierunt. *Elm.* Obiit an. H. 525. cui in regno mox ſuffectus eſt Sultan *David*, pro quo oratum eſt in montanis & Adrebighan. Atabacæi autem orârunt pro Ahmede Zicæo. Poſtea verò, an. H. 527. *Maſudus*, Muhammedis filius, Bagdadum ingreditur; ubi precibus mox ejus, nepotiſque ex fratre *Davidis*, fil. Muhammedis Sultanatus confirmatur. Stola etiam utriq;, Regni inſigne, à Chalifa iniicitur. An. Heg. 528. ceſſatum eſt orare pro Sultano *Maſùdo* Bagdadi, qui aperto Marte Chalifam oppugnavit. Pro patruo tamen Sultano *Sanghato*, Melicſchiahi filio, Sultano item *Davide*, nepote ex fratre Mahmudo, in ſuggeſtis precum officium nunquam fuit interruptum. *Maſudus* interim numeroſo contra Chalifam inſtructus exercitu, prælio decernit, vincit, victisq; parci vult hoſtibus, Chalifæ cumprimis, quem paulò pòſt, ut ſupra monuimus, priſtinæ dignitati reſtituit. Mortuo Chalifa, *Raſchidus billa*, ſucceſſor armis quoque *Maſudum* ſubigere tentavit; ſed fruſtrà. Victor extitit Maſu-

Maſudus, tantumque apud Bagdadenſes potuit, ut Imperio moveretur Chalifa ipſe. Tanta pollebant authoritate & potentia Bagdadi Principes, Maſudus præſertim; ut cedere illis Chalifæ non ſemel fuerint coacti. Exempla habet *El.* in Moſtarſchedo billah & aliis. Sed & nepos ejus, *David* ſuas in patruelem periclitaturus vires, magnâ exercitus ſui jacturâ, temerariũ impetum luit; non multò pòſt, ab ipſa plebe occiſus: Sultan verò *Maſudius* fil. Muhammedis, fil. Melicſchiahi, fil. Olbarſalani Salghucides fato fungitur an. Heg. 547. ad oſtium Hamadanæ: *El.* 4. *Melicſchiahus*, Maſudi frater, cui fidelitatis juramentum præſtitit exercitus ſtatim à fratris exceſſu. Fecit cum eo Chozbachus; qui operam ei ſuam contra fratrem *Muhammedem Schiahum* obtulit, quam inſidiosè collaturus meritas perfidiæ pœnas dedit. *Ipſe enim*, inquit Hiſt. Arab. Elmacin. *qui puteum fratri parat calce obductum, in eundem Dei judicio præceps ruit.* Capere cuniculis voluit Muhammedem Schiahum Chozbachus, ipſe poſtea captus. Sultan verò *SolimanSchah*, filius Muhammedis Salghucides cùm Bagdadi honorificè à Chalifa eſſet exceptus, ſolennique precum formulâ ab eodem plebi commendatus, & regiis ornatus muneribus Choraſanam gladii jure ſuam facere vellet, obvium primò habuit fratrem *Melicſchiahum*, fil. Maſudi; deinde Sultanum quoque *Muhamme*

O dem

dem Schahum, à quo profligatus fuit & in fugam converſus; qua victoriâ potitus, Bagdadenſe quoq; Imperium conſequebatur, *Elm.* Et ut in ipſam ei Imperii ſedem pateret aditus, opem ille implorat *Ali, Zeineddini*, Præſulis Arbilæ & Mauzilæ, qui arctiſſima Bagdadum cinxit obſidione. Et quamvis fama percrebeſceret, irruptione *Melicſchiahum* vaſtare Hamadanam, copiasque *Muhammedis Schabi* eſſe fuſas; nihil tamen ille motus in obſidione, ſine ſucceſſu tamen, perſtitit.

HALEBI Imperârunt I. *Tagjuddaula*, cog. Achraſus, Roduvvani filius, *Elm.* p. 297. II. *Lulus*, famulus Taghiruuſæ, qui occiſo *Tagjuddaula*, arcem Halebi urbemque occupavit; *Id.* III. Princeps *Bulgarus*, fil. Orthakæ (*Erp.* habet Aryci) qui *Lulo*, propè Baliſum vita privato, ſucceſſit. Imperium per 5. an. tenuit, *Id.* IV. *Malecus*, fil. Orthakæ. Quo occiſo prope Manbegum occupavit ſedem, V. *Solimam* nepos ejus ex fratre, deinde *Iaſirus*, fil. Bulgari, fil. Ortakæ, poſtea *Mada*, fil. Maredin. Eo tempore Franci Europæi obſidione eam circumdabant: Inundationibus verò aquarum præpediti obſidionem ſolvere fuerunt coacti. VI. *Acſacar*, Damaſcenus, qui Europæos, coronâ Halebum cingentes invaſit, fudit, Halebum, ſecuritati redditum, ſibi ſubjecit; *Elm.* VII. *Raſcaus* Mauzilæ & Halebi Dominus, qui in templo Cathedrali Mauzilæ à Bateniis trucidatur. VIII. *Faxailus*, fil. Badii, qui diu poſſeſſor illius

illius fuit. IX. *Atabacus ZiKaus*, filius Acſancari: quod qua occaſione factum ſit, prolixè recenſet *Elmac.* in Moſtarſchedo billa. Nos ſtrictim agemus. Cùm *RaſKao*, vivis exempto, ſufficere vellent filium *Maſudum*, *Behaeddinus* Schaharaſuſæus judex, cum aliis, ut *Maſudo*, Raskæi filio Nauzilæ Imperium adjudicare, Bagdadum conceſſit. Sed decollavit ſpes. Regnum enim iidem, non dubio tantùm oborto, ſed & juventute *Maſudi* obſtante, *ZiKao*, Acſancari filio, conditionibus certis deferunt. Staturum ſe pactis *ZiKaus* promittit, regnumque Halebi & Mauzilæ an. Heg. 522. obtinet. Ex eo tempore magnas familia illa cepit vires. Idem hic *ZiKaus* Roham, ſeu Edeſſam Chriſtianorum manibus eripuit: quæ ſola hactenus jugi Muhammedici expers perſtitit. Vide Faſc. temp. pag. 76. b. & alios. Eam ex inopinato admotis baliſtis, invaſit, ignique injecto, magna urbi damna dedit. Detinebantur ibi Muſelmanni 500. quos captos vinculis omnes exemerunt. Somnum tandem capturus à famulis, quòd minas ejus (ut formidabilis omnibus fuit) evitare hac ratione cogitâſſent, interficitur. In caſtris tum erat, Giabarum expugnaturus: Occiſus verò Raccam deportatur, ibique in Mauſoleo conditur. X. *Mahmudus Nureddinus*, Malecadelus ſeu *Rex juſtus*, qui defuncti patris ZiKæi ſigillo, quod acceperat, munitus, Halebi ſucceſſor recipitur. Habuit autem *ZiKaus* tres adhuc filios alios, *Seiphoddinū*,

bellatorem; cui Mauzila ceſſit; *Kateboddinum*, dilectum, & *Nazereddinum*, de quorum fortuna ordine agit *Elm. Mſc.* An. Heg. 549. *Malecadelus* Imperio ſuo Damaſcum quoque adjicit; ſicque potentia ejus immane quantum crevit, *Elm.* An. Heg. 565. Mauzilam idem occupavit. Moritur An. H. 569. XI. *Iſmaël Maleczalechus*, qui, Damaſco abiens, Halebum venit, patri ſucceſſurus. Varii ejus tempore Halebenſium & Mauzolitarum cum Joſepho *Zelacheddino* fuerunt conflictus. Pax tandem certis legibus ſancitur. *Elm. Iuch.* p. 149. b. Cùm verò Mauzolitæ pacta rumperent, Martiſque aleam experiri mallent, ita *Zelacheddinus* attrivit, ut facultatibus ſpoliati vi omnes caperentur; Duces verò, ut ſolitæ humanitatis eſſet memor, ſtolis indutos *Zelacheddinus* indemnes domum reverti juſſit: Halebum etiam *Iſmaëli Maleczalecho* reliquit.

DAMASCUM tenebant I. *Atabacus* Tagtecinus, cog. *Thahiraddinus*, *Elm.* p. 295. Moritur an. Heg. 521. II. *Buraus*, Atabaci filius, cog. *Taagbolmelicus*, qui Europæos, Damaſcum occupaturos, fudit; *Elm.* Interiit manibus Batenæorum. *Elm.* III. *Iſmaël Schamſcholmelicus*, Buræi filius. Hunc mater, Jacouth-chatun ſubditorum ſcelerato parricidio, ut regnũ & ſibi, & filio Schahabod-dino, natu minori raperet, interemptum voluit. Et ne ipſa tam horrendi videretur conſcia facti, Principibus ad ſe vocatis filium tapeto involutum, miſerum perfidię ſubditorum ſpectaculum oſten-

oſtendit. IV. *Shiahaboddinus*, fil. Tagholmelici. Moritur an. H. 533. quo defuncto, Damaſcum occupavit Princeps. V. *Bahramſchah.* VI. *Muhammed Ghemaleddinus* (hic pater fuit *Neghmoleddini & Muazzoddini*) qui *Bahramſchaho* fratri Damaſcum non multò poſt eripuit. Obiit an. Heg. 534. VII. *OrthaKe*, Phachroddinus, filius, exigui iudicii homo. VIII. *Azzoddinus*, Phachroddini frater. IX. *Malechadelus*, de quo ſup. Damaſcum cepit An. Heg. 549. X. *Ioſephus Zelacheddinus* urbe potitur an. Heg. 570. Plura addi poſſent de Principibus Irakæ, Arbilæ, Emeſſæ, Hellæ, Mauzilæ, Hamadanæ, quæ Elmacini fragmenta ſuppeditant; ſed eos notâſſe hoc loco ſufficiat, qui in ipſis Hiſtoricorum quoq; noſtrorum libris occurrunt; nominibus licèt planè depravatis, inverſis, aut truncatis.

[c] Quos inter eminent I. *Ianeſus*, Vezirus Hapheti, Ægypti Præſidis. II. *Iahia*, filius Muhammedis, fil. Habiræ cognomento *Auneddinus*, Vezirus Chalifæ Moctafæ biamrilla. Revixit Abbaſidarum authoritas, per Salghucidas conculcata prorſus ſub hoc Veziro. Cùm enim præter nomen Chalifæ nihil poſſiderent, atque Judicia ab iis qui Bagdadi & alibi dominabantur, exercerentur, huius tandem ſtudio Moctafæ biamrillæ melior ſors fuit. *Elm.* III. *Talajus*, populi ſuffragio Kahiræ Vezirus eligitur. IV. *Rozaichus*, Talaii filius, poſt obitum parentis ab Atedo Veziratum impetrat. V. *Zorgamus* itidẽ

ab Atedo ad Veziratum evectus, indito cognomento *Malecholmanzuri.* VI. *Schavvarus*, qui ſecunda vice ſub Atedo dignitate hac functus eſt. Hic Francorum opem contra Aſededdinum imploravit. VII. *Aſededdinus*, cui Atedus contulit Veziratum, eundemque ſcripto fœdere, (quod nulli hactenus contigit) confirmavit. *El.* VIII. *Ioſephus, Zelacheddinus*, Atedi Vezirus in Ægypto. In hoc ſtatu collocatus animos hominum donis blanditiiſque mirè ſibi devinxit, & ſequuturæ famæ dignitatiſque fundamentum poſuit.

V. Sed & aliæ etiam Familiarum, & regiminis mutationes ſeculo hoc occurrunt, quarum notitia Hiſtoriæ Saracenicæ pleniori haud parum inſervit.

Obſervandum igitur I. rediiſſe vocationem *Abbaſidarum* in Ægypto, poſtquam abrupta eſſet per annos 200. per Phatimæos; *Iuch.* p. 149 b. Sub Moſtada benurillah, *Elm.* II. *Atabacaos* ſeculo hoc caput extuliſſe Vide ſup. p. 211. III. *Iobitarum* quoq; proſperum hac ætate fortunæ fuiſſe curſum. De his *Elmacinus* ſcribit, *patrem eos habuiſſe Schadaum, filium Mervvanis, qui Tecriti, ubi & ultimum vitæ diem clauſit, fuit moratus. Reliquit autem duos filios Schaircuam Aſededdinum, & Iobum Neghmoddinum, inter quos ita convenit, ut Neghmoddinus*

dinus aliquandiu Tecritum teneret: quo poſtea ejectus dominio, Mauzilam cum univerſa familia abiit, ut vitam ibi ſuam ſervitio toleraret. Cumque Imperii faſces teneret Mahmudus Nureddinus, Malechadelus, Zikai filius, adiit eum Neghmoddinus cum fratre Schaircuah Aſededdino, totaq; utriusq; familia. Hoſpites iſtos non ſereno tantum vultu exceptos, ſed & variis muneribus affectos Nureddinus militiæ mox ſuæ præfecit. Expugnata à Nureddino Syria, eorum frequenter conſilio utebatur & opera, Ioſephi cumprimis Zelacheddini, quem in rebus arduis maximè & difficilimis adhibuit, variis donis & bonis ornavit, titulisq; honorificis inſignivit. Hæc initia fuerunt magnorum, & toto fere orbe celeberrimorum inter Saracenos Ducum, quorum alter, ut audiemus, Hieroſolymis iterum Chriſtianos ejecit. IV. *Salghucidarum* Periodum ad finem properâſſe. Mortuo enim Sultano *Solimano Schaho*, filio Muhammedis, fil. Melicſchiahi Salghucidæ, cuius nomine Hamadanæ, à ſe occupatæ, oratum fuit, Imperium Barbaricum à Salghucidis in alios eſt devolutum. *Hic poſtremus eſt*, ſcribit Elmac. *quantum mihi conſtat ex Salghucidis, qui Barbaris imperârit. Aiunt tamen alii, Togrulum parvum filium Orſalani Schah,*

 filium

moleſta fuit, Dominico Michaele Duce. An. 1125. Pugnatum contra Chriſtianos eſt quadringentis millibus hominum, quibus occurrerunt tribus millibus virorum Chriſtiani, & Dei benignitate, ſeptem millibus hoſtium gladio cæſis & quinque millibus aqua ſuffocatis, Chriſtiani victoriam conſecuti ſunt. An. 1127. In Syria Chriſtiani duabus ſtragibus fudere Saracenos, ubi in prima pugna duo millia Saracenorum & 500. deſiderati. In altera, quamvis uterq; exercitus afflictus eſt. Chriſtiani tamen victores extitere. An.1129. Rex Aſcalonitarum à Balduino repreſſus, Rex Damaſci tribus præliis victus An.1130 Balduino III. rege Hieroſolymitano, è vivis ſublato, Fulco IV. Rex conſtituitur. Anno 1131. Tripolitanus comes proditus occiditur. Fulco Rex ab hoſtibus fugatur, & iniquas conditiones, ut ex obſidione liberaretur, accepit. An. 1133. Chriſtiani Ægyptiis felici Marte reſtituerunt. An.1139. Aſcalon a Chriſtianis recuperatur. An,1142. Fulco IV. Rex Hieroſ. inſequens leporem, & ex equo decidens, efflavit animam, cui ſucceſſit Balduinus filius, An. 1143. Urbs Edeſſa (de qua occupata queruntur *Plat.* in Luc.11. *Sig.*p.278.*Geneb.* an.Ch.1144. vide ſuprà.)& tota fere Meſopotamia à Saracenis & Alapho (neſcio quid hoc monſtri ſit, pro Atabaco vide ſup.p.211.) duce Turcarum qui jam in Oriente magni nominis erant, devicta eſt, multa & miſerabili Chriſtianorum ſtrage edita, matronis

nis in æde D. Johannis Baptiſtæ ſupra altare ſtupratis. An.1144. Balduinus III. quintus Rex Hieroſolym. Gaza & Aſcalone Saracenis ejecit, & apud Hierichunta Nuredinum Damaſcenæ militiæ principem 5000. hoſtium interfectis, vicit & fugavit. A.1145.Emanuel Conſtantinopolitanus Imperator exercitus Chriſtianorũ contra Saracenos, euntes, multis inſidiis fatigavit, ne quid utile Chriſtianæ Reipublicæ efficerent. An.1146. Rogerius Siciliæ & Nortmannorum Rex Saracenos Africanos Rege ipſorum capto ad triginta annos ſibi tributarios reddidit. Eodẽ anno Conradus II. Imperator, ingentes copias pugnatorum contra Saracenos parat, ſed pugnat infeliciter. Eodem Ludovicus Rex Galliæ contra infideles maximam vim militum collegit. An.1147. Ex Flandria, Anglia, Lotharingia inſtructis ducentis navibus bellum contra Saracenos inſtitutum eſt. Hoc anno Conradus Imperator transmiſſo feliciter Boſphoro, propè hoſtes acceſſit. Verùm deficiente commeatu,&(ut nonnulli ajunt) frumento gypſo corrupto, coactus eſt continere curſum & copias educere. Quo cognito Saraceni, à tergo inſequentes aliquot hominum millia trucidaverunt. Eodẽ anno confluit ad Imperatorem Rex Franciæ,adjuvandi illum ſtudio, ſed exercitu fame confecto, nihil præclari actum eſt. Eodem tempore Neneti inſtructa claſſe profecti ſunt in Aſiam,opem laturi Imperatori,qui Saracenis bellum faciebat.

An.

qui jure fæderis, anno ætatis 58. inaugurationē fuit conſecutus. Præfuit autem rerum adminiſtrationi Stratiarcha Achmedus, fil. Fadli, qui quàm diu vixit, Haphetum vinculis conſtrictum tenuit. Cùm verò an. H. 526 efferata quædam juvenum turma ex Heſamia in Ahmedum irruiſſet, cervicem ei amputatam in arcem detulit: Haphetum verò carcere ſolutum regno Ægypti reddidit. Obiit an. H. 546. die Solis 5. menſ. Giumadi poſterioris; Imperii 18. *Elm. c. Taferus billah*, Hapheti filius. Inauguratus eſt Kahiræ eo die, quo defunctus erat pater, annos natus 17. Cæditur ab Abbaſo, fil. Tamim patre, & Naziro filio, an. ætat. 11. Humanis exempto patri filium ſubſtiterunt Alim Abulkaſimum, cogn. Gailrillah, *Elm. lucb.* 149. a. Qua ratione, homicidii ſuſpicionem authores amoliri ſunt conati. Cú verò fama percrebeſcens ad aures Talaiihi, fil. Razichi perveniſſet, lachrymis & pulligine; ægrè ferat Principum cædem, teſtatus eſt. Armavit etiam defuncti amicos, ut ſcelus ulciſceretur. Nec mora. Suppetiæ mox paratæ, quibus communem hoſtem invaſiſſent, niſi convaſatis reculis ſuis & facultatibus fugam adverſarii capeſſere maluiſſent. Sed vitaturi fumum, inignem illicò præcipites ruunt. Franci enim (id eſt *Europæi*: ut alibi iam monuimus) Abbaſum cum ſuis obvium ad Marram (ſic locus quidam vocatur Camelorum potationi aptus) trucidant, Nazirum verò filium captum abducunt. Taferus inte-

nterim Kahiræ ſolenniter inauguratur. Talajo verò, qui *Malcezalechus* i.e. Rex iuſtus vulgi voce fuit proclamatus, Veziratus, omnisque ferè rerum adminiſtratio adjudicatur. Hic Francis magnam offert pecuniæ vim, ut Nazirum tradèrent. Emptorem nacti Europæi Talajũ, haud gravatim ei obſecundant, Nazirumque ferrea cavea cuſtoditum transmittunt. Ut duram ſatis Nazirus mortem obiret; ſupplicia reus ſubire cogitur diriſſima. Mulieribus carminandus, dilaniandus & fruſtillatim diſcerpendus committitur. Ne verò cruciatibus ſubitò enecaretur, ſua ipſius, paulatim deartuati, carne paſcitur, tandemque lenta morte extinctus in patibulum ſuffigitur; & ut prorſus nihil, quod vel famam lædere poſſet, vel cruciatum augere, deeſſet, in favillas truncus redigitur. *d. Faizus*, Taferi filius. Ægypti præſes fuit an. 6. menſ. 5. dies 17. Moritur an. Heg. 550. Magiſtratum iniit annos vix natus 5. *Elmac. Iacb.* Vezirus humeris eum impoſitum, populoq; conſpiciendum exhibitum, in ſolio collocavit. *Iacb.* 149. 2. *e. Aedus ledinillah* inauguratus eſt, eodem die, quo *Faizus* patruelis ejus, è vita abiit. Pro eo, in tecto regio collocato, oratum eſt in provinciis Ægypti, cùm annos haberet 21. Ne verò, nomine tenus tantùm Rex, inglorius viveret: *Malcozalechus*, penes quem rerum ſumma hactenus in Ægypto fuit, filiam ei deſponſavit, dotisq; loco dominium reſignavit. Ipſe verò paulò poſt, copias

pias cum Atedo conjuncturus, in ſeptem Mamlucos incidit, qui gladiis eum transfodientes è medio ſuſtulerunt. *Vir*, Elmac. teſte, *fuit excellens, moribus inſignis, felix Poeta, &c.* Veziratum, quo fungebatur Talajus, demandavit Atedus, Razzico Malechadelo, Talaii filio. Qui tamen iterum dignitate illa excidens locum ceſſit Schavero, qui rebellione contra Malechadelum Kahiræ mota, in extremas eum anguſtias, ipsũ imò carcerem, redegit. Ipſe verò Atedi juſſu nõ Vezirus tantùm conſtituitur, ſed & ſplendido *Amirolghiusch* cognomento inſignitur. *Elm.* An. Heg. 564. Atedi imperium labeſcere cæpit; *Id.* Poſtea an. Heg. 577. vivo adhuc Atedo oratum eſt, pro *Ioſepho Naziro*, *Zelach eddino*, Jobi filio in Ægypto: paulò poſt tamen finem fecit & vitæ & Imperii a. regni 11. *Zelacheddinus*; cùm jam emerſiſſet, & certam ſucceſſionis ſpem habuiſſet; dixiſſe fertur: *Quòd ſi conſtaret mihi, finem iam inſtare Imperii eius, nollem equidem contra eum æmulatione certare.* Mortuum lavit, & ſepelivit David. Scribunt Arabes, addictum eum fuiſſe errori Metempſychitarum (quem *Attanaſech* ſuâ linguâ appellant) & ſententiæ *Albolul*, quæ voluit, *eſſe Deum in omni loco, loqui omni lingua, atq; apparere in perſona aliqua indiuidua:* ſic *Schareſt.* & *Elm.* explicant. Vide Spec. Arab. *Poco*K. p. 265. Hanc ſequebantur ſectam Alis poſteri; *Hiſt. Orient.* p. 368. De Metempſychoſi

choſi habet *Elmac.* Mſc. carmen, quo Barkadi (Kairwani provincia eſt) dogmate hoc imbuta commemoratur. Ita illud habet:

Barkadam deſcendit Meſſias, deſcendit in eam Adamus & Noachus

Deſcendit in eam Deus cum Majeſtate ſua; & quicquid præter Deum eſt, Spiritus (ventus) eſt.

Addit, *eſſe hoc fundamentum erroris Neſtorianorum, qui velint, influxum quendam deſcendiſſe in Meſſiam*; Eodem enim modo credere hos *deſcenſum Creatoris altiſſimi, in corpus Adami, & Noachi, & reliquorum prophetarum, & ſucceſſorum eorum, & Antiſtitum eorum.* Fuit autem hic Atedus ultimus Ægypti Rex ex Phatimæis ſeu Ali poſteris: *Iuch.* p.149.a. f. *Aſededdinus* Schaircuah, qui Vezirus fuit Nureddini, Regis Damaſci. Hic illum ad ſubigendam & ſubjugandam Ægyptum emiſit. Atq; hac ratione Imperium ad Jobitas fuit devolutum: *Iuch.* l.c. qua de re, ex *Elmac.* poſt. g. *Ioſephus Zelacheddinus*, filius Jobi, nepos ex fratre Aſededdini cognomento Nazirus. Hic Saladinus vulgò dicitur. De cujus viribus & Imperio agit etiam *Matth. Par.* pag.136. & deinc. Mortem ejus deſcribit id. p.167.

BAGDADI Reges erant 1. *Muhammed.* Cog. Gajattudinus, Meliciſchiahi, de quo ſup. ſeculo, fil.

fil. Obiit an. Ch. 1117. ætatis 37. *Elm.* p. 297. 2. *Mahmudus*, Muhammedis, & patruus eius Sanghar, pro quo, Bagdadi & alibi, oratum fuit ann. Heg. 514. Utrique cognomentum *Schanſchah* eſt inditum. *Elm.* Pater ei moriturus præter regnum, in theſauris reliquit 11000000. aureos. An. Heg. 521. inter Chalifam & Mahmudum obortæ ſunt lites & controverſiæ, quæ cum prædis, rapinis, incendiis dirimi non poſſent, amicis tandem pactis finierunt. *Elm.* Obiit an. H. 525. cui in regno mox ſuffectus eſt Sultan *David*, pro quo oratum eſt in montanis & Adrebighan. Atabacæi autem orârunt pro Ahmede *Zicæo*. Poſtea verò, an. H. 527. *Maſudus*, Muhammedis filius, Bagdadum ingreditur; ubi precibus mox ejus, nepotiſque ex fratre *Davidis*, fil. Muhammedis Sultanatus confirmatur. Stola etiam utriq; Regni inſigne, à Chalifa iniicitur. An. Heg. 528. ceſſatum eſt orare pro Sultano *Muſado* Bagdadi, qui aperto Marte Chalifam oppugnavit. Pro patruo tamen Sultano *Sanghato*, Meliсſchiahi filio, Sultano item *Davide*, nepote ex fratre Mahmudo, in ſuggeſtis precum officium nunquam fuit interruptum. *Maſudus* interim numeroſo contra Chalifam inſtructus exercitu, prælio decernit, vincit, victisq; parci vult hoſtibus, Chalifæ cumprimis, quem paulò pòſt, ut ſupra monuimus, priſtinæ dignitati reſtituit. Mortuo Chalifa, *Raſchidus billa*, ſucceſſor armis quoque *Maſudum* ſubigere tentavit; ſed fruſtrà. Victor extitit

Maſu-

Maſudus, tantumque apud Bagdadenſes potuit, ut Imperio moveretur Chaliſa ipſe. Tanta pollebant authoritate & potentia Bagdadi Principes, Maſudus præſertim; ut cedere illis Chaliſæ non ſemel fuerint coacti. Exempla habet *El.* in Moſtarſchedo billah & aliis. Sed & nepos ejus, *David* ſuas in patruelem periclitaturus vires, magnâ exercitus ſui jacturâ, temerariũ impetum luit; non multò pòſt, ab ipſa plebe occiſus: Sultan verò *Maſudus* fil. Muhammedis, fil. Melicſchiahi, fil. Olbarſalani Salghucides fato fungitur an. Heg. 547. ad oſtium Hamadanæ: *El.* 4. *Melicſchiahus*, Maſudi frater, cui fidelitatis juramentum præſtitit exercitus ſtatim à fratris exceſſu. Fecit cum eo Chozbachus; qui operam ei ſuam contra fratrem *Muhammedem Schiahum* obtulit, quam inſidioſè collaturus meritas perfidiæ pœnas dedit. *Ipſe enim*, inquit Hiſt. Arab. *Elmacin. qui puteum fratri parat calce obductum, in eundem Dei judicio præceps ruit*. Capere cuniculis voluit Muhammedem Schiahum Chozbachus, ipſe poſtea captus. Sultan verò *SolimanSchah*, filius Muhammedis Salghucides cùm Bagdadi honorificè à Chaliſa eſſet exceptus, ſolennique precum formulâ ab eodem plebi commendatus, & regiis ornatus muneribus Choraſanam gladii jure ſuam facere vellet, obvium primò habuit fratrem *Melicſchiahum*, fil. Maſudi; deinde Sultanum quoque *Muhamme-*

dem Schabum, à quo profligatus fuit & in fugam converſus; qua victoriâ potitus, Bagdadenſe quoq; Imperium conſequebatur, *Elm.* Et ut in ipſam ei Imperii ſedem pateret aditus, opem ille implorat *Ali, Zeineddini*, Præſulis Arbilæ & Mauzilæ, qui arctiſſima Bagdadum cinxit obſidione. Et quamvis fama percrebeſceret, irruptione *Melicſchiabum* vaſtare Hamadanam, copiasque *Muhammedis Schabi* eſſe fuſas; nihil tamen ille motus in obſidione, ſine ſucceſſu tamen, perſtitit.

HALEBI Imperârunt I. *Tagjuddaula*, cog. Achraſus, Roduvvani filius, *Elm.* p. 297. II. *Lulus*, famulus Taghiruuſæ, qui occiſo *Tagjuddaula*, arcem Halebi urbemque occupavit; *Id.* III. Princeps *Bulgarus*, fil. Orthakæ (*Erp.* habet Aryci) qui *Lulo*, propè Baliſum vita privato, ſucceſſit. Imperium per 5. an. tenuit, *Id.* IV. *Malecus*, fil. Orthakæ. Quo occiſo prope Manbegum occupavit ſedem, V. *Solimam* nepos ejus ex fratre, deinde *Iaſirus*, fil. Bulgari, fil. Ortakæ, poſtea *Mada*, fil. Maredin. Eo tempore Franci Europæi obſidione eam circumdabant: Inundationibus verò aquarum præpediti obſidionem ſolvere fuerunt coacti. VI. *Acſacar*, Damaſcenus, qui Europæos, coronâ Halebum cingentes invaſit, fudit, Halebum, ſecuritati redditum, ſibi ſubjecit; *Elm.* VII. *Raſcaus* Mauzilæ & Halebi Dominus, qui in templo Cathedrali Mauzilæ à Bateniis trucidatur. VIII. *Fazailus*, fil. Badii, qui diu poſſeſſor illius

Digitized by Google

illius fuit. IX. *Atabacus ZiKaus*, filius Acſancari: quod qua occaſione factum ſit, prolixè recenſet *Elmac.* in Moſtatſchedo billa. Nos ſtrictim agemus. Cùm *RaſKao*, vivis exempto, ſufficere vellent filium *Maſudum*, *Behaeddinus* Schabataruſæus judex, cum aliis, ut *Maſudo*, Raskæi filio Nauzilæ Imperium adjudicare, Bagdadum conceſſit. Sed decollavit ſpes. Regnum enim iidem, non dubio tantùm oborto, ſed & juventute *Maſudi* obſtante, *ZiKao*, Acſancari filio, conditionibus certis deferunt. Staturum ſe pactis *ZiKaus* promittit, regnumque Halebi & Mauzilæ an. Heg. 522. obtinet. Ex eo tempore magnas familia illa cepit vires. Idem hic *ZiKaus* Roham, ſeu Edeſſam Chriſtianorum manibus eripuit: quæ ſola hactenus jugi Muhammedici expers perſtitit. Vide Faſc. temp. pag. 76. b. & alios. Eam ex inopinato admotis baliſtis, invaſit, ignique injecto, magna urbi damna dedit. Detinebantur ibi Muſelmanni 500. quos captos vinculis omnes exemerunt. Somnum tandem capturus à famulis, quòd minas ejus (ut formidabilis omnibus fuit) evitare hac ratione cogitâſſent, interficitur. In caſtris tum erat, Giabarum expugnaturus: Occiſus verò Raccam deportatur, ibique in Mauſoleo conditur. X. *Mahmudus Nureddinus*, Malecadelus ſeu *Rex juſtus*, qui defuncti patris ZiKæi ſigillo, quod acceperat, munitus, Halebi ſucceſſor recipitur. Habuit autem *ZiKaus* tres adhuc filios alios, *Seiphoddinũ*,

bellatorem; cui Mauzila ceſſit; *Kateboddinum*, dilectum, & *Nazereddinum*, de quorum fortuna ordine agit *Elm.* Mſc. An. Heg. 549. *Malecadelus* Imperio ſuo Damaſcum quoque adjicit; ſicque potentia ejus immane quantum crevit, *Elm.* An. Heg. 565. Mauzilam idem occupavit. Moritur An. H. 569. XI. *Iſmaël Maleczalechus*, qui, Damaſco abiens, Halebum venit, patri ſucceſſurus. Varii ejus tempore Halebenſium & Mauzolitarum cum Joſepho *Zelacheddino* fuerunt conflictus. Pax tandem certis legibus ſancitur. *Elm. Inch.* p. 149. b. Cùm verò Mauzolitæ pacta rumperent, Martiſque aleam experiri mallent, ita *Zelacheddinus* attrivit, ut facultatibus ſpoliati vivi omnes caperentur; Duces verò, ut ſolitæ humanitatis eſſet memor, ſtolis indutos *Zelacheddinus* indemnes domum reverti juſſit: Halebum etiam *Iſmaëli Maleczalecho* reliquit.

DAMASCUM tenebant I. *Atabacus* Tagtecinus, cog. *Thahiraddinus*, *Elm.* p. 295. Moritur an. Heg. 521. II. *Buræus*, Atabaci filius, cog. *Taagbolmelicus*, qui Europæos, Damaſcum occupaturos, fudit; *Elm.* Interiit manibus Batenæorum. *Elm.* III. *Iſmaël Schamſcholmelicus*, Buræi filius. Hunc mater, Jacouth-chatun ſubditorum ſcelerato parricidio, ut regnũ & ſibi, & filio Schahaboddino, natu minori raperet, interemptum voluit. Et ne ipſa tam horrendi videretur conſcia facti, Principibus ad ſe vocatis filium tapeto involutum, miſerum perfidię ſubditorum ſpectaculum oſten-

oſtendit. IV. *Shiahaboddinus*, fil. Tagholmelici. Moritur an. H. 533. quo defuncto, Damaſcum occupavit Princeps. V. *Bahramſchah.* VI. *Muhammed Ghemaleddinus* (hic pater fuit *Neghmoleddini & Muazzoddini*) qui *Bahramſchaho* fratri Damaſcum non multò poſt eripuit. Obiit an. Heg. 534. VII. *Orthaka*, Phachroddinus, filius, exigui iudicii homo. VIII. *Azzoddinus*, Phachroddini frater. IX. *Malechadelus*, de quo ſup. Damaſcum cepit An. Heg. 549. X. *Ioſephus Zelacheddinus* urbe potitur an. Heg. 570. Plura addi poſſent de Principibus Irakæ, Arbilæ, Emeſſæ, Hellæ, Mauzilæ, Hamadanæ, quæ Elmacini fragmenta ſuppeditant; ſed eos notâſſe hoc loco ſufficiat, qui in ipſis Hiſtoricorum quoq; noſtrorum libris occurrunt; nominibus licèt planè depravatis, inverſis, aut truncatis.

[*c*] Quos inter eminent I. *Ianeſus*, Vezirus Hapheti, Ægypti Præſidis. II. *Iahia*, filius Muhammedis, fil. Habiræ cognomento *Auneddinus*, Vezirus Chalifæ Moctafæ biamrilla. Revixit Abbaſidarum authoritas, per Salghucidas conculcata prorſus ſub hoc Veziro. Cùm enim præter nomen Chalifæ nihil poſſiderent, atque Judicia ab iis qui Bagdadi & alibi dominabantur, exercerentur, huius tandem ſtudio Moctafæ biamrillæ melior ſors fuit. *Elm.* III. *Talajus*, populi ſuffragio Kahiræ Vezirus eligitur. IV. *Rozzaichus*, Talaii filius, poſt obitum parentis ab Atedo Veziratum impetrat. V. *Zorgamus* itidē

ab Atedo ad Veziratum evectus, indito cognomento *Malecholmanzuri*. VI. *Schavvarus*, qui ſecunda vice ſub Atedo dignitate hac functus eſt. Hic Francorum opem contra Aſededdinum imploravit. VII. *Aſededdinus*, cui Atedus contulit Veziratum, eundemque ſcripto fœdere, (quod nulli hactenus contigit) confirmavit. *El.* VIII. *Ioſephus, Zelacheddinus*, Atedi Vezirus in Ægypto. In hoc ſtatu collocatus animos hominum donis blanditiisque mirè ſibi devinxit, & ſequuturæ famæ dignitatisque fundamentum poſuit.

V. Sed & aliæ etiam Familiarum, & regiminis mutationes ſeculo hoc occurrunt, quarum notitia Hiſtoriæ Saracenicæ pleniori haud parum inſervit.

Obſervandum igitur I. rediiſſe vocationem *Abbaſidarum* in Ægypto, poſtquam abrupta eſſet per annos 200. per Phatimæos; *Iuch.* p. 149 b. Sub Moſtada benurillah, *Elm.* II. *Atabacæos* ſeculo hoc caput extuliſſe. Vide ſup. p. 211. III. *Iobitarum* quoq; proſperum hac ætate fortunæ fuiſſe curſum. De his Elmacinus ſcribit, *patrem eos habuiſſe Schadaum, filium Mervvanis, qui Tecriti, ubi & ultimum vitæ diem clauſit, fuit moratus. Reliquit autem duos filios Schaircuam Aſededdinum, & Iobum Neghmoddinum, inter quos ita convenit, ut Neghmoddinus*

dinus aliquandiu Tecritum teneret: quo poſtea ejectus dominio, Mauzilam cum univerſa familia abiit, ut vitam ibi ſuam ſervitio toleraret. Cumque Imperii faſces teneret Mahmudus Nureddinus, Malechadelus, Zikai filius, adiit eum Neghmoddinus cum fratre Schaircuah Aſededdino, totaq; utriusq; familia. Hoſpites iſtos non ſereno tantum vultu exceptos, ſed & variis muneribus affectos Nureddinus militia mox ſua præfecit. Expugnata à Nureddino Syria, eorum frequenter conſilio utebatur & opera, Ioſephi cumprimis Zelacheddini, quem in rebus arduis maximè & difficilimis adhibuit, variis donis & bonis ornavit, titulisq; honorificis inſignivit. Hæc initia fuerunt magnorum, & toto fere orbe celeberrimorum inter Saracenos Ducum, quorum alter, ut audiemus, Hieroſolymis iterum Chriſtianos ejecit. IV. *Salghucidarum* Periodum ad finem properâſſe. Mortuo enim Sultano *Solimano Schaho*, filio Muhammedis, fil. Meliсſchiahi Salghucidæ, cuius nomine Hamadanæ, à ſe occupatæ, oratum fuit, Imperium Barbaricum à Salghucidis in alios eſt devolutum. *Hic poſtremus eſt*, ſcribit Elmac. *quantum mihi conſtat ex Salghucidis, qui Barbaris imperârit. Aiunt tamen alii, Togrulum parvum filium Orſalani Schah,*

filium Toguli magni, ultimum eorum fuiſſe regem, an. Heg.596. *Multos legi Hiſtoricos, qui negant eos fuiſſe Salghucides, maleq; originem eorum ad Salghucum referri; ſed & alios vidi qui Salghucidis eos annumerant, ut Amadus Aſphahanienſis, &c.* V. Principibus & Regibus non paucis exitium attuliſſe atque interitum ipſos ſubditos; alios quidem ſtudio & deſtinata operâ, alios per incuriam. Anno Heg. 538. Plebs Sultanum *Davidem*, filium *Mahmudi*, quem non noverat, incautè oppreſſit. *Atedum* ſeptem Mamluci interfecerunt an.H.556. In Regicidas tamen ejusmodi graviter fuiſſe animadverſum probat Hiſtoria ſup. p.205. allata.

VI. Pertinet ad Politiam *Militia*, in qua obſervanda venit continuatio belli, tum [*a*] *ſacri*, tum, inter ipſos Saracenos, [*b*] *inteſtini*.

[*a*] Quo nomine omnes contra Saracenos pugnas intelligimus & expeditiones, eas præſertim, quæ in Aſiam ſeculo hoc ſusceptæ ſunt hoc ordine. An.Chr.1103. Balduinus magna ſtrage vincitur, & vix fuga incolumis evadit. Mœnia Ramæ, in quam reliquiæ exercitus ejus confugerant, ab hoſtibus diruuntur. A.C.1103. Boëmundus Apuliæ Rex cum cæteris in expeditionem Hieroſolymitanam profectus à Saracenis capitur, & poſtea à Tancredo nepote ſuo liberatur.

rur. An.Ch.1104. Chriſtiani Accaron civitatem Paleſtinæ, quam alii Ptolemaida appellant, poſt 20. diem obſidionis capiunt. An.Ch.1105. Magna pars Saracenorum à Chriſtianis deleta eſt. Eodem anno Alexius Imperator Conſtantinopolitanus conditiones pacis à Balduino oblatas accipere cogitur. A.C.1106. Balduinus Berythū & Sidoné, urbes maritimas ſubigit. Apud Carrhas ſeditio inter Chriſtianos Principes orta maximo damno fuit. Irruentibus enim in illos ex improviſo hoſtibus, quidam capti, quidam fugati ſunt, exercitu miſerè deſtituto. Hanc notam paulò poſt recenti de Saracenis victoria emendavit Balduinus. An.1113. Saraceni in regnum Hieroſolymitanum ex Perſide irruentes, Regis copias fortè oblatas fugant & cædunt. An.1115. Tancredus, qui patruum ſuum à Saracenis liberaverat, ad montem regalem ab hoſtibus vincitur & occiditur. An. 1117. Piſani inter Hetruſcos nobiles populi Saracenos ex Balearibus inſulis armis ejecerunt. Anno 1118. Balduino II. Hieroſolymorum Rege mortuo, alter ejuſdem nominis ſucceſſit, qui Regem Perſarum devicit atque occidit, ipſumque Damaſci Regem fugavit. Sed Parthorum Rege ſibi reſiſtente, & illos ulciſci volente, Balduinus capitur, & vinctus, ultra Euphratem cuſtodiæ demandatur. An.1119. Balduinus poſt octavum & decimū menſem in ſipiis è carcere liberatus ad ſuos revertitur. Anno 1122. Venetorum claſſis in Syria Saracenis

 mole-

moleſta fuit, Dominico Michaele Duce. An. 1125. Pugnatum contra Chriſtianos eſt quadringentis millibus hominum, quibus occurrerunt tribus millibus virorum Chriſtiani, & Dei benignitate, ſeptem millibus hoſtium gladio cæſis & quinque millibus aqua ſuffocatis, Chriſtiani victoriam conſecuti ſunt. An. 1127. In Syria Chriſtiani duabus ſtragibus fudere Saracenos, ubi in prima pugna duo millia Saracenorum & 500. deſiderati. In altera, quamvis uterq; exercitus afflictus eſt. Chriſtiani tamen victores extitere. An.1129. Rex Aſcalonitarum à Balduino repreſſus, Rex Damaſci tribus præliis victus An.1130 Balduino III. rege Hieroſolymitano, è vivis ſublato, Fulco IV. Rex conſtituitur. Anno 1131. Tripolitanus comes proditus occiditur. Fulco Rex ab hoſtibus fugatur, & iniquas conditiones, ut ex obſidione liberaretur, accepit. An. 1133. Chriſtiani Ægyptiis felici Marte reſtituerunt. An.1139. Aſcalon à Chriſtianis recuperatur. An,1142. Fulco IV. Rex Hieroſ. in ſequens leporem, & ex equo decidens, efflavit animam, cui ſucceſſit Balduinus filius, An. 1143. Urbs Edeſſa (de qua occupata queruntur *Plat.* in Luc.11. *Sig*.p.278.*Geneb*. an.Ch.1144. vide ſuprà.)& tota fere Meſopotamia à Saracenis & Alapho (neſcio quid hoc monſtri ſit, pro Atabaco vide ſup.p.211.) duce Turcarum qui jam in Oriente magni nominis erant, devicta eſt, multa & miſerabili Chriſtianorum ſtrage edita, matronis

nis in æde D. Johannis Baptiſtæ ſupra altare ſtupratis. An.1144. Balduinus III. quintus Rex Hieroſolym. Gaza & Aſcalone Saracenis ejecit, & apud Hierichunta Nuredinum Damaſcenæ militiæ principem 5000. hoſtium interfectis, vicit & fugavit. A.1145.Emanuel Conſtantinopolitanus Imperator exercitus Chriſtianorū contra Saracenos, euntes, multis inſidiis fatigavit, ne quid utile Chriſtianæ Reipublicæ efficerent. An. 1146. Rogerius Siciliæ & Nortmannorum Rex Saracenos Africanos Rege ipſorum capto ad triginta annos ſibi tributarios reddidit. Eodē anno Conradus II. Imperator, ingentes copias pugnatorum contra Saracenos parat, ſed pugnat infeliciter. Eodem Ludovicus Rex Galliæ contra infideles maximam vim militum collegit. An.1147. Ex Flandria, Anglia, Lotharingia inſtructis ducentis navibus bellum contra Saracenos inſtitutum eſt. Hoc anno Conradus Imperator transmiſſo feliciter Boſphoro, propè hoſtes acceſſit. Verùm deficiente commeatu,&(ut nonnulli ajunt) frumento gypſo corrupto, coactus eſt continere curſum & copias educere. Quo cognito Saraceni, à tergo inſequentes aliquot hominum millia trucidaverunt. Eodē anno confluit ad Imperatorem Rex Franciæ, adjuvandi illum ſtudio, ſed exercitu fame confecto, nihil præclari actum eſt. Eodem tempore Neneti inſtructa claſſe profecti ſunt in Aſiam, opem laturi Imperatori, qui Saracenis bellum faciebat.

An.

An.1148. Hiſpani expulſis Saracenis Almariam & Tortoſam turrigeras urbes recuperârunt.Eodem anno Damaſcus à Syris, Gallis, Alemannis, Hieroſolymitanis oppugnata eſt,ac extremi muri diruti, cumque jam ſpes eſſet potiundæ urbis, & expugnandi Saracenos, exorta diſſenſione inter Principes, quibus convocato ſuo exercitu ab expugnatione deſtituunt. An. 1149. Rex Antiochiæ Raimundus cum toto exercitu deletus à Saracenis eſt, omnique terra ejus devaſtata, ſola Antiochia à Rege Hieroſolymorum ægrè ſervata eſt. An.1151. Rex Hieroſolymorum Balduinus Ægyptios ac Babylonios fudit. An.1158.Saraceni ex Almaria armis profligarunt Hiſpanos. An.1159. Balduinus multas civitates ejectis Saracenis in pacem & libertatem reſtituit. An.1164. Moritur Balduinus Hieroſolymitanus Rex,ſubrogatuſque eſt frater ejus Almericus VI. Rex, An. 1170. Almericus in Ægypto clara potitur victoria. An.1171. Idem Rex Damiatam obſedit,ſed malis conditionibus init pacem. An.1172. Saraceni Africani plurimas fecerunt excurſiones in Hiſpaniam. An.1175. Almericus Hieruſalem Rex febri extinctus, Balduinus filius eius, in Regem ungitur, Rex VII. An. 1177. Balduinus Saladini Ægyptiorum Regis copiis bis victis & deletis, multum auri Hieroſolymis intulit. A.1180. Filia Regis Saracenorum, quæ Pagano Principi nupſerat, à Rege Siciliæ in mari, cùm Sponſo domum deduceretur, capitur. Eodem anno Chriſtianæ

ſtianæ Religionis profeſſores, qui Hieroſolyma inhabitabant, vincuntur. A. 1181. Maximis impenſis ac ſumptibus Carthago à Rege Saracenorum Mauſamuntho inſtaurata eſt. An. 1184. Balduinus VII. Hieroſ. Rex, quem lepra infecerat, abſque hærede vita excedit. Nepos ejus ex ſorore Balduinus nomine, Rex quidem declaratur, ſed fatorum invidia ex illo honorum gradu eripitur, cui ſucceſſit VIII. Rex Guido Luſignanus. Inter Guidonem Hieroſol. Regem, & Raimundum Tripolitanum Comitem orta diſſenſio cauſa extitit, ut Chriſtiani in extremum diſcrimen inciderent. In eundem annum irruptio illa Saracenorum in Hiſpaniam incidit, de qua *Matth. Par.* An. 1186. Congreſſi Chriſtiani cum exercitu Saladini Regis, 20000. ac quingentis ſuorum interfectis, miſerè occumbunt. Guido Rex capitur, Tripolitanus comes ſubitanea morte extinguitur. An. 1187. Octoginta & octo annis, cùm Hieruſalem à Chriſtianis habitata eſſet, hoc anno Regi Saracenorum, expulſis Chriſtianis, deditione tradita eſt, die 2. Octobris. Eodem anno univerſam Judææ regionem hoſtis Saracenus eripuit, Tyro, Tripoli & Antiochia vix conſervatis. Vide *Bar.* hoc anno. An. 1188. Fridericus Romanorum Imperator cum Friderico filio, Philippus Galliæ, Richardus Angliæ Reges cum plurimis aliis Principibus in comitiis decernunt, relictis in Judæa Chriſtianis ſubveniendum eſſe. Inſtruitur bellum, Fridericus

Impe-

Imperator deductis in Syriam copiis, Armeniaque minore recepta, æſtatis tempore lavandi cauſa Selephium amnem ingreſſus, periit. Eodem anno Danica & Flandrica Claſſis Africana litora infeſtavit, Sylva urbe capta & incenſa. An. 1189. Guido collectis copiis Aconem graviter obſidet, ſed Saladini aſtutia ſemper vincitur, magna clades Chriſtianis illata morbo, fame armis. Sibilla Guidonis uxor cum quatuor filiis in caſtro moritur dyſenteria. An. 1190. Franciæ & Galliæ Rex conjunctis ſuis navibus cum Guidonis exercitu Aconem oppugnant. De diſpoſitione exercitus Chriſtianorum in obſidione urbis Acon, vide *Par.* p. 151. An. 1191. Acon poſt biennalem obſidionem conditionibus ſe, dedidit, An. 1192. Inter Philippum & Richardum, Reges ſimultate orta, copiæ disjunguntur, & Rex Galliæ domum rediit. Angliæ autem Rex diutius aliquantulum experiebatur belli fortunam, ſed fruſtra. Eodem anno Venetæ quoque & Piſanæ claſſis disjunctio Chriſtianæ Reipublicæ perniciosa fuit, quia & ipſæ diſceſſum parantes, odiorum cauſas domum ſecum attulerunt. An. 1193. Suldanus Saladinus Imperator Saracenicæ gentis, rebus geſtis moderatione & fortitudine inſignis, efflavit animam, filiis ejus regnum inter ſe diſpertientibus. An. 1195. Saraceni Africani in Hiſpaniam irruentes, binis, ut nunc ſunt, regnis potiuntur, Caſtellæ & Granatæ. An. 1198. Henricus Imperator

tor Moguntino Archiepiſcopo, & Othone Saxoniæ Electore belli præfectis ac plerisque aliis magni nominis viris, novas inſtruxit copias contra Saracenos, & receptis ad certum numerum civitatibus conſtituunt Chriſtiani Regem, Hamericum nominatum. Fuit in eadem expeditione Hermannus Thuringiæ Landgravius. An. 1199. Henrico Imperatore mortuo, duces modo dicti victoriam deſperantes in Germaniam revertuntur. An. 1200. Saraceni poſt captam crudeliter Iopem, ſævierunt in Chriſtianos. Eſt hæc σκιαγραφία belli contra Saracenos ſeculi huius flexu geſti, à Chriſtianis, *Dresbslero*, cumprimis adornata. Plura qui deſiderat, adeat *Matt. Par.* p. 56. & deinceps, *Platin.* in Paſch. II. p. 179. *Vrſperg.* p. 298. & *Fortalitium Fidei* l. 4. ubi Hiſpanorum contra Saracenos deſcribuntur ſucceſſus. Ex Judæis conſulatur lib. Juch. 149. & deinc. Videamus nunc breviter, quid *Arabica* monumenta ſuppeditent. Et quia Martem ἀλλοπρόσαλλον utrinque commiſſi exercitus ſæpe fuerunt experti, Chriſtianorum primò *victorias* proponemus, deinde etiam *clades*. Anno Hegiræ 495. Franci non modò Tripolim obſident, ſed & auxiliares, Fecharommelici, Principis loci, copias fundunt & fugant, *Elm.* p. 294. An. Heg. 497. Franci ſubjugârunt Acam. Etenim Balduinus, qui Hieroſolymis potiebatur, eo copias adduxerat ſuas. Una verò cum eo aderant Genuenſes Franci, navibus inſtructi, ita ut terra mari-

que

que quàm proximè ad urbem acceſſerint: erant enim ibidem ſupra 90. naves. Atq; ita eam undique obſeſſam gladio tandem expugnârunt; *Id.* p. 295. An. Heg. 502. Franci Tripoli, promiſſa incolis ſalute, potiti ſunt; poſt ſeptennii obſidionem, propterea quòd periiſſent, qui in ea fuerant præ nimia anguſtatione, fame, atque internecione. Erat autem urbs magna, & referta Musliminis, viriſque eruditis. *Id.* An. Heg. 503. Franci occupârunt Acadum & Minattaram, pactumque fuit, ut incolæ arcium Meſiiaſæ & Arcadi Francis quotannis tributum certum coràm afferrent: in eoque Franci aliquandiu cùm ſubſtitiſſent, fœdus ruperunt, circumventione utentes. *Elm.* p. 296. Eodem anno poſt arctum obſidium, Franci ſubjugârunt Berytum. *Ib.* An. Heg. 504. Expugnârunt Franci Sidona & Rardiiam iiſque regnum in Syria feliciter proceſſit; univerſus enim littoris tractus in poteſtate illorum erat; *Elm.* Ib. An. Heg. 517. Franci Abdomelico eripuerunt Tzur. An. Heg. 549. Franci profugũ fuderunt Nazirum. Vide ſup. p. 205. An. Heg. 517. *Halebenſibus* inſidiaturi Franci, magnam faciunt jacturam, nõ tantùm inundatione aquarum graviter multati: ſed etiam per *Acſancarum* Damaſcenum attriti, *Elm.* An. Heg 523. Franci, Damaſcum expugnaturi, *à Tagbolmoluco* Buræo cæduntur. An. Heg. 532. *Atabacus* Z kæus, *Acſancari* filius Francis victis caſtellum Natin, totamque viciniam eripuit, *Elmac.* An. Heg. 543. cepit

cepit *Mahmud Nureddinus*, Malecadelus, Francorum caſtellum Aphamienſe, poſt gravem obſidionem; occubuit etiam Antiochiæ Princeps, cujus ille occupavit regionem: *Atque ſic multa Francorum arces ad Muſelmannos redierunt*; *Id.* An.H.552. *Nureddinus* Francis abſtulit Banias, & Scheitaz; *Id.* Eodem etiam anno exercitus Saracenorum Ægyptiacus Gazam recuperavit. A.H.559. vicit *Malechadelus* Francos ad Haremum, Kaumazo capto & Batnaſo, *Id.* An. Heg.562. *Aeſededdinus* cōflixit cū Francis, quibus ſe Schavvarus, Ægypti vezirus adjunxerat. Superior extitit *Aſededdinus*, multoſq; partim internecioni devovit, partim vinctos triumphavit. De occupata Edeſſa ſup. p.218. dictum eſt. An.H. 572. *Zelachedάinus* Aſcalonem abiit, muloſque ex Francis captos decolavit. Paulòpoſt *Zelacheddinus* tranſitu ad fluvium Tel prohibitus, à Francis invaditur, cruentoque prælio, quod dies duravit 4. decertatur. *Elm.*

[*b*] Ut ſunt I. inter Chalifam *Moſtarſchedum billah, & Abulhaſenum.* Vide ſup. p. II. Sultan *Sangharum*, & nepotem ejus ex fratre, Sultan *Mahmudum*, fil. Muhammedis, fil. Melicſchiahi: quorum bella funeſtiſſima fuiſſe commemorat *Elm. Sangharum*, qui victor extitit, juverunt alii quinque Reges, & Batenii. III. Maſudum, fil. Muhamedis, & Sultanum *Mahmudum*, fratrem *Elm.* IV. *Moſtarſchedum billah* Chalifam, & Sultanum *Mahmudum.* Difficile & cruentum planè

P hoc

hoc fuit divortiũ. V. *Batenios* & *Raukæum*, Halebi & Mauſilæ dominum, quem illi interfecerunt. VI. *Amrum Beachcam illah*, & *Armenium* Mamlucũ. Vide ſup. 204. VII. *Debiſum*, Saiphoddaulam fil. Zadaka; Chalifam, & Sultanum *Mahmudum*, à quo in devia abreptus prehenditur, atque Buræo *Tagbolmelicæ*. Damaſci Principi traditur. Venditur tandem Atabaco Zikæo 50000. denariis, à quo honorificè tractatus. VIII. Sultanum *Ghielaluddalam* Salghucidem, fratrem, Sultanũ *Maſudum*, & *Keragham* Zikæum. IX. *Moſtarſchedam billah*, & *Atabacum Zikæum*. X. Sultan *David*, filium Muhammedis, & patruum Sultanum *Maſudum*, quia magna affectus eſt clade. XI. Sultanum *Sangharum*, fil. Melicſchiahi, & *Chovvararmum ſchah*, qui feliciter contra Sangharum pugnavit. X. *Seiphoddinum*, *Olbarſalanum* & *Chaſabaum*, duos Sultani Mahmudi filios. Hi, quod metuerent *Seiphoddini* inſidias, bello eũ ſunt adorti. XI. *Muhammedem Schahum* & *Chozbachum*. Vide ſup. 209. XII. Sultan *Soleimanem Schah*, fratres ejus, & patruum, quos ut oppugnaret, Chaliſæ opem imploravit. XIII. *Melicſhiahum* & *Muhammedem Schah*. XIV. *Mauzolitas* & *Zelacheddinũ*; qui illos perjurii & fædifragii reos debellavit.

VII. Fuit *bellum ſacrum*, crebris [*a*] Paparum decretis, minis [*b*] promiſſionibus, aliorumque conſilio, [*c*] ſuaſionibus & [*d*] auxilio imperatum; exactionibus

nibus [e] variis, & [f] ſatisfactionibus Papiſticis ſuſtentatum, prima ſeculi hujus parte feliciter ſatis geſtum; poſtea vero creſcente inter [g] Chriſtianos livore, invidia [h] deſidia, [i] impietate; Græcorum [k] averſo à Latinis animo; Saracenorum ſub *Zelacheddino*, ſeu Saladino, fortitudine, facilitate, [l] humanitate, atque [m] modeſtia claro, viribus Chriſtiani paulatim amittunt, quæ tanto Europæorum ſanguine conſtiterunt, ipſis etiam [n] Hieroſolymis Imperio & [o] religioni Muſelmannorum (niſi [p] quibus commorandi facultas conceſſa fuit à Saladino) reſtitutis.

[a] Vix quicquam majori cura amplexi videntur Papæ, quàm terræ ſanctæ reſtitutionem. Unde pro ea recuperanda tot ferè hujus ſeculi ſynodi, & decreta, quot Papæ I. Sub *Calixto II.* a. Ch. 1119. *Plat. Crantz. Geneb.* II. Sub *Eugenio III.* in Conc. Vizeliaci in Burgundia a. Ch. 1145. habito. *Sigon.* a. Ch. 1145. *Plat. Geneb.* III. Sub *Lucio III.* Veronenſe Concilium eandem ob cauſam an. Chr. 1185. fuit indictum. *Bar. Plat.* IV. Concilium Pariſienſe an. Ch. 1187. celebratum pro expeditione contra Turcas. Idem Clementis fuit ſtudium, *Matth. Par.* p. 140. *Bar.* an. Chr. 1188. S. 1. *Alexandri III. Bar.* an. Ch. 1180. S. 16.

Digitized by Google

Gregorii III. Bar. a. Chr. 1187. Ipſorum etiam Cardinalium, ut habet, *Id.* S. 19. & *Cæleſtini III. Bar.* an. Ch. 1195. S. 7.

[*b*] Quo maximè pertinent Indulgentiæ, de quibus ſup. p. 187. eſt actum.

[*c*] Præ aliis hic multum potuit Bernhardi authoritas, cui in mandatis datum eſt, à Pontifice, ut cruciatam militiam commendaret Imperatori, Regibus & Principibus, quod & ſtrenuè fecit. Vide *Plat.* in Luc. *Fel. Fab.* Hiſt. Suev. p. 99. *Matth. Par.* p. 78. *Sig.* Reg. Ital. p. 279. *Bar.* an. Ch. 1146. S. 11. 12. *Calv.* an. eod. Idem cecinit claſſicum *Fulco* quidam, *Vrſperg.* p. 309. Vocatur hoc bellum, III. Sacrum. *Geneb.*

[*d*] Multum hoc conferebant I. *Germani* a. ſub Conrado Imperatore *Matth. Par. Fel. Fab*, loc. cit. *Naucl.* Gen. 39. p. 185. *Avent.* lib. 6. p. 631. *Vrſperg.* p. 303. b. Sub Friderico, *Par.* d. 140. *Avent.* lib. 7. p. 656. *Nicet. Choniat.* p. 203. & deinc. II. *Galli*, ſub Ludovico, *Fab. Ib.* III. *Hiſpani*, ſub Alfonſo, *Ib.* IV. *Angli* ſub Henrico, *Fab.* & Richardo, *Matth. Par.* p. 156. *Nicet.* p. 206. regibus. Pleroſque autem Bernhardus præconio ſuo ad hanc militiam pellexit. V. *Flandri & Lotharingi*, qui an. Ch. 1147. auxilio Alphonſi Vliſſiponem Saracenis erupuerunt; *Mey. Calv. Sig.* Plura vide ſup. pag. 216. Danica, morte Regis impeditur, *Bar.* 1189.

[*e*] Cùm Ludovicus electionem Aimerici Archiepiſcopi Bituricenſis nollet habere ratã, à Papa

Papa excommunicatur, ita ut celebratio divinorum per triennium fuerit ſuſpenſa. *Tandem*, inquit *Matth. Par.* 77. *Bernhardo Abbate Clarevallenſi perſuadere ad hoc eſt regis inclinatum, ut Archiepiſcopum reciperet & pro transgreſſione perjurii Hieroſolymam ſe promitteret profecturum. Igitur per totam Galliam fit exactio generalis, nec genus vel ordo aut dignitas quempiam excuſavit, quin auxilium Regi conferrat: unde factum eſt*, ut ejus peregrinatio multis imprecationibus perſequeretur. Et p. 150. *Eodem tempore decima pars rerum mobilium generalis conceſſa per Angliam (ut collecta ad ſubventionem terræ ſanctæ impenderetur) tàm clarum quàm populum* exactione violenta perterruit, *quæ ſub eleemoſynæ titulo vitium rapacitatis incluſit.* Vocat *Matth.* Paris hanc exactionem *gravamen, quod Anglia tunc pertulerit.* Querelam *Pet. Bleſ.* habes apud *Bar.* an Ch. 1188. S. 12. Sic, ſub finem ſeculi hujus ſcribit *Geneb.* *à Philippo Rege Pariſiis coactum fuiſſe Concilium, in quo Regi decimæ conceſſæ ſint contra* Salatinum, *à quo etiam* Saladinæ *dictæ ſunt.* Confer *Bar.* an. Ch. 1188. S. 4. 7. 8.

[f] Vide ſup. p. 167. Confer *Chron. Urſperg.* p. 176.

[g] *Matth. Par.* p.142. *Acceſſit his diebus ad terræ Sanctæ magnum impedimentum, quæ nuper & poſt ſuſceptam crucem inter Regem Francorum & Comitem Pictavienſem* Ri-*chardum ex una parte, &* Henricum *Regem* Anglorum *ſurrexit ex altera, adeo quidem ut mutua ad invicem caſtella ſurriperent, & multa mala in homicidiis & ſpoliis perpetrarent.* Repete quæ de Guidone ſupra dicta ſunt & Raimundo; diſſidio Carrhæ & Damaſci inter Chriſtianos Principes excitato. Confer p.161. Ib. De diſſenſu inter Balduinum & Patriarcham Hieroſolymitanum: conſulatur *Bar.* an. Chr. 1100. S.30. Adde *Naucl.* Gen.40. p.201.

[h] Vide Epiſt. Filii Marchionis ad Cantuar. Archiep. ſcriptam ſup. p.15.

[i] *Faſcic. temp.* p.78.b. Hieruſalem *iterum permittente Deo capitur à* Saracenis, *& glorioſum ſepulchrum cum Sancta cruce*, propter peccata Chriſtianorum, *& præcipuè luxuria & crapulæ. Nam rarus erat in* Monaſteriis, *rariorque in ſeculo, quem non morbus luxuriæ interfeciſſet. Et quòd tota terra ſordeſcebat facinoribus, ideo proiecit Dominus populum ſuum, & c.* Alias, attritarum in Oriente virium cauſas vide *Geneb.* a.1153. *Matth. Par.* p.162.

[k] De quo ſup. pag.6. Adde 1. prohibuiſ-

ſe

ſe Conſtantinopolitanos Imperatores ſuis, caſtra Francorum ſequi. 2. Conſpirâſſe Græcos contra Latinos cum Saladino, *Bar.* an. Ch. 1187. *Sig. Matth. Par.* 3. Eosdem commeatum Latinorum gypſo infeciſſe. Vide *Buchh.* an. Ch. 1147. *Geneb. Avent.* lib. 6. p. 632. Aliaque intuliſſe damna, *Vrſp.* p 237. *Naucl.* Gen. 37. p. 167. b. & *Gen.* 39. p. 185.

[*l*] Plat. in Urbano III. *Multum certè Saladini humanitas & fides Chriſtianis obfuit. Nemo enim (adeò ſe æqualem omnibus præbebat) eius imperium aſpernabatur.* Alias ejus virtutes recenſet Sig. lib. 15. reg. Ital. p. 341.

[*m*] Cujus inſigne documentum extare voluit poſt mortem etiam. *Ferunt enim hoc funebre eius fuiſſe tropheum. Tunicam eius interiorem lancea ſuſpenſam ante funus delatum præcone clamante: Saladinum Aſiæ dominatorem ex tanto regno opibusq; nihil aliud ſecum ferre.* Plat.

[*n*] Rediit urbs Sancta in Saracenorum poteſtatem 2. Oct. fer. 6. anno Chriſti 1187. 88. verò ex quo regnum Hieroſolymorum penes Chriſtianos eſſe cæperat. *Mej. Vrſp. Naucl.* Gen. 40. p. 199.

[*o*] *Saladinus Victor* Hieroſolymam *ingreſſus cāpanas primò è turribus deiecit, mox baſilicas omnes præter Solomonis templū profanavit:*

navit. quod priusquam ingrederetur, aqua roſacea laviſſe ferunt. Plat. Calv. expreſsè addit: *Muhammedicam religionem in templo fuiſſe inſtitutam. Conſueverant enim antiquitus locum hunc* (Reſurrectionis templum) *ſecundum ſuperſtitionem ſuam venerari*, Naucl. Gen. 4. p. 199. authore Omare, fil. Alchitabi, Elm. Hiſt. Sarac. p. 28. R. *Benja. Tudel.* Itin. p. 42. à quo quidem judæo alia etiam Prophetarum loca religiosè à Muhammedanis coli obſervantur, *Abrahami* præſertim ædes, p. 60. *Ezechielis* ſepulchrum p. 79. 80. Danielis item p. 87. & *Eſra* p. 86.

[*p*] *Manſere Hieroſolymis Chriſtiani Aſiatici, Syri, Armeni, Iacobitæ, Georgiani, Græci & Neſtoriani, permittente Salatino.* Plat.

VIII. Eſt & hoc appendicis loco tenendum, quòd, etſi inter ipſos quoque Saracenos, Orientales Chriſtiani tutò vixerint, & honorati [*a*] ſæpe; Occidentalium tamen clericorum tum [*b*] vita, tum [*c*] ſuperſtitionibus graviter fuerint offenſi.

[*a*] Cujus rei luculentum extat exemplum in *Hiſt. Saracen.* p. 299. in mercatore illo Syro, nomine Tibo, ejuſq; poſteris quorum ex numero *Simeon* etiam ille fuit, Notarius primò, & Senatus bellici aſſeſſor, deinde Monachus; & *Elmacinus*

nus, Hiſtoriæ Saracenicæ author; de quibus plenius in *Bibl. noſtra Arabica.*

[*b*] Quàm ipſi quoque Papæ & Papiſtæ, in primis tradendis Chriſtianiſmi rudimentis teneant Methodum, & quòd verè Sec. VII. p. 420. occaſione Germanorum, aliarumque gentium, operâ Monachorum, converſarum monuerimus, *cautè illos agere, iis ferè contentos, quæ Chriſtianiſmum nude proponunt,* Epiſtola illa Alexandri, ad Nicodemitam illum & clàm baptizatum, Sultanum Iconii, ſcripta, apud *Matth. Par.* p. 107. teſtatur. Cur fuerit tergiverſatus, idem commemorat author p. 111. *Primates enim* (Sultani) *quia Romæ tot ſcaturiebant enormitates, dicebant: Quomodo ex uno fonte aqua dulcis & ſalſa poterit emanare? Vbi Chriſtiani fontem iuſtitiæ haurire tenerentur, inveniunt laticem toxicatum.* Vide ſup. p. 183. & *Bar.* an. Chr. 1169. S. 43. qui Epiſtolæ ſequentia ſubjecit verba: *Puto ad pravos, qui irrepſerant, mores hiſce perditiſſimis temporibus reſpicere.* Sed nec dubium, quin inſanus ille ſplendor & φαντασία, quâ ſedes Romana caligantes multorum oculos offendebat ac hebetabat, haud parum contulerit, apud Saracenos præſertim quorum Chalifæ cùm eandem quidem in utroque regimine, aut majorem etiam obtinuerent dignitatem, omnem ſæpe apparatum exte-

 riorem

cavitq; illis verbũ Dei, Deo cooperante & ſermonem confirmante ſubſequentibus ſignis: omnemque gentem illam cum Principe eorum VVenceslao convertit ad Dominum. Vide Vandal. *Crantz.* lib.7. c.17. & lib.3. c.28. Saxon. lib.3. c.44. *Vrſperg.* Chron. p.269. 270. *Geneb.* p. 593. 597. *Naucl.* Gen.38. p.179. b. *Bar.* a. Ch. 1124. S.1. *Calviſ.* an. Chriſt. 1127. Anno verò 1119. ex Chron. Polon. ſcribit: *Poleslaum Poloniæ Principem tandem totam Pomeraniam ſibi ſubieciſſe, incolasq; ad ſuſcipiendam Chriſtianam religionem adegiſſe, quam antea bis ſuſceperant, bis abiecerant.*

[b] *Livonia,* cujus Metropolis eſt Riga, à vicinis debellata Chriſtũ agnoſcere cœpit; *Buchh.* an. Ch. 1186. Primus eorum Epiſcopus ab Archiepiſcopo Bremenſi conſtitutus erat Meinardus, Sacerdos, & Sigebergenſis Canonicus, *Bar.* an. Chr. 1186. S.20. qui cum mercatoribus Lubecâ adiit Livoniam, ibidemq; caſam extruxit, in qua manſit cum famulo, linguam gentis perdiſcens, ubi divina religione quos potuit inſtruxit. Et quia à Lituanis fiebant incurſiones, Chriſtiani præſidium firmaverunt in loco, quem hodie vocant Kerchholm, &c. Vide *Krantz.* Vandal. l.6. c.6. & Sax. lib.7. c.13. Cobbe Princeps inter primos Chriſto dedit nomen *Geneb.* p.610. Prima Evangelii ſemina per mercatores Lubecenſes

cenſes & Bremenſes refert *Chyt.* ad an. Chriſt. 1170.

[*c*] Occiduorum nempe, quorum Apoſtolus fuit VVicelinus, qui cùm annis fere 30. apud VVandalos Evangelium prædicâſſet, obiit a. Ch. 1154. Vide *Helmol.* c. 79. *Crantz.* Vand. l. 3. c. 32. & lib. 4. c. 18.

[*d*] *Helmold*, c. 13. *Anno Domini* 1168. *fundatum eſt opus novæ planationis in terra Rugianorum, & ædificatæ ſunt Eccleſiæ & præſentia Sacerdotum illuſtratæ, ſervieruntq́; Regi Danorum ſub tributo*; *Crantz.* *Sax. lib.* 15. & 16. *Rugiani Slavorum gens ab Erico Danorum Rege vincuntur & Chriſto lucrifiunt.* *Calviſ* ex *Aquicinct.* monet, per VVoldemarum Danum, eos fuiſſe victos.

[*e*] *Faſcic. temp.* p. 776. Norvvega, quæ eſt inferior regio Alemaniæ convertitur ad fidem, ubi primum prædicavit Adrianus legatus, & Cardinalis Albanenſis, & poſtea Papa. Vide *Bala.* Cent. 2. *Geneb.* an. Chr. 1154. *Plat. Stell. Onuph.* in Ad. IV. qui Suetiam addit.

[*f*] Finlandi ab Erico Suecorum Rege cruento prælio ſuperati Chriſtum agnoſcunt; *Ioh. Mag. Goth.* lib. 19. c. 3. *Geneb.* an. 1168. *Calviſ.*

[*g*] Tum *gentilium*, ut Magni Gothorum Regis, qui fidem Chriſtianam amplexus dicitur an. Ch. 1130. *Ola. Mag.* lib. 2. de Gent. Sept. c. 7. tum *hæreticorum*, Manichæorum, præſertim illorum,

rum, qui Pauliciani dicebantur, quorum multos Alexius ad fidem Catholicam reduxit. Zon. t.3.

[*b*] Unde *Bal.* de Ad. IV. Cent. 2. pag.178. *Ab Eugenio tertio ad Norvvegios hic olim fuerat miſſus, ut* R*omanam religionem, omni Diabolicarum ſuperſtitionum genere refertam eos doceret.* Nec aliud vult inſtitutio illa tradita ab Ottone Pomeranis, quam exſcripſit *Bar.* an. Ch.1124. S.5.

[*i*] Ipſo fatente *Baron.* loco citato. Hinc tamen & veram Eccleſiam ſua habuiſſe incrementa, dubitandum non eſt. Nunquam, ſingulari Dei gratia, ductuque Spiritus Sancti, defuerunt, qui pretioſum à vili ſeparârunt, juxta illud *Ierem.* 15. Confert quæ dicta ſunt Sec. VIII. p.420.

SECTIO IV.

De

JUDAISMO.

I. Eſt Hiſtoria ſeculi huius Judaica ita luculenta & fuſa, ut ſingula pertractare compendioſi inſtituti noſtri ratio non permittat. Miſſis igitur, quæ vel ſuperflua videri poſſent, vel lectori tædio-

dioſa, ad ea properabimus, quæ ad
pum noſtrum faciunt & uſum.

II. Inquirimus autem in ſtatum
dæorum 1. *Politicum*. 2. *Eccleſiaſtic*
3. *Academicum*.

III. *Politicus* Judæorum ſtatus
fuit, qualem ſcelerata illa χυελοκ-
merebatur caterva, infelix & miſer.
jugum enim ubique, [a] Regibus p
amiſſis. redacti, inter Muhammeda
pariter atq; Chriſtianos; toto quin
orbe diſperſi, vivebat, aut, ubi intol
biles eſſe cæperũt, exilio, [b] aliisq; n
ſuppliciis multabantur. *Nugæ* igi
ſunt & ſuaviludia Rabbinica, quæ
αὐτονομία adhuc ſeculo hoc Judæis h
inde cõceſſa pertinaces quidam [c] V
puli, ne ſceptrum Judæ ablatum fa
cogantur, ſpargunt ac garriunt. Pr
tamen & precio [d] non nullas Judæ
Chriſtianis & Muſelmannis obtinu
dignitates, ultro largimur.

[a] Id quod ipſi Judæorum Doctores ſe
huius primarii larga nobis manu conced
Unde illud *Kimchii* in Hoſ. c. 3. 4. *Dies multos*
nebunt filii Iſraelis absq; Rege & absque Principe.

inq

quit, *ſunt dies exilii in quo hodie ſumus, nec Regem nec Principem ex Iſraele habemus, ſed in poteſtate gentilium ſumus, & in poteſtate regum ipſorum.* Vide præf. *Conſtant. Demp.* in Benj. itin. Unde opus fuit Iſraelitarum, in exilio hinc inde palantium confirmare corda, *Iuch.* p. 130. b.

[*b*] Graves aliquot ab ipſis Judæis recenſentur contra ſe excitatæ perſecutionem contra paſtores motam fuiſſe graviorem, quàm unquam antea, adeò ut 120. cœtus Iſraelitarum funditus fuerint everſi, ſcribit *Zem. Dav.* p. 55. a. ex *Schebeth Iehudah* p. 4. A. 1170. multa Iſraelitis obtigerunt mala; *Id.* p. 55, b. & p. 56. Expulſio magna fuit in Gallia Judæorum, qui auro ſuo ſpoliabantur & argento. A. Ch. 1198. Conceſſit qnidem Philippus Rex Judæis habitare Pariſiis, renitente tamen populo mox iterum ſolum vertere fuerunt coacti. *Id.* Sed nec mitius tractatos fuiſſe Judæos in regno Leon, teſtatur author lib. *Iuch.* p. 132. & ex eo R *Gedal. Schaſch.* pag, 50. b. Anglicæ perſecutionis ex *R. Ioſepho* meminit *Genebr.* an. Chr. 1190. Strages iſtas & exilia Judæorum plenius pandunt annales Chriſtianorum. Vide *Matt. Par.* in Richar. I. pag. 148. de clade Judæis Londini, totaque Anglia illata. Et an. Chr. 1190. *Multi per Angliam Hieroſolymam properantes prius in Iudæos inſurgere decreverunt.*

Id.

id. De Judæis Nordovico, quòd puerum
in Chriſti contumeliam, tradiderint ex
videatur *Bal.* Cent. p. 200. Eboraci etian
Chriſtianorum, ſuos alios interiiſſe mar
notat *Matth. Par.* p.151. & ex Rogerio *Ca*
Ch. 1190. quæ tamen nec *Par.* probat, nec
hardus, nec *Petrus Cluniacenſis* Abbas, vide
Ch.1146. S.17.19. Ita in Gallia à Ch 118
14. Febr. fer.2. quia dicebantur ſingulis
Chriſtianum circa Paſcha jugulare (qu
crebrò impactum crimen diluere conatur
bar. Comment. in Proph. p.202. c.4. &
ſeph apud *Geneb.* p.616.) capiuntur, & omn
ſpoliantur. An. Ch.1182. Philippus Rex
menſe Aprili proponit edictum; quo jub
tur Judæi, qui divitias ferè omnes totius
uſuris ad ſe derivârunt; & Chriſtianorum
rum in Chriſti ludibrium cruci affixerunt,
an.Ch. 1180. ante feſtum Johannis Baptiſt
lia exularent, mobilia interim venderent
mobilia verò regi relinquerent, niſi vellent
ſtiani fieri, qua neceſſitate illi coacti, quida
ligionem Chriſtianam recipiunt, quidam
exceſſerunt menſe Julio. Vide plura apu
neb. an. Chr.1177. 1190. & deinc. *Gaulth.*
Chronog. an.1177. *Naucl.* Gener. 40 p.1
& p.205.b. de expulſis aliquoties & ejectis
Gallia Judæis, non mox revocatis. Sed
Germania Judæos ſanguinis innocenter fu
cuſatos, graves dediſſe pœnas, iidem con
mo

morant authores. Poſt obitum R. *Ioſephi* Levitæ (a.Ch.1141.) decem graves inſtitutas fuiſſe perſecutiones ad abolendum ex toto orbe nomen Judaicum, conqueritur *R.Zacut.* p.129.a. Iſmaelitas etiam, Hiſpaniæ incolas, internecioni jam Judæos inter ſe diſperſos devoviſſe fatetur *author idem*, p.129.b. Sed interceſſit mox Alfonſus, qui, victis Saracenis, Judæorum patrociniũ ſuſcepit. Summâ, ubique in eos fuit ſævitum, à plebe præſertim Chriſtiana, quæ nullis reprimi poterat legum frænis, quin in obvios ubique involaret Judæos, quem tamen Zelum ipſi horum temporum Doctores minimè probârunt. Græcis omnes Judæos inviſos eſſe experientia edoctus teſtatur R. *Benj.* p.28.

[c] Hanc ſuis laudem quæſivit R. *Benjamin Tudelenſis*, cuius itinerarium τύφῳ Judaico planè turget. Hoc unum agit, ut imperitioribus fucum faciat, & oſtendat, omnia Majeſtatis Judaicæ in obſcuris quibuſdam & incognitis mundi angulis, eſſe plena. Sic I. in montibus Niſabur ait, *Iudæos, qui nec Regem, nec Principem ullum è Gentilibus præfectum habeant, ſed Iudæum*, p.101. II. In India, ſcribit, loca montana incoli ab Iſraelitis, qui nulli gentium jugo ſint ſubditi, pag.112. confer cenſuram *L' Emp.* p.217. III. Rechabitis ſedecim dierum ſpatium, magnis munitum urbibus tribuit, p.82. Commentum hoc portentoſum profligavit, *L' Emper.*

Q Not.

Not. 200. IV. Potentiam tribuum Rub
Gadis, & dimidiæ Menaſſis, exaggerat,
temque Iſraelitarum in ſola urbe Cebar
rum idem jactat nugivendulus p. 85. V.
quias primæ captivitatis ſub Salmanaſſ
Media magno numero habes pag. 90.
dem exilii poſteros commemorat pag.
tribu Danis, Zebulonis, Aſcheris & Nep
Sed fumos vendere, & mucronibus p
plumbeis vilem, Judæorum manipulum
ubique ſervitutis jugo preſſum, luculer
ſtendit Nobiliſſimus Batavorum Theol
Conſt. L' Emp. doctiſſimis in authorem
præſertim à p. 202. & deinc.

[*d*] Quæ tamen non ejusdem ſunt g
I. Æchmalotarchas eos ſuos habuiſſe, F
res item Academiarum, & Ordinis proc
res, qui ſine poteſtate erant, id operam c
ut ordine omnia fierent, *L' Emper.* p. 190.
dubitandum. Quæ verò de ſplendore co
magna pompa tradit *Benj.* p. 72. 74. & *lib.*
122. authoribus illa ſuis relinquimus. II
ces etiam, aliqua cum eorum, ſub quibus
bant, venia, Judæos elegiſſe, dari poteſt
ut decidendis præeſſent cauſis capitalibu
ritibus ſuis cognoſcendis & ceremoniis. H
men munus, ut ne abjectum fuiſſe videat
Rabbinorum ſcriptis magnificè extollitur
Iuch. p. 128. b. III. Sed & hoc dare poſſun
ipſis quoq; Chriſtianorũ & Muhammedar

aulis, Medicaſtris, aliisve inter Judæos vel erronibus, vel aſſentatoribus locum fuiſſe. Plura tamen & majora hîc crepant, quàm cōceſſiſſe expediat. Regem Alphonſum domui ſuæ præfeciſſe R. Jehudam, magnum gentis principem commemorat *lib Iuch*.p.150.a. Eandem à Mutamedo dignitatē collatam eſſe *R.Iſaaco* Cordubenſi, recenſetur *Ib*.p.128. Medici præſertim in Imperatorum Chriſtianorum & Saracenorum aulas ingeſſiſſe ſe dicuntur. R. Solomonem ad ſummos evectū honores fuiſſe ab Emanuele Conſtant. Imperat. ſcribit *R.Benjam*.p.28. De Majmonidis apud Zelacheddinum authoritate, conſulatur præfat. Cl. *Buxt*. in More Nevoch. & *Anal*. noſtr. p.300. Papam Alexandrum ex judæis ſuos habuiſſe miniſtros ſcribit *R.Benj*.p.10. Quibus Bagdadi inter Muſelmannos judæi fruantur privilegiis, habet *id*.p.70.72. Chalifas etiam Judæorum miniſterio uti, tradit p.64. De R.*Samuele Levita*, Pharmacopola primum; deinde, ob ſingularem prudentiā in ſecretius Regis Habuſi admiſſo conſiliū, prolixe agit *lib.Iuch*.p.127.a. vide & *ſup.Sec.XI*.p.511.

IV. Sed & clamoſi ſunt ſtentores, ubi ad natales deventum eſt. Ex Regum, Principum, Davidis etiam, prodiiſſe ſe lumbis jactant, qui vix Mediaſtini, aut obſcuriſſimis nati parentibus, pridem genealogiarum ſuarum jacturam fecerunt. *R. Iſaac*, Cordubenſis, ex Nobilibus Jehudæ, qui tempore Hieroſolymorum à Tito expugnatorum, in Europæas colonias profecti ſunt, ori-

undus refertur, *Iuch.* pag. 128. a. Alios rec
quos inter celebris R. *Iuda*, idem p. 130. a.

IV. Accedimus *ad religionem*, in
obſervare licet [*a*], 1. Pertinaciter in
multos perſtitiſſe; alios de novo [
nomina dediſſe. 2. Varias [*c*] inter eo
ctas fuiſſe & Schiſmata. 3. Certan
[*d*] & graves conflictus Rabbaniſta
cum Karraitis. 4. Agyrtas nonnu
Magos & peſſimos [*e*] nebulones,
ſub Meſſiæ nomine miſeram gen
turpiter eludebant, miraculis etiam
fictis, & faſcinis, ſummæ impietatis
ritas pœnas luiſſe. 5. Non paucos, i
judæos, viros [*f*] celebres, & doctos
giſtros, Judaiſmo valere juſſu, Chr
anis acceſſiſſe, ſolidisque rationibus
terem errorem, refutâſſe.

[*a*] Iactant enim Judæi I. Multa Pſeudom
tyria, quæ *Kiddufch* vel *Keduſchat haſchem* ſanc
cationem Nominis, id eſt, Dei, vulgo appell
Ita Toleti, occubuiſſe, ſeu, ut eſt p. 131. b. ſe ip
propter unitatem nominis Dei ſanctificaſſe
bitur R. *Abrahamus*, fil. Dior. *Iuch.* 130. b. II. A
neque minis, neque promiſſis à Judaica ſupe
tione dimoveri potuiſſe. Exemplum ſuppec
Itin. *Benj.* p. 104. in R. Moſe à Perſarum Reg
Islamiſmum ſolicitato. [*b*]

[b] Huc Judæi referunt Cozarem, ſeu Coſroem Regem Perſarum, Schalſch. p.40.& gentem, Coſroeam dictam, *Iuch.* p.129.b.

[c] Supererant enim hinc inde I. *Samaritani*. Ducenti habitabant Gadi Philiſtæorū, *Itin.Benj.* p.37. Askalonæ fermè trecenti, Id.p.52. Damaſci quadringenti p.57. II. *Karraitæ*, ſeu Scripturarii, qui & ipſi ſuas adhuc habebant Synagogas Damaſci, Ib. Askalonæ, p.52. Conſtantinopoli, p.28. in ipſa Hiſpania, qui Rabbaniſtis multum faceſſiſſe negotii videntur, usque dum tandem authoritate *R. Iehudæ*, Principis ſilentium iis in toto regno Caſtiliæ per Alfonſum Regem fuit imperatum; *Iuch.* 130. a. III. *Rabbaniſtæ* (Karraitis oppoſiti; vide *Theſ. Phil.* p. 40) niſi quoque conſtitutionibus quibusdam differentes, in Babylonicos diſtinguebantur & Syros, *Itin. Benj.* p.114. *Theſ. Phil.* p.19.

[d] Acre fuit ſeculo hoc inter Karraitas & Rabbaniſtas certamen. Scripſerat pro illorum dogmatibus librum *Abulphargus* in terra ſancta, quem deinceps in Hiſpaniam, quidam *Taraſi* filius, delatum, Rabbaniſtarum controverſiis & ἀπεράντοις μύθοις Talmudiſtarum oppoſuit. Marito mortuo, vidua ab aſſeclis ſucceſſionem obtinet, à cuius mox ore dependebant, quotquot Karraitarum ſacris; ſi quæ apud gentem penè profanam ſint; erant initiati. Atque ſic magnas indies vires acquirebant in Hiſpania Karraitæ, ut dictum eſt. Rationes, quibus Rabbaniſtæ

cauſam ſuam egerunt, deſumi poſſunt ex li.
p. 129. b. & Geneb. Chronol. an. Ch. 1130.
bus addit, hanc ſe periocham libri *Abra*
paucis complecti voluiſſe, ut Centuriatore
deant, ſi communibus omnium populorum
tionibus, axiomatibus, argumentis niten
ſit, ad diſcernendā puriorem religionem à
ria, ſe ab eiis eſſe damnandos. Sed non
bone, per latus noſtrum corculum te læde
tius Papatus? Si communibus populorum
dæorum præſertim, axiomatibus ſtandum
notionibus, cur non aras demolimini, ſt
confringitis, invocationem ſanctorum, a
tis, quæ feſtuca ſunt in oculis omnium pe
pulorum? Quid ſi ergò telum hoc retor
mus? Cur enim, quæ iisdem ſuperbiun
mis, eædem non ſunt aves? Habeat, ſi p
non cum Judæis tantùm, ſed &, quod in
Orient. fuſius exhibuimus, cum Turcis e
communes Eccleſiæ notas, quid hoc ad
ſtianos, ſanctum illud, & non ἀργυρώνητον
ſti peculium? Et certè, contemptam Ju
rum catervam non minora ſibi hoc etiam
vendicâſſe, quàm Papiſtæ ſolent, ubi Ec
ſuæ colorem quærunt, jam jam expend
Et *primò* quidem *nomen Eccleſiæ*, vel Syn
ſanctæ, adeò ſibi eripi non patiuntur, ut
ſub cælo, ſoli ſint incolæ, qui hoc ſibi n
plura gratulentur. Vide præfat. Clariſſ. B
S

Synag. Jud. II. *Antiquitatem* ad ravim usq; inculcant, eamque novis Ananis (de quo ſup. ſec. 8.) & Saulis, filii, Karraitarum conatibus opponunt; *Iuch*. p. 129. b. III. *Durationem* etiam diuturnam, nec interruptam ſuam eſſe volunt: quæ quidem negari ipſis difficulter poteſt. IV. *Amplitudine* & multitudine credentium author lib. *Iuch*. pag. 129. b. Karraitas confundere prorſus nititur. Oſtendit enim, vix eſſe in mundo angulum, in quo aliqui ſaltem Judæi ſedem non habeant; Neminem autem ex iis reperiri qui cum lege ſcripta, oralem etiam pari pietatis affectu non amplectatur. Karraitas verò pauciſſimos reperiri in Palæſtina, Ægypto, regno Caſtiliæ, & urbe quadam Africæ. V. *Succeſſionem* idem in prima contra Karæos collocat acie. *Decem ſunt*, inquit, *generationes à Prophetis* Haggæo, *Zacharia*, & Malachia *ad R. Iohanna, fil. Zachai: quinque ætates Tannaorum: Septem* Amoraeorum. *Ecce 22. ætates ad finem Amoraeorum! Sebo. ræorum ætates ſunt quinque: Octo Geonaorũ; tres* Rabbinorum; *generatio Raf. Niſſim R.* Hananael, & R. *Schemuel, & generatio quinq; Rabbinorum, qui Iſaaci omnes vocabantur, & generatio R. Ioſephi Levitæ, Raf Baruch barraf Iſaac, quibus* 14. *continentur ætates ab abſoluto Talmud ad obitum usq; Raf Ioſephi Levitæ*. Atque hanc ſucceſſionem Karraitis

penitus author adjudicat. VI. Neque ver
ctitatem Judæi ſuis deeſſe putant, ſed eleei
nas erogâſſe ſufficiat & durè corpus trac
Hinc *ſanctos* appellat lib. *Iuch.* 130. b. celebr
quot, & ex ſcriptis notos, Judæorum Mag
Idem, *timorem Dei, & curam pro viduis* ver
ſuis tribuit p. 127. b. 128. *Haſidæorũ* i. e. ὁσίων co
mentum alii obtinent, *Schal.* p. 54. a. Cæ
ſuorum nunquam facilè meminerunt niſi
to Epitheto *Sancti*, vide Itin. *Benj.* p. 5. *Iden*
mentionem facit, *cuiusdam R. Aſcher, q*
votus & ſeparatus à negotiis mundanis
legis inhæreat interdiu noctuque, atq; ſe i
affligens carne non veſcatur. De Judæis,
næ (ſic Arabia vocatur Felix (incolis ſcribi
p. 83. *quòd omnium bonorum decimas larg*
tur ſapientiæ ſtudioſis, Iſraelitis pauperib
devotis, quòd Zionem lugeant & Hieroſol
(nam & ejusmodi multos fuiſſe, ex Itin. *Be*
hinc inde facile colligitur: vide p. 46.) *quòd*
carnẽ edant, nec vinũ bibant, quodq; in at
ſpeluncis vivant aut caſulis, &c. Recha
eos eſſe contendit. VII. In *miraculis* etiam
ditandis gloriabundi ſunt. VIdeamus aliqu
Romæ in Baſilica S. Stephani duas ajunt eſſ
lumnas æneas Solomonis Regis, ex quibus
gulis annis 9. die julii ſudor, aquæ inſtar, ma
Itin. Benj. 13. Sic ab aditu ſepulchri Davidis,

Digitized by Google

que familiæ, miraculosè, perrumpere volentes, arceri monet *id.* p.46. De variis, propter Danielis ſepulchrum, miraculis coruſcum, apud Perſas diſſidiis, loquitur *id.* p.86.87. In *Schalſch.* p. 54. de *R. Iehudah* commemoratur, quòd Synagogam aditurum curſus preſſerit: miraculosè autem eveniſſe, ut paries faucibus quaſi diſtentis eum deglutiverit. Extare huius rei geſtæ memoriam, & in parietis ruderibus, & in Synagoga. De *R. Solomone*, fil. Gabirol, refert *R. Gedal.* p.39.b. Tanta eum polluiſſe ſapientia, ut propterea œſtro invidiæ quidam percitus, vita eum privârit. Accediſſe autem, ut cùm ſicarius defuncti cadaver probè ficum humaret, arbor, ſolito citiùs maturis turgida frugibus, in admirationem multos, Regem etiam ipſum rapuerit. Cauſam, patratæ cædis authorem rogatum, dare, tergiverſatum quidē aliquandiu fuiſſe, ſed cùm fidiculas Rex eſſet minatus, niſi confeſſione ſpontali cruciatum anteverteret, ingenuè edixiſſe, hanc ſe maturitatem præcocem acceptam ferre humanitati, quæ ex occiſi, & prope ficum ſepulti, Judæi deſtilllaret cadavere. Unde & in crucē actus dicitur. Ejusdem commatis ſunt, quæ de *Majmonide* tradunt Magiſtri. Ajunt, mortuo illi in Ægypto, deſtinatum fuiſſe Cœmiterium Tiberienſe. Funeris autem comites latronum inopinato territos adventu, fuga ſe ſalvâſſe. Prædones interim magno numero (triginta enim, aut plures fuiſſe annales tradunt judæorum) fe-

retrum adortos, in mare illud præcipitare conſtituiſſe. Sed cùm viderent, ne latum quidem unguem capulum loco moveri poſſe, in ſe deſcendentes animadvertiſſe, virum hunc eſſe ſanctũ, Judæiſ proinde non modò copiam feciſſe ſepeliendi defuncti ubicunque vellent, ſed & ipſos etiam funus fuiſſe ſecutos. Vide lib. *Schalſ.* pag. 44.c. *Iuch.* p.131 b. Sed & *R. Iſaacum*, Cordubenſem, miraculosè tempore *Schemed*, ſeu perſecutionis fuiſſe ſervatum, refert *id.* p.127.a. Cùm nepos *Majmonidis*, R. David in ſpelunca ſepulchri Hillelis & Schammai oraret, aquæ repente ebullierunt: Cumq; anathemate feriiſſet obtrectatores, uno die, poſt ictum telum, in Ægypto 500. eorum obierunt, *Schalſ.* p.46.a. *Iuch.* 132. Huc pertinent varia hujus ſeculi *oracula*, quæ *bath Kol*, filiã vocis, illi appellant. Oraculo *Solomonis Iarchii* nativitatem prænunciatam vult auth. *Schalſch.* p. 49.a. *Viſionibus* ſuam quoque ſuperſtitionem variis commentare volebant. Secundùm quietem *R. Majmon*, Moſis Majmonidis pater, non tantùm de ducenda uxore monetur, ſed & vivis ei, qualis futura ſit, depingitur coloribus, *Schalſ.* p. 45 b. Litẽ de ligatura Tephillin ad Metatron primò devolutam, tandem per Moſem definitam deſcribit *Id.* p.52.a.b. *R. Abrahamo*, fil. Davidis Eliam Prophetam apparuiſſe, ajt *id.* p.53.a. *lib. Iuch.* 132.a. & *Schalſ.* p 50.a. quod tamen de *R. Abrahamo*, bar Rabbi Iſaaci, qui ad hoc pertinet ſeculũ (alter enim demum poſtea vixit) *Schem tof* intelligi

ligi vult. VIII. *Lumen* etiam *Propheticum* cæci illi cæcorum duces ſibi arrogant. *R. Solomonem* Jarchium Gotofrido expeditionis Hieroſolymitanæ eventum prædixiſſe, habes in *Schalſch.* pag. 49. a. *R. Eſajam*, moriturum, hæredem ſuæ ſapientiæ nepotem ex filia fore, vaticino quaſi ſpiritu, edixiſſe narratur *ib.* p. 51. b. Hæc ἐν παρόδῳ.

[e] Talis eſt *David Eldavid*, de quo *Zem. David* pag. 52. *David Eldavid ſe ipſum fecit* Meſ*ſiam elata manu contra* Regem *Perſarum. Multa Judæis miracula fecit & portenta, Regi etiam Perſarum. Tandem plexus eſt capite, Judæi verò ſumma centum talentorum auri multati.* Scripſit hiſtoriam plenius *Schebh. Jehud.* pag. 22. Itin. *Benjam.* p. 91. & deinc. qui eum *David Alroi* vocat. *R. Majam.* Epiſtolâ ad Maſſil. ſcribit, non pro Meſſia hunc errorem haberi voluiſſe, ſed pro ejus tantùm præcurſore. Vide *Schalſch.* p. 44. b. Magno idem author hac occaſione numero eos recenſet, qui, ut collapſæ penitus & in pulverem penè redactæ Judæorũ Reipublicæ vel opem ferrent, vel reſtitutionis ſpem facerent, Meſſiæ ſibi honorem ſumſerunt. Quàm verò modis multis experti ſint tenebriones iſti, ἔκδικον χριστοῦ ὄμμα, idem ille prolixè teſtatur. Conjecturas inſuper vanas & varias de Meſſiæ adventu à Rabbinis, ſpe ſua toties dejectis, confictas, ſtudioſè coacervat, quarum alias convellit, alias ſtabilit.

[f] Sa-

[f] *Samuel* Judæus, abdicato Judaiſmo, Chriſtum amplectitur, an.Ch.1200.& contra Judæos de vana Meſſiæ expectatione ſubtiliter diſputat. *Genebr*. Samuelis liber extat publicè. *Petrus Alphonſus* Medicus, Alphonſi, Regis Hiſpaniarum Medicus, anno ætatis 44. ab ipſo Rege de ſacro baptiſmo ſuſcipitur an.Ch.1106.*Faſc*.tem. *Catal. Teſt. Verit*. lib.14. p.464. Scribit etiam cont.Judæos Gilbert. VVeſtmonaſterienſis, *Bal*. p.173.

V. Sed & in [a] *Academico*, ſtatu obſervamus hoc ſeculo viciſſitudines non contemnendas. 1. Geonatui ſublato [b] Rabbinatus, per ætates ſuas [c] ſucceſſit, ultimus dignitatis Judaicæ apex. 2. Talmudicæ diſputationes fervidè ab aliis ſunt continuatæ, [d] additionibuſq; auctæ: alibi [e] frigentes prorſus, ſedes novas quæſiverunt. 3 Rabbini cum Saracenis & Chriſtianis, quibus cum vivebant, communia tractare cæperunt ſtudia. Unde tot hac ætate in Judæorum ſcriptis, commendantur Theologi; [f] Exegetici & [g] Polemici; [h] Talmudiſtæ, [i] Cabbaliſtæ, [k] Philoſophi, [l] Ethici, [m] Aſtronomi, [n] Poetæ, [o] Hiſtorici, [p] Lexicographi, [q] Medici, [r] Grammatici, aliique [s] ſapientiæ

entiæ & eruditionis laude clariſſimi. Linguarum etiam [t] exoticarum ſtudium à multis tanto cum ſucceſſu excolebatur, ut, quæ Arabicè ſcripta, paucis legi poterant, feliciter in linguam Hæbræam, pluribus notam, [u] tranſtulerint. Sed nec augendarum [x] Bibliothecarum deſiderium defuit. 4. *T*ot tandem inter Rabbinos ipſos [y] nata ſunt diſſidia, ut mutuis ſe crebrò diris ulti ſint & anathematiſmis.

[a] Fuiſſe adhuc aliquas inter Judæos Academias, dubium non eſt. I. *Majmonides* novum in Ægypto erexit Gymnaſium R. *Ged. Schalſch.* p.43.b. *Cum eſſet*, inquit, *in Ægypto, ſumſit ſibi diſcipulos ex Alexandria, & Damaſco, atque Collegium ſeu Scholam inſtituit magnam.* Sapientum etiam Tiberienſium, quorum cumprimis indefeſſum fuit ſtudium in cuſtodiendis, examinandis, & recenſendis ſcripturis ſacris, fit mentio in *AbenEſra*, & lib. *Schalſch.* p.41.a. Apparet etiam ex comment. *AbenEſra*, ſuo adhuc tempore Scholam Tiberienſem celebrem fuiſſe. *Schal.* Ib. Alibi tamen Academias Judaicas poſt obitum R. *Ioſephi Levita*, Talmudis & ſapientiæ ſtudium, propter varia exilia & perſecutiones, ſublas eſſe queritur R. Abrah. in *Iuch.* p.129.a.

[b] Id eſt, *ordo Rabbinorum Zem, Dav.* P.1.p.33.

Tota

Tota verò Doctorum Hebraicorum ſeries ſeu ordo talis eſt. I. Ponuntur *Prophetæ*. II. *Tanai*, ſeu Deuterotæ, vel Doctores Miſchnici, de quibus actum eſt Sec.2. III. *Amorai*, ſeu Gemariſtæ, Sec.3. & 4. IV. *Seborai*, qui de ſenſu Miſchnæ in utramque partem δοξαςικῶς diſputârunt, Sec. 5. V. *Geonai*, ſeu Excellentes Sec. 6.7.8.9.10. 11. & 12. etiam nonnulli vixerunt, quorum tamen προσωπογραφίαν curſu ſeculi XI. abſolvere placuit. VI. *Rabbini*, qui ſtudiis Philoſophicis pariter & Theologicis, Scripturæ cumprimis expoſitionibus operam dederunt.

[c] Prima ætas finitur vita *Raf. Niſſim*, *R. Chananael*, *R. Schemuel*. II. Ætas eſt quinque Rabbinorum *Iſaacorum*; *Iuch.*128. b. 129. a. III. Terminatur vita R. *Ioſephi Levitæ*; Id. ib. Omnium verò hujus ſeculi Rabbinorum nomina, vitas & res geſtas cùm exprimere non liceat, rejeciſſe Hebraicæ Hiſtoriæ ſtudioſum ſatis ſit ad *Zem. Dav.* P.1 p.53. *Iuch.* p.128. Compendium verò exactum habes p.130. b. & *Schalſch. bakk.* p.39. & deinc.

[d] Hebraicè vocantur *Toſephoth*. Sunt autem illæ duum generum; *antiquiores*, authorem habent R. *Chajam* ſeculo tertio jam florentem. *Poſteriorum* incunabula in *Solomonis Iarchij* ætatem incidunt. Vide Bibl.Rabb. *Buxt.* p.421.

[e] 1. In regno Caſtiliæ omnem penè *Toſephoth*, ſeu additionum Talmudicarum, propter per-

perſecutiones, memoriam excidiſſe, conqueritur. *R. Abrah* in Juch. 132. a. II. Talmud ex Africa migrâſſe in Hiſpaniam affirmat *Id.* pag. 129. a. paucis relictis cultoribus in Mahadia. III. De Judæis, qui cum Solicolis degunt, commemorat *R. Benj* in itr. p. 108. *quòd legem Moſis ac Prophetas habeant, ſed pauca è Talmude ac conſtitutionibus.*

[*f*] Excellunt I. R. *Solomon Iarchi*, in quem tranſiiſſe fertur anima R. Raſ. *Gedal*. p. 49. Gallus natione, patria Trecenſis. Commentatus eſt in univerſa Biblia. Magni ejus gloſſæ æſtimatæ, *Schalſch*. 48. a. inſigni encomio à Majm. ornantur, *Id.* b. Unde vulgò *Parſchandatha* ſeu *legis Interpres* vocatur. Vixit annos 75. obiit an. Chr. 1105. aut, juxta alios, ſerius. Vide *Iuch*. fol. 131. *Zem. Dav.* 54. a. *Schalſch*.. p. 49. *Abbrev. Buxt.* p. 196. *L'Emp.* Not. ad Itin. p. 149. Voluntarium hic exilium ſeptenne ſuſcepiſſe dicitur ad expianda peccata *Schal.* l. cit. II. *Aben Eſra*, qui & ipſe totum V. T. commentariis illuſtravit, *Zem. Dav* p. 55. III. R. *David Kimchius.* Atque horum ſcripta familiari φιλεβραίων manu teruntur. Sed & *Karraitas* ſua in Scripturam Sacram habuiſſe gloſſemata, lingua Arabica, monet libr. *Iuch* p. 130. a. Huc facit magna Judæorum in conſervanda Codicis ſacri integritate religio. Tiberienſiũ hujus ætatis Doctorum ſtudium commendat *Aben Eſra*. Vide *Schal.* pag. 41. a. De exacto Hil-

lelis

lelis exemplari, quod ſeculo hoc, Judæi, regno Leon extulerunt, diximus quædam *Theſ. Phil.* p.106. Nec omittenda eſt Paraphraſis Arab. in Canticum Canticorum R. *Ioſephi*. Vide lib. *Iuch.* p.131.b.

[g] Sic I. Majmonidis liber, *Doctor Perplexorum* dictus, variis Philoſophorum, Zabæorum, Antropomorphitarum deliriis eſt oppoſitus. Libro *Coſri*; Judæorum Judicio, non modò omnia religionis arcana recluduntur, ſed & Karraitarum dogmata ſæpius tanguntur. Vide *Meor En.* c.36. *Zem.Dav.*p.55.a. Author ejus eſt R. *Iuda* Levita, quamvis alii dubitent, ut ibid. habetur.

[h] Quo nomine inclaruit I. R. *Salomon Iarchi*, qui etiam in totum penè Talmud explanationes reliquit. Subſtitit in tractatu ultimo. *Buxt. Abbrev.* p.195. II. *Raſ. Alfes*, vel R. *Iſaac Alfeſi*: librum ſcripſit, quo totum Talmud compendioſè tractat, *Zem. Dav.* p.53.b. *Bibl.Rabb.Buxt.*pag. 312. III. R. *Ioſeph.* fil. Meir, cujus in aliquot habentur Maſſictot, ſeu Tractatus Talmudicos, commentaria, *Zemach.Dav.*55.a. IV. R. *Iſaac* Senior, inſignis Doctor Talmudicus; & author Additionum, *Zem. Dav.* 56.a. V. R. *Samuel* fil. Meir, *Schalſ.* 51.b. *Abbrev. Buxt.* pagin. 194. VI. *Moſe*, fil. Majm. qui non tantùm Miſchnajot commentariis explicuit; ſed & totum Talmud ſtylo clariori magiſq; perſpicuo, in *Iad. Chazaka* comprehendit. Quibus adde Judæos illos Tyrios, de quibus in *Itin. Benjam.* p.35.

[i] In quorum cenſu ſunt 1. Senex ille, de quo *Schalſch.* p.44.a. 2. R. Jacob Gikrilia, *Id.* 51.a.

[K] Tales ſunt, *Aben Eſra, Majmonides*, qui non Ariſtotelica tantum, ſed & Arabum Philoſophia penitus erant imbuti. Scripſit etiam *Maimonides* Epiſtolam R. *Schamueli* Ibn Tibbon, quo judicium ſuum de celeberrimis omnium ætatum Philoſophis promit, Methodumq; ſtudia hæc cum fructu perſequendi præſcribit. Abunazarum Avicennæ, aliiſque præfert. Vide *Schalſch. hakkab.* p.44.b. De *Aben Eſra* videatur *Bib. Buxt.* p.34.

[l] Excelluit a. Chr. 1180. R. *Samuel*, author *Sepher Chaſidim*, libri piorum & ſanctorum. Liber Ethicus eſt & Theologicus, continens præcepta bene vivendi. Vide *Zem.Dav.* p.56. a. *Schal.* pag. 54.

[m] Rabbi *Abraham*, fil. Hija, *magnus* vocatur *Aſtronomus, Zem.Dav.* p.54.a. R. *Abraham* fil. Dior librum edidit Aſtronomicum, *Id.* 56.c. Aſtronomis etiam peritioribus annumeratur *R.Sol. Iarchi, Schal.* p.49.a. *Ioſephus* item *Borhan-elfelch*, Zinaddino familiaris, *Itin.Benj.* p.62.

[n] Poetæ cluent 1 R. *Iſaacus*, Zem. Dav. P.1. p.53. 2. R. *Moſes*, Ibn-Eſra. Id. 3. R. *Ioſeph*, judex Cordubenſis, Id.54.a. Juch.128.a. 4. R. *Ioſe*, fil. Zadok, Id.128.b.

[o] Authores *Seder Olam*, *Kabba* & *Zuta* ad hæc referuntur tempora, *Schalſch.* p.39.b. *Zem. Dav.* P.1.p.54. ubi prolixè de authore diſputatur.

Vixit eodem tempore *R. Abraham, fil.* Dijor, authorlibri Kabbalæ, *Buxt. Abbrev.* p.178. *Zem. Dav.* p.55.a. Huc pertinet itinerarium, *R. Benjamini* & de quo in *Zem. Dav.* pag.55.b. quod publicè cũ verſione & notis proſtat. Multa liber iſte habet fabuloſa planè, ἀσύστατα, & incerta famæ traditione accepta, de quibus ne poſt Homerum Iliada ſcribere videar, nihil hic addam. Hoc ſaltem monebo, tradi ab authore nonnulla, quæ alibi difficulter reperias. Quas hinc inde Judæi Synagogas habuerint in Gallia, Italia, Calabria, Græcia, Arabia, Germania, Sclavonia aquæ Judæorum Canaan eſt, p.130. Pragæ præſertim recenſet ordine p.10.18.80.91.129.130. De *Scholis* commemorat, Academiam Soranam ſedem fuiſſe multorum Principum Familiæ Davidicæ, & Αρχισυναγώγων, pag.81. Studioſos, quibus res anguſta domi eſt, publicis ſumtibus ſuſtentari pag. 6. & 83. Ea cumprimis loca magnifieri, in quibus V. Teſtamenti Prophetæ vel morati, vel mortui ſunt. Ex veteris Urbis ruderibus murum ſupereſſe ſcribit pag.43. ad quem omnes Judæi preces conceptum confluant. In canali etiam vicino, ubi veteres victimas ſuas mactabant Judæi ſua nomina ſcribunt. In Babel ὑπερῷον illud Danielis antiquum iidem oratorium ſuum conſtituunt, p.76. De *R. Meir.* ubi Judæi quotidie precantur, Ezechielis item; Synagogis & ſepulchro, vide p.77.79. & pag.78. ait, hunc (poſteriorem) locum ad hunc usque diem

diem quadantenus ſanctuarium eſſe, quo è locis remotiſſimis precandi cauſa conveniant, ab initio anni, ad feſtum expiationis. De Synagoga Eſræ, & ædibus Abrahami religiosè à Judæis & Muhammedanis cultis, loquitur, p.60. De ſepulchro Patriarcharũ, p.48. & 49. ubi narrat, viſi ibidem dolia plena Iſraëlitarum oſſibus, quæ illuc, ſuperſtitione ſine dubio inſtigante, deportentur. Samuëlis ſepulchrũ Timnathæ oſtenditur, p.53. Hillelis & Schammai in quadam ſpelunca prope Maronam, Ib. Schola ſeu Synagoga Calebi, filii Jephunnæ Tiberiæ vicina, Ib.

[*p*] Prodiit enim hoc ſeculo liber *Aruch* R.*Nathanis*, Rectoris Romani. *Zem*.p.54.a. Et *Radices Kimchii*, quorum illud Talmudicum eſt Lexicon, hoc Biblicum, utrumque magnæ authoritatis.

[*q*] 1. *Majmonides*, Medicus fuit in Ægypto (quo calumniis à ſuis peritus conceſſerat *Schalſ*. 43.b.) Sultani Saladini. vide *Zem.Dav*. P.1. p.15. *Schalſch*. pag.43. 44. ubi accuratam doctiſſimi hujus Judæi προσωπογραφίαν habes: Inſtit. Epiſt. *Buxt*.pag.375. 2. R.*Iſaac*, qui de Medicina librum ſcripſit Latinitate poſtea donatum, *Schalſch*. pag.40.a. 3. Medicum etiam fuiſſe quidam volunt *R. Solomonem* Jarchium, cujus vita, opera, itineraria, habes in Schal.49.a. Exilium, quo Gallia ejectus, Germaniam adiit *Gencb*.p.623. ſepulturam Pragæ.

[*y*] Primus Hebræorum Grammaticus celebratur *R. Iehuda*, fil. Phaſi, cognomento *Chiug*.

Schalſch. 39.b. ζύγχρονος ejus fuit R. *Iona*, itidem celebris Grammaticus, *Id.* R. *Moſes* ſacerdos, inſignis Grammaticus, *Ib.* Quibus & ætate, & laude proximè accedit R. *Salomon.* fil. Gabirol. *Id.* Sequitur R. *Iſaac*, barrabbi Jehudah, *Id.* 39.b. Facilitate reliquis præit *R. D. Kimchius* in ſuo *Miclol.* ejus deinceps vitula arârunt, quicunque Grammaticis conſcribendis cum aliquo ſucceſſus ſpe operam ſuam impenderunt. Sed & fratrem habuit, Moſen Kimchium Grammaticæ peritum. Habentur ejus ſcripta, *Schebbile daat.* Vide *Zem. Dav.* p.56. Hebræorum Grammatici per omnia ferè Arabes quibus Methodum ſuam lubenter adſcribunt, ſequuntur.

[*s*] *Aben Eſra*, vocatur *magnus & mirabilis ſapiens*; *Zem. Dav.* p.55.b. & in Schalſch. p.41 a. luculento etiam encomio inſignitur *R. Benjam.* Tudel. Ib. *& Iuch.* p.131.a. De *Majmonide* ſcribit *R. Ged.* p.44.a. *quod excelluerit in Lege, Philoſophia, Logica, Medicina, linguarum item ſcientia, Arabica, Græca, Chaldæa.* *R. Abraham*, fil. Majmonidis ſapientiæ laude clariſſimus fuit, *Id.* p.46.a. De *Solomone Iarchio*, vide. pag. 48.b. In hunc numerum veniunt Rabbi Iſaac bar Rabbi Mardocai, *Id.* p.50.a. *R. Baruch*, Moguntinus, qui etiam librum contexuit de ſapientia. Ib.b. *R. Iacobus* Gallus de quo *lib. Iuch.* p.129.a.

[*t*] *Arabicæ* peritus fuit 1. *R. Majmonides*, qui Arabicè ſcripſit a. More hannevochim. 2. Ex-

plica-

plicationes Miſchnæ *Iuch.* p.131.b. & Gematæ, *Schalſ.*43.a. aliaque tum Theologica, Ibid. tum etiam Medica: Vide *Anal.*p.300. *R.Bechai* ſenior, à quo Arabica lingua conſcriptus eſt liber *Chobboth lebbabhoth.* Zem.Dav 55.b.3. *Rabbi Aben Tibbō.* 4. *R. Abraham*, bar Rabbi Meir, ben Eſra, vulgò *Aben Eſra* dictus. Hinc toties Commentariis ſuis in Jobum, voces obſcuras ex Arabiſmo explicat, & Saadiæ Paraphraſin Arabicam caſtigat. 4. *R. Abraham* fil. Diuri, author libri Arabici, de fide excelſa; *Iuch.* p.131.b. *Græcam* didicerunt 1. *Majmonides.* 2. *R. Iſaac*, fil. Jehuda, Juch.128.a. 3. *Raſ Baruch*, fil. Iſaaci, Id.p.129.a. Uterque Græcorum ſapientiam excoluiſſe dicitur, ut & *R. Iſaacus Cordubenſis*, Id.128.a.

[*u*] Qua in re magnam meretur laudem *R. Samuel*, fil. Tibbon, quem *Majm.* dignum æſtimavit, qui *More Hannevochim* Hebraicè verteret *Iuch.* 131.b. Translatio adeò feliciter ſucceſſit, ut *R.Iehuda* in eodem opere inſumtus labor planè contemneretur, *Ib.* Ejusdem quoque eſt verſio *Chobhoth lebbabboth*, *Zem.Dav.* & *Saadiæ* de fundamentis fidei. In *Schalſch.* p.50.a. vocatur *Princeps Interpretum.*

[*x*] *Rabbi Iſaacus*, Cordubenſis, homo opulentus, ſtudioſus fuit augendæ ſuppellectilis librariæ, *Iuch.*128.a. In ripa Euphratis *R. Benjam.* adhuc ſepulchrum oſtendit Ezechielis, & Bibliothecam librorum templi primi & ſecundi, *R. Benj.* Itin.p.78.79.

[y] 1. Inter *Majmonidem* & alios Rabbinos, qua de re aliquot extant Epiſtolæ ἀνερμήνευτοι in Inſtitutione *Buxt.* Epiſt. P. 831. ſcribit ad judicem Alexandrum, R. *Pinchaſum*, fil. R. *Meſchulam*, Apologeticum, pro ſuo Jad. Accuſatione enim hac duplici potiſſimum gravatus fuit ac ſi hoc ſuo libro in multis Talmudi contradiceret, illudque planè è medio tollere voluerit; deinde, quòd traditiones ſingulas non ſuis authoribus adſcribat, ſed nomina eorum reticeat. Magnos cumprimis motus excitavit Editio *More hannevochim*, de qua *David Kimchius* Epiſtolâ ad R. *Iehudam*. Summa hęc eſt. Poſteaquam liber ille à Majmonide eſſet conſcriptus, & *à* R. *Samuele* Ibn-Tibbon ex lingua Arabica in Hebræam translatus, ſurrexit Rabbi quidam Solomon Montis peſſulanus, cum duobus diſcipulis *R. Iona, & R. David*, qui contra R. *Majmonidem*, ejusq; libros *Moreh & Maddah* varias calumnias evomuerunt, ut in odiũ ſcripta illa adducerent, quaſi vel doctrinę, vel authoritati Talmudis aliquid derogarent. Illis calumniis & turbis, quas excitârunt, commoti ſapientes Badreſch & Narbonæ aliæq; Synagogæ Provinciæ Rabbinos dictos anathematizârunt. Quod cùm illi vidiſſent, quendã cum literis ſuis ad reliquas Galliæ Synagogas ablegârunt, ac doloſis blandisq; ſuis verbis tantùm apud eos potuerunt, ut aures eis præberent, cauſam eorũ approbarent, ac viciſſim anathemata Synagogis Narbonenſibus mitterent. Hac rei indignitate

Nar-

Narbonenſes permoti elegerunt quendam è ſapientibus ſuis, *R. Davidem Kimchium*, quem communi nomine miſerunt, ut univerſarum & ſingularum urbium & provinciarũ Synagogæ in Catalonia & Arragonia congregarentur ad cauſã cognoſcendam & componendam. Illi rem hanc intelligentes dira Excommunicationis fulmina ejecerunt contra ſeditioſos illos Montiſpeſſulanos: quibus Galliæ Synagogę ita fuerunt percitæ, ut ſua revocarent, ac ſe erga illos excuſarent. Sed non modò R. *Iuda* Kimchio non ſatisfecit; verùm etiam *Solomonis* zelum & pietatem extulit; librũ contra *Majmonidis* damnavit, quòd peregrinatũ potiùs diſciplinarum, quàm legis fundamento niteretur. Sed & *R. Bechaj*, pro *Maimonide* certavit, & tres illos Rabbinos, qui omnes eos, qui exteras linguas & ſcientias diſcebant, aut *R. Moſis* libros legebant tanquam hæreticos anathematis ſuis publicè declarabant, excommunicavit. Epiſtolam excommunicatoriam habes in *Inſtit. Epiſt.* p. 420. Hoc tamen judicium, tanquam iniquè contra viros probos latũ, ſugillat *R. Meir Hallevi*, p. 428. Vide & Epiſtolam R. *Abrahami*, fil. R. Chasdai pro Majmonide, pag. 433. Confer *L'Emp.* in *Benj.* pag. 143. In *Schalſch.* pag. 44 b. legimus, poſt ejus obitum, tempore R. *Moſis*, fil. Nachman, & R. D. *Kimchii*, *ſurrexiſſe homines Beliaal, qui loquerentur contra R. Moſen Maimonidem, ſicut videre licet in Epiſtolis iſtis, quas extor-*

ferunt ſapientes Galliæ contra more. Seductores illi, ſtatuam, in qua ſcriptum erat, quod fuerit electum inter homines organum. Subſtituerunt, R. *Moſe Maimon, hæreticus & excommunicatus. Poſtea vero pœnitentia ducti, reſtituerunt ſtatuam priori forma.* Ejusdem meminit diſſidii auth. lib. *Iuch.* p. 131. b. qui addit utrumque librum, *More* & *Madda* flammis fuiſſe addictum.

2. Inter R. *Zerachiam*, & R. *Alfes*, *Iuch.* 132. a.

3. Inter R. *Iſaac*, fil. Juda, & R. *Iſaac*, fil. Alfeſi, *Id.* 129. a. Quòd verò Judæi non communia tantùm hac ætate cum Saracenis habuerint ſtudia; ſed ab iisdem ſcientias & artes compendiis tradere didicerint, id verò proclive eſſet probare. De *Grammatica*, res certa eſt. Primus Hebræorum Grammatico, *Kimchio* teſte, in præfat. Miclol. fuit R. *Iuda*, Feſſanus inter Arabes natus & nutritus. Arabũ exemplo (vide *Giarum*. Erpen p. 4.) Grãmaticæ partes conſtituerunt Judæi tres, Nomen, Verbum & Particulam, Kimchi Miclol. In Vocalium etiã tum doctrina tum nominibus non obſcura utrobique eſt affinitas. Sed & metris manã utrinq; obſervari harmoniam, docet collatio Proſodiæ Hebraicæ *Buxtorfii*, & Arabicæ, *Ioh. Fabricii*, Dantiſcani. Cæteras Philologiæ & Philoſophiæ partes Hebræi aut ab Arabibus mutuatas tranſtulerunt, & ad Methodum eorum tradiderunt.

Se-

Sectio V.

Seu

Συμβίβασις Doctrinæ.

Accedimus ad Συμβίβασιν, quæ uberem licèt nobis Seculo hoc meſſem polliceatur; Unum tamen ex ea demeſſuiſſe ſufficiat manipulum, Reformatã nempe Eccleſiam, nec quòd Pontificẽ [a] aſpernatur, ejus [b] primatum, [c] anathemata & decreta; nec quod [d] dogmata ejus rejicit; nec quod externam ejus [e] communionem planè deſerit; novitatis eſſe accuſandam.

[a] Neque enim alio eum loco hoc etiam Seculo habuerunt 1. omnes illi, qui Schiſmaticorum nomine veniebant, tum in Germania, (quæ per multos annos ab Apoſtolicæ ſedis unitate fuit diviſa. *Baron.* a. Ch. 1106. S. 29, calcar addentibus Henricianis; vide *Sigon.* an. Chr. 1111.) tum in aliis regionibus; *Baron.* an. Chr. 1166. S. 46. Hi verò à reliquis quàm alieno fuerint animo, patet ex *Reimbaldi Leodienſ. Epiſ.* admonit. *Vide quæſo*, inquit, *quanta ſit hoc præſumtionis & audaciæ. Qui partis eſt Anacletianæ, Innocentianæ non communicat, & ſimul cum ipſo non*

 oran-

orandum, velut cum Schiſmatico judicat. E contra Innocentianus Anacletianum inſectatur,& ei, ſi poteſt, talionem multiplicat. Hac, heu confuſione, hoc errore jam pene tota Eccleſia, quaſi phreneſi *quadam circumfertur ac vertigine, in tantum, ut cum orant religione, imò religioni finitima ſuperſtitione, nec loco alius velit alium admittere. Hinc eſt, quod ut videre potes in hoc rotulo, cum fortè quiſpiam orat pro patre* Herveo, *ſi Anacletianus is eſt, Innocentianus cum eo orandum non judicat: ſi Innocentianus, idem de eo Anacletianus æſtimat, & quicunque orat cum alterutro, alteruter eum orare dicit cum Schiſmatico.* Adi *Bar.* an.Ch.1130. S.40. Vide, quàm bellè his Paparum mancipiis inter ſe convenerit! 2.*Romani*, à ſacris etiam amoti, adeo non Pontifici cedere voluerunt, ut huic potius languore confecto pereundum, cæterisque ab Innocentio ad Clementem III.dimicandum fuerit. *Sigon.* a.Chr.1143. *Baron.* ann.Chr.1144. Romanis exprobrat, *quod ex filiis Chriſti, & diſcipulis Petri facti ſint ſoboles & alumni peſtilentiſſimi Arnaldi de Brixia.* 3. *Templarii* Hieroſolymitani ab Eccleſia Romana irritati, ejus ſe Miniſtris acriter oppoſuerunt, *Naucl.* gen. 39. pag.192. 4. *Caſſinenſes* Monachi ab Innocentio

Papa

Papa ad Sacramentum compulſi, edicere illud tergiverſabantur. *Sigon.* an.Chr.1137. Sed & in Abbatibus electione nullas Cænobii illius clauſtrales dare volebant partes. *Veniens enim Cardinalis ad* Monaſterium, *Fratribus, quid Papa præceperit nuntiat. Quod dum fratres audiſſent, murmur inter eos protinus oritur, dicentes, non debere Caſſinenſis Abbatis electionem in alterius poteſtatem tranſire; iniquum & indignum eſſe, ut Caſſinenſis Eccleſia, quæ libera ſemper extiterat, maximo pudore Cardinalibus ſubjiceretur*; *Baron.* an. Chr. 1126. S. 1. ex Pet. *Diac. Caſſin.* Ipſe etiam Oderiſius junior Abbas Caſſianenſis, Romanum Pontificē parvi pendit; *Id* an. Chr. 1125. S. 1. 5. *Angli*, ſub Henrico II. qui ad Archiepiſcopum Colonienſem inter alia ſcripſit: *Diu deſideravi iuſtam habere recedendi à Papa Alexandro, & à perfidis Cardinalibus eius cauſam, &c. Hoc etiā poſtulabunt, ut coram eis Papa iurari faciat publicè, quod & ipſe & ſucceſſores ſui, & mihi & omnibus meis*, Regias *conſuetudines Henrici Regis Avi mei, inconcuſſas & inviolatas quātum ad ſe, in perpetuum conſervabunt. Quod ſi fortè alicui petitionum mearum contradicere voluerint, neque ego, neque Barones mei neque clerus meus, aliquam eis ulterius ſervabimus*

bimus obedientiam: imò ipſum Papam & omnes ſuos manifeſtè impugnabimus, & quicunque in terra mea inventus fuerit, qui Papæ poſthac adhærere voluerit, expelletur à regno. *Matth.Par* *Ioh.Sareſbur.*lib.8.c.22.Policrat. refert; *quòd Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Roma quasdam leges Papiſticas in Angliam intulerit: Sed eas ut Reipubl. nocivas Rex Stephanus perpetuo parliamenti decreto damnavit, delevit, incendi fecit.* *Bal.* pag.191. Adde querelam Aleonoræ, Anglorum Reginæ apud *Baron.* an.Ch.1193. S.11. juramentum Regis contra Papam & Archiepiſc. Cantuar. a.Ch.1170. S.3. Conſtitutiones regias an. Ch.1164. S.37.

[b] Eum impugnârunt 1. *Græci.* Cùm enim ſub Calo Johanne Anſelmus, Havelbergenſis Epiſcopus acriter certâſſet pro primatu Petri, adeoque Pontificis Romani, à Nechite Theologo Græco maſculè fuit contradictum. Diſp. habes *Catal.Teſt.Verit.* lib.15.p.58. Hadriano Pontifice ſatis rapto, ſchiſma ortum fuit inter Octavianum & Rulandum, quorum hic Alexandrū, ille Victorem ſe appellavit. Suos quippe habuit fautores. *Plerique tamen*, ſcribit *Avent.* annal. lib.6. pag.647. *quorum maxima pars fuit, neutrum Pontificem recipiebant, illud D. Pauli uſurpabant: Omnia veſtra ſunt ſive Paulus, ſive*

ve Apollo, ſive Petrus, una fides, unus Deus & Pater omnium. *Atq. illud Chriſti in ore erat: unus Magiſter veſter eſt, vos autem omnes fratres. Gerochus Richenbergenſis præſul de hoc diſſidio complura ſcribit, quibus titulum de Antichriſto dedit.*

[c] De his actum eſt ſupra.

[d] 1. Negant Reformati *Pontificem Romanum eſſe ἀναμάρτητον in decidendis Controverſiis, fidem ſpectantibus?* Ipſe Paſchalis II. in re non levi turpiter ſe hallucinatum fuiſſe fatetur. *Feci ut homo* inquit, *quia pulvis ſum & cinis. Fateor me male egiſſe: ſed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi, &c.* Baron. an. Chr. 1116. S. 2. Errorem hunc, Papæ quem plenius expoſuimus ſup. pag. 134. *hæreſin* multi appellabant. Bruno Epiſcopus (Ib. S. 3.) qui in Sanctorum numerum eſt elatus; non obliquè tantùm hunc ipſi Papæ nævum exprobravit, ſed & rationibus certans. *Fœdus*, inquit, *illud adeo fœdum, tam violentum, tam cum proditione factum, tam omni pietati religioniq. contrarium ego non laudo. Quis enim illud laudet, in quo violatur fides, Eccleſiæ libertas amittitur, ſacerdotium tollitur, unicum & ſingulare oſtiũ clauditur, multa oſtia aperiuntur, per quæ qui intrat fur eſt & latro? Habemus Canones, habe-*

habemus ſanctorum Patrum conſtitutiones ab Apoſtolorum temporibus ad te uſque perductas. Via regia incedendum eſt, neque ab ea in aliquam partem declinandum. Apoſtoli illos omnes damnant, & è fidelium communione ſeiungunt qui per ſecularem poteſtatem Eccleſiam obtinent. Laici enim &c. Baron. a. Ch. 1111. S. 29. *Vrſperg.* an. Chr. 1116. Vide ſup. p. 176. Indultum hoc *Baronius* a. Ch. 1112. S. 1. vocat *grave damnum illatum Eccleſiæ, ſcandalumque*; Ut Papam alii excuſarent, non inveſtituras laicis concedere, ſed eas defendere velle, hæreſin eſſe dixerunt. Sic *Ivo* prolixè Epiſt. 238. & *Baron.* an. Ch. 1111. S. 42. Aliter tamen Synodus Viennenſis: *Igitur*; ſic ipſi ſcribunt ad Paſchalem Papam; *dictante Sancto Spiritu inveſtituram omnem rei Eccleſiaſticæ de manu laica hæreſin eſſe iudicavimus*; Baron. an. Chr. 1112. S. 15. Majeſtas tamen & dignitas Papalis *horrendo hareſis nomine pulſata* aliâ rimâ elabi non poterat, *quàm quòd Eccleſia Romana nunquam habuerit hareſin*, Id. an. Chr. 1116. S. 3. & *Sigon.* Reg Ital. l. 10. p. 251. Sed & alia Papæ ſcita, dicta & facta ipſis improbari Pontificiis colligi poteſt ex iis, quæ habet *Vrſp.* p. 205. 206. Vide etiam pag. 309. ubi, recitato Papæ decreto, infertur, quòd non fecerit judicium, ſed injuriam.

Mire-

Miremur; *Suſpecta majoribus ſæpe noſtris, dubia & incerta fuiſſe Paparum ad Synodos & Colloquia vocantium promiſſa, pacta & juramenta?* Non temeritas erat, ſed provida cautio. Nam & hujus ſeculi praxis docere poterat, quam non religioni ducat Papa negare, quòd modò ajebat: condemnare, quod juramento affirmabat. Quæ pacta fuerint inter Henricum & Paſchalem, habet apud *Bar.* a.C.1110. quàm verò mox eadem fuerit reſciſſa, hæreſeos nomine notata, mox diximus.

Tyrannidis Papam accuſare novum ſit aut inſolens? En farraginem Clericorum & Laicorum, *Catal. Teſt. Verit.* lib.15.p.576. idem apertè fatentium.

Clerum, *certis conditionibus, ſubjicere Magiſtratui, eidémque falcem in meßem politicam eripere* χθὲς ἢ πρώχθες à Reformatis, in ſacerdotii ignominiam, confictum ſit? cùm jam anno 1155. *Arnoldus* quidam docuerit omnes Sacerdotes eſſe ſub Magiſtratu publico, & proinde Pontificem Romanum etiam abſtinere debere à rebus Politicis; & tantum ſacris occupari: Unde motus illi Romæ excitati, de quibus ſupra p.145. Vide Cal. *Sigon.* a.Ch.1139.1145.1154. Et *Avent.* annal. lib.6. pag.629. *Baron.* an.Ch.1140. Eum hoc nomine *Politicorum hæreticorum Patriarcham atque Principem* vocavit. Prolixius de eo agit an. Ch. 1139. S.9. ex *Ligurino Poeta*, qui inter alia;

Nomen ab Alpino ducens (ut fama) Lemano
Nobile Turegum, doctoris nomine falſo

Inſe-

Inſedit totamque brevi ſub tempore terram
Perfidus impurè fædavit dogmatis aurâ.
Unde venato dudum corrupta ſapore,
Et nimium falſi doctrina vatis inhærens
Servat adhuc uvæ guſtum gens illa paternæ;

Nempe, *Tigurini*, cæterique adeò Helvetii jam inde à multis ſeculis cleri poteſtati limites ponebant! Documenta habes in *Anal.noſt.*pag.72. & deinc.

Cælibatum Miniſtrorum Orthodoxi improbant? Non aliter ſenſerunt multi hujus ætatis Doctores, minis licèt & fulminibus Pontificiis territi. In Germania an.Chr. 1187. leges ſunt ſancitæ, quas vulgò den Friden-brief appellant, in quibus filii Sacerdotum & Diaconorum cingulum militare aſſumere prohibentur; *Urſp.* pag.303. *Plures erant in Anglia his diebus eruditi Sacerdotes, qui uxores ac proles habebant.* *Bal.* Cent. 3. p.217. Exempla aliquot ſubjicit. Confer *Catal. Teſt. Verit.* lib.15. pag. 571. Danorum etiam plebs ſub finem hujus Seculi ſacerdotibus conjugia decrevit; *Id.* pag.204. quo nomine ab Urbano III. fuerunt excommunicati, *Geneb.* a. Ch. 1187. Sed &, cùm an.Chr.1197. à Papa Cœleſtino Petrus Cardinalis à lata via Pragam miſſus cœlibatum urgeret, ordinandiſque ad ſacerdotium divortia injungeret, à Sacerdotibus & Prælatis tantùm non lapidibus obrutus legitur. *Eccleſ. Boh. Perſec.* pag.18. Cùm anno Chriſti 1119.

Calixtus

Calixtus publico Concilii decreto uxorum uſum Sacerdotibus adjudicâſſet, carmine, qualia infi-cetum illud Seculum dare poterat, ab Anglo quodam perſtrictus fuit ſalſo:

O bone Calixte nunc omnis clerus odit te,
Quondam Presbyteri poterant uxoribus uti,
Hoc deſtruxiſti, poſtquam tu Papa fuiſti,
Ergo tuum meritò nomen habent odio.

Imaginum neglectus Germanis exprobretur? At verò hoc adhuc Seculo Ἀρμενίοις καὶ Ἀλαμανοῖς ἐπίσης ἡ τῶν ἁγίων εἰκόνων προσκύνησις ἀπηγόρευται, *apud* Alemannos *æquè ac Armenos ſacrarum imaginum adoratio fuit interdicta*: Nicet. Choniat. p. 199.

Noluiſſe *multos arbitrio ſtare Pontificis in electione & inveſtitura*, abundè probatum eſt ſuprà p. 134. & deinc. His adde *Geneb.* an. Ch. 1105. ita loquentem: *Polydorus* lib. 4. de Invent. rer. c. 10. & libr. 11. Hiſt. *Anglicæ notat, circiter hæc tempora Principes ubique Gentium cæpiſſe ſibi jus declarandorum Epiſcoporum & Abbatum vendicare, cùm hactenus partim penes clerum, partim penes populum, partim penes Monachos, partim penes hoc omnes fuiſſet.* Hoc *hodie Principes de* Simonia *nihil ſolliciti, poſt tot Conciliorum cenſuras mordicus tenent, deteſtabiliori etiam modo atq; libitine, &c.*

Miracula, quæ Pontificii immodicè crepant & jactant, aut νωθείας à Reformatis ut plurimum poſtulari, aut ſi vel maximè verè eveniant, non tamen à viæ regiæ tramite eos abduci, quis vitio vertat, cùm inter alia Gregorii IX. ejuſcemodi extet Decretum: *Audivimus, quòd quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quendam in potatione & ebrietate occiſum, quaſi ſanctum (more infidelium) venerantur, cùm vix pro talibus in ebrietate peremptis Eccleſia permittat orare. Dicit enim Apoſtolus: Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt. Illum ergo non præſumatis de cætero colore*: cùm ſi per eum miracula fierent, *non liceret ipſum pro Sancto absque authoritate Romanæ Eccleſiæ venerari*: quod tamen *Baron.* an. Chr. 1181. S.6. de publico tantùm, non verò privato intellectum vult cultu.

Rident Reformati, *quæ de Antichriſto ſuo ſomniant venturo demum Papiſtæ?* Et hoc jam ſeculum multos tulit viros, qui non modo Antichriſtum jam veniſſe, ſed & Romæ ſedem fixiſſe palà fatebantur. Vide ſuprà p.127. Joachimus Abbas Calaber interrogatus de Antichriſto reſpondit: R*omæ iam diu fuiſſe natum, ac nunc maxime regnare, exaltareq; ſe ſuper omne quod dicitur Deus, &c.* Bal. Cent.3.p.233. ex Rogero Hovedeno. Sed & *Gerardum*, Leodicensē Epiſcopum

pum, putâſſe, ſcribit, Antichriſtū veniſſe. p.191.

Transſubſtantiationem impugnant Orthodoxi? Et Magiſtri Pariſienſes hac ætate accipiebant in verbis ſacramentalibus Eſſe, pro, ſignificare, ut *Iohannes Tyſsingtonus* habet, in libro ſuo contra VVicleviconfeſſionem. *Imo,* (inquit) *Almericus & Petrus Abelardus, deliri ſenes & hæretici non crediderunt in* Sacramento *miraculoſe eſſe accidens ſine ſubiecto.* Sed & *Gratianus* dicebat, *quosdā ſuo ſeculo fuiſſe, qui panem in ſua ſubſtantia manere in Euchariſtia ſenſerint.* *Bal.*Cent,2. p.191.

De Clero, *variisq́; eius, quibus immerſus erat, vitiis abundè dictum eſt* ſuprà, p.155. quibus adde 1. *Arnulphum,* Concionatorem, Monachum Anglum, de quo *Bal.* Cent.2. p.184. *Conſtitutus Roffenſis Epiſcopus a. D.* 1113. *honores non ambiebat, ſed conſtanter & absq; hominum timore verbum Dei prædicabat, Quod cum feciſſet tandem Romæ, Chriſtianæ* Religionis *propugnator egregius, in eius necem Scribarum & Phariſæorum clerus conſpirabat. Prælatorū enim vitia inſectabatur acerbe. In eorum impudicitias atque libidines perfortiter invehebatur.* Hi*ſtrionicas illorum pompas arguebat, & in corradendis divitiis immoderata improbabat ſtudia.* Adeatur enim *Naucl.* Gener. 27. pap.173.b. Cleri propterea inſidiis periit; *Idem,*

& *Chronic. Hirſaug.* in *Catal. Teſt. Verit.* l. 14. p. 481. *Plat.* in Honor. II. *Geneb.* 2. *Iohannem Saruburienſem*, qui telis nonnunquam acerbiſſimis inſectabatur cleri abuſus; *Bal.* p. 211. Inter alia apud eum in Polictat. reperias: *Sedent in Eccleſia Romana Scribæ & Phariſæi, ponentes onera importabilia in humeros hominum. Pontifex magnus omnibus gravis ac penè intolerabilis eſt. Ita debacchantur ejus legati ac ſi ad Eccleſiam flagellandam egreſſus ſit Sathan à facie Domini. Nocent ſæpius, & in eo ſunt Diabolo perſimiles. Apud eos judicium nihil eſt, niſi publica merces. Quæſtum omnem reputant pietatem. Iuſtificant pro muneribus impium, afflictas gravant conſcientias. Argento & auro menſas onerant, & exultant in rebus peſſimis* Vide plura ex eodem ſup. p. 193. 3. *Gualonem Britannum*, qui invectivas ſcripſit ad Monachos avaros, quod ipſum contra ſacerdotes præſtitit *Giraldus Cambrenſis*, *Bal.* Cent. 3. p. 214. 222. 4. *Nigellum Poetam*, qui in libro, *Brunellus* vel *ſtultorum ſpeculum* inſcripto, ſui temporis Monachos graphicè depinxit:

Qui duce Bernhardo gradiuntur, vel Benedicto
Aut Auguſtini ſub leviore jugo:
Omnes ſunt fures, quocunque charactere ſancto
Signati veniant, magnificentque Deum.

Ne

Ne credas verbis, ne credas veſtibus albis:
Vix etenim factis eſt adhibenda fides.
Quorum vox lenis, vox Jacob, creditur eſſe
Cætera ſunt Eſau, brachia, colla, manus.

5. *Guielelmum Malmesburienſem*, qui & ipſe ejus ætatis faciem vivis depinxit coloribus: *Bal.* Cent. 2. p. 187. 6. *Andream Victorium*, qui etiam prodidit corrupti temporis maculas, *Id.* p. 193. 7. *Arnoldum Brixianum*, de quo ſupr. 269. *Arnoldus tum*, ſcribit *Avent.* lib. 6. p. 629. *Brixiâ, Italiæ oppido ortus, ſacras literas profeſſus, diſcipulus Petri Abelardi, in avaritiam faſtumq; ſacerdotum pro concione crebro peroravit, tandem captus, in crucemq; à ſacrificulis actus, pœnas temerarii cœpti luit.* 7. *Marſilium Paduanum, qui in Eccleſiam* (Pontificiam) *Eccleſiaſticasque perſonas invectus eſt.* Affirmavit, præter alia, nec *Pontificem Chriſti vicarium eſſe, nec quicquam inter Epiſcopum & Sacerdotes diſcriminis.* *Gault.* Chronog. p. 656.

[*e*] Tales ſunt omnes illi, quos hæreticorum numero habent adverſarii noſtri, propterea quòd 1. *alii miniſterium Epiſcoporum & Sacerdotũ* (quale tum erat) *nihil eſſe dicerent, & ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti perceptionem ad ſalutem perpetuam prodeſſe negant*, ut Antuerpiæ à

Tandeno ſeu *Tanchelio* publicè factum eſt, *Bar.*an. Chr.1124. S.11. & an.Chr.1126. S.13. *Geneb.Gault.* alii. Vel.2. quòd *crucis uſum inter Chriſtanos tollerent, transſubſtantiationem negarent; ſacrificia, orationes, eleemoſynas defunctis nulla deſtinarent*, *ut Petrobruſiani*, Gault. Baron. 1126. *Prat. Genebrardus* in Innocent.II. de Henrico Tholoſano, *Petri Bruis* (de quo conſulatur *Catal. Teſt. Verit.* libr.15. p.562. *Baron.* a.Ch.1126. S.14.) diſcipulo, refert, *quod negârit oblationes pro mortuis aliquid prodeſſe, damnârit ſanctorum invocationem: olei & chriſmatis conſecrationem, Eccleſiaſticam excommunicationem, peregrinationes religionis voto ſuſceptas, omnes denique Eccleſiaſticas conſtitutiones.* Vel 3. quòd totum penè Papiſmum abjecerint & conculcârint, ut ſunt *VValdenſes* & *Albigenſes*, de quibus, cùm crebra eorum ubique fiat mentio, diſtinctè agere lubet.

I. *VValdenſium* Etymologiam non eandem reperio. *Alii* à mercatore quodam Lugdunenſi, quem *Petrum* nonnulli, nonnulli *Iohannem* appellant, eos ſic dictos exiſtimant: ut author *Catal. Teſt. Verit.* lib.15. & plerique alii Reformati; nec aliter Pontificii, *Gault. Geneb. Belved.* &c. Alii verò, *VValdenſes* ab alpium anfractibus, in quos ſeſe jam pridem receperunt, deducunt. Ita *Bezæ* in πολυανδρίῳ κενοταφίῳ fortiſſimorum V.Valden-

denſium. Non infeliciter, modò natales novæ illius vobis, quæ purè Germanica eſt, oſtendi poſſent apud veteres Lugdunenſes.

II. Occaſionem *ſeparationis* ab Eccleſia Romana veteres commemorant geminam, *communem* & *propriam*. *Illam* dedit non morum tantum corruptio, cleri in pejus vergentis miſera conditio; ſed & novorum dogmatū, Transſubſtantiationis maximè, tyrannica in Eccleſiam introductio. *Hæc* nata eſt, ſubitò & planè inopinato caſu, quem ſic referunt. *Circa an. D.* 1160. *fuerunt Lugduni aliquot optimates quodam loco congregati, conferentes de variis rebus, ut ſolent ſæpe, præſertim æſtatis tempore, in Italia & Gallia in porticibus, Magnates convenire diſpellendi tædii, fallendique ocii cauſa, ac colloquendi cum aliis ſui ordinis viris. Ibi dum illi otioſi ſermones cædunt, accidit, ut ſubito unus ſpectantibus omnibus aliis mortuus corrueret. Eo tam triſti exemplo fragilitatis humanæ, divinæq; iræ perterritus ac cōmotus unus ex illis nomine Valdus, homo prædives, haud dubie impellente eum etiam Dei Spiritu, cœpit cogitare de emendanda vita, placendoq; Deo, ac vera pietate aliquanto magis ſerio colenda, quàm ante fecerat. Cœpit igitur & eleemoſynas largius diſtribuere, &*

 ſeſu-

ſe ſuamq; domum, ac eos, qui eum aliquando quacunque occaſione accedebant, docere & admonere de pœnitentia, ſincero Dei cultu, ac vera pietate. Progrediente paulatim tum beneficentia ejus in egenos, tum ipſius ſtudio docendi, aliorumq; diſcendi, jam etiam frequentior cœtus ad eum confluere, cœpit: & ipſe eis non ſuas aliquas regulas, ſuiq; capitis ſomnia dictare, ſed ſacras literas tum explicando declarare, tum in vulgarem Gallicam *linguam transferre. Fuit enim homo doctus, ut ex vetuſtis membranis cognoſco, & non curavit ſibi ab aliis verti, ut quidam veritatis inimici mentiuntur.* Sic author *Catal. Teſt. Verit.* lib. 15. pag. 534. Nec longè abit, antiquus ille ſcriptor Pontificius, cuius meminit p. 44.

III. Prima hujus cœtus *ſedes* fuit Lugdunum, ubi quatuor aut quinque annos manſiſſe creditur: *Id.* p. 535. Paulatim verò diſperſi, in Italiam, Galliam, Sabaudiam, Bohemiam, Germaniam, Pomeraniam, Angliam, alióque conceſſerunt. Vide *Catal. Teſt. Verit.* p. 536. 540. *Iacobum Rebirianum* apud eundem p. 556. *Bal.* cent. 2. p. 206 *Relat. congreg. de propag. fid.* de locis vallium quarundam Pedemontanarum, à VValdenſibus occupatarum &c. c. 14. *de ingreſſu hæreſium in valles Pedemontanas.*

IV. *Varia* autem mox in ignominiam VValden-

denſium à Monachis & Inquiſitoribus cuſa atque excogitata ſunt *opprobria*, quorum vel ſola mentione plebis iram concitarent. Placet ordine reddere omnia illa nomina, quibus Waldenſes & olim & nunc fuerunt inſigniti, veſtigia prementes *Iohannis Pauli Perrini* Lugdunenſis, qui Hiſtoriam nobis VValdenſium reliquit tribus abſolutam partibus. *Prima* agit de eorum origine, vera fide, perſecutionibus, quas per annos 450. continuas in Europa ſuſtinuerunt. *Secundâ* percurrit Hiſtoriam VValdenſium eorum, qui Albigenſes dicuntur. *Tertiâ* communem eorum enarrat doctrinam & diſciplinam, Elencho annexo, adverſariorum doctrinæ oppoſito. Hic ergo author lib. 1. c. 3. ait, eos appellari a. *VValdenſes*, à VValdo cive Lugdunenſi. b. *Pauperes de Lugduno*, propterea quòd urbe illa ejecti, jacturam fecerint omnium ferè bonorum ſuorum, c. *Chaingardos*, quo nomine per μυκτηρισμόν in Delphinatu venerunt. d. *Transmontanos*, per Synecdochen, à parte eorum, qui montes, Alpesque ſuperârunt. e. *Ioſephiſtas*, à Joſepho VValdonis diſcipulo, qui Dienſium præco fuit. f. *Lollardiſtas*, à Lollardo, doctore eorum, in Anglia. Hoc illis cognomentum fuiſſe inditum non modò in Anglia, ſed & in Livonia, ſcribit *Belved.* in Turri contra Damaſc. p. 26. g. *Henricianos & Eſperonitas*, ab Henrico & Eſperone VValdonis diſcipulis, Occitaniam doctrina Evangelica imbuentibus. h. *Arnoldiſtas*, ab Arnoldo Hot, miniſtro

ſtro Albigenſium celebri denominatos. i. *Sicarios*, quod per *crumeniſecas*, *Perrinus* vertit. Sic in Provincia dicebantur. k. Italis vocabantur *fraticelli*, quod fraterni inter ſe amoris vinculo vivebant. l. *Inſabbata* vel *Inſabbatharii* nuncupabantur, quòd unicum Domini diem ſacrum eſſe vellent. m. A continuis paſſionibus ſeu perſecutionibus *Patinorum* vel *Patarinorum* (à verbo *Pati*) nomenclaturā ſunt indepti. n. *Paſſagenes* etiam appellabantur, quòd Viatorum (Gall. *pauvres paſſagers*) inſtar, incertis ubique ſedibus jactarentur. o. *Cazaros* Germani vocabant, quaſi Catharos ſeu καθαρὰς: vide Sec.3. S.5. p. Flandris *Turlupini*, id eſt, inter lupos habitantes, vel luporum adinſtar inhoſpita teſqua incolentes, nominabantur. q. A locis etiam crebrò nova ſortiebantur nomina. Vnde & Albigeſio, Occitaniæ tractu, *Albigenſes*; à Tholoſa, *Tholoſani*; à Piccardia, *Piccardi*, à Lugduno, *Lugdunenſes*, ſeu *Leoniſtæ*; à Bohemia, *Bohemi*, nuncupari ſolebant. Et ut omnem planè pudorem VValdenſium adverſarii excuſſiſſe viderentur, eorum etiam nomina, ad quorum mentionem mens pia & Chriſtiana cõtremiſcit, iis impoſuerunt. Hinc reperias, eos venire nomine *Manichæorum*, *Gnoſticorum*, *Arianorum*, *Adamitarum*, *Apoſtolicorum*, aliorumque communi veterum calculo damnatorum hæreticorum. Expreſſis tantùm, monſtroſis & horrendis ejusmodi hæreſiarchis, non poterant

terant non eorum, qui Chriſtianam religionem præ ſe ferebant, animi accendi, ad extirpandam adulterinam ejusmodi ſobolem, & peſtilentiſſimam γενεὰν ἐχιδνῶν. Unde tot, in Germania & alibi, ſupplicia innocentiſſimorum hominum.

V. De *dogmatibus* VValdenſium concedunt Pontificii *a.* quòd communia illa habuerint cum iis, qui longè ante eos vixerunt. Ideo periculoſior VValdenſium ſecta æſtimata pridem fuit ab ipſis adverſariis, quòd aſſeruerint nonnulli, *doctrinam eorum duràſſe à tempore Sylveſtri, alii à tempore Apoſtolorum*; Vide *Catal. Teſt. Verit.* lib. 15. p. 543. *Anal.* p. 38. *b.* quòd Reformatis Eccleſiis in fundamentalibus articulis accedant; Adi *perrin.* l. 1. c. 8. *Couſſord.* refut. err. VVal. pag. 129. a. *Gaulterius Ieſuita* 27. numerat capita, quæ utrinque ſint recepta p. 661. Quæ verò Eccleſiæ VValdenſis publica fuerit confeſſio, quot abſolvatur membris, habes apud *Perrin.* pag. 79. quo, in hac Hiſtoria, authore nihil abſolutius expectari poteſt, aut certius. Fide enim antiquiſſimorum ſcriptorum Waldenſium nixus, multorum deſideriis ſatisfecit. Ex *Pontificiis* quidam maledico ore evomuerunt quicquid atra iis dictavit bilis. Talis eſt *Theodor. Belveder.* in Turri cont. Damaſc. p. 27. *Gault.* Tab. Chronog. pluresque alii, quorum nomina, & verba exhibet partim *Catal. Teſt. Verit.* lib. 15. partim *Paul. Perrinus* lib. 1. c. 3. adde Fratrem *Raynerium & Alphon-*

ſum

ſum ex confut. errorum VVald. *Claudii Couſſordi* p.126. *Alii* tamen mitiùs de eorum doctrina ſentiunt; non quod conatum eorum probârint, ſed quòd impia & blaſphema deliria quibus alii odium VValdenſibus & invidiam conflârunt, maximam, vel leviter attingere puduerit. *Faſcic. temp.* p.77.b. ita de iis ſcribit: *Hæreſis VValdenſium, ſeu pauperum de Lugduno incepit, cujus inventor fuit VValdenſis, civis Lugdunenſis; qui cùm dives eſſet, relictis omnibus, paupertatem Evangelicam ſervare voluit, & ſcribi fecit aliquos libros Bibliæ in vulgari, cũ nonnullis ſanctorum auctoritatibus, quæ minus ſanè intelligens ſuo inflatus ſenſu,* Apoſtolorum *officium uſurpavit, prædicando ubique, & ſuos ad prædicandum mittendo, errores plures ſeminavit. Moniti autem reſponderunt Deo magis obediendum quàm hominibus, Prælatos & Clericos aſpernando. Tandem contumaces excommunicati ſunt, & expulſi à Patria, & poſt in Concilio hæretici denunciati ſunt. Et factum eſt in grande malum, & laqueum magnum ſimplicibus & devotis perſonis ſcandalum immenſum & utinam hodie eſſet finis!*

Æneas etiam *Sylvius*, Hiſt. Bohemica de VVald. dogmat. tetros illos errores, de Magiſtratu, de indi-

indignitate perſonarum, juramento, &c. eis nō tribuit. *Antoninus* ajt, *auferre eos ab Eccleſiis temporalia, & transſubſtantiationem in Miſſis negare* : Nec multum variat *Papyrius Maſſon.* apud *Marnix.* Tab. de diſſ. Rel. p. 449. Reformati ex antiquitatis monumentis ejusmodi colligunt ὑποτύπωσιν doctrinæ VValdenſium. 1. *Solis literis Sacris eſſe credendum in iis, quæ ad ſalutem pertinent, & nulli præterea homini aut ſcripto, firmiter ſentiunt.* 2. *Sacras literas integrè continere omnia ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria : eoq; nihil penitus recipiendum in religione eſſe, niſi id ſolum, quod nobis Deus in Sacris literis præcepit, indubitanter credunt.* 3. *Vnum tantum eſſe* Mediatorem, *nec eſſe invocandos ſanctos ulla ratione ſtatuunt.* 4. *Purgatorium nullum eſſe, ſed omnes homines vel per Chriſtum juſtificatos in vitam æternam, vel non credentes in æternum exitium abire: tertium aut quartum locum ſupereſſe nullum, aiunt.* 5. *Tantum duo* Sacramen*ta, Baptiſmum & Communionem, recipiunt ac probant.* 6. *Omnes Miſſas, & præcipuè eas, quæ pro mortuis canuntur, impias, adeoque abolendas penitus eſſe affirmant.* 7. *Omnes traditiones humanas rejiciendas, vel certè pro nece*ſſa-

ceſſariis non habendas eſſe: eoq; tollendum eſſe cautum ac recitationem officii, jejunia ad certos dies alligata, ſuperflua feſta, diſcrimen ciborum, tam varios gradus ac ordines Sacerdotum, Monachorum ac Monacharum, *varias benedictiones ſeu conſecrationes creaturarum, vota, peregrinationes, & aliam omnem turbam rituum ac ceremoniarum, ab hominibus inventarũ ſeu excogitatarum, antiquandam eſſe.* 8. *Primatum Papæ ſuper omnes Eccleſias, inprimis poteſtatem ejus ſupra omnes Politias, ſeu utrumq; ejus gladium penitus pernegant: nec cenſent alios gradus ſacerdotales in Eccleſia retinendos eſſe præter* Sacer*dotum,* Diaconorum *& Epiſcoporum.* 9. *Communionem ſub utraq; ſpecie & piam eſſe & neceſſariam, utpote à Chriſto ordinatam & præceptam aſſerunt.* 10. *Romanam Eccleſiam eſſe Babylonem, de qua in Apocalypſi, Papam eſſe omnium errorum fontem, & verum Antichriſtum contendunt.* 11. *Indulgentias quoque rejiciunt.* 12. *Conjugium Sacerdotum pium ac neceſſarium in Eccleſia eſſe docent.* 13. *Verbum Dei audientes, ac rectè ſentientes Eccleſiam ejus eſſe, eique Eccleſiæ claves à Chriſto datas, eoque eum poſſe ac etiam debere*

lupos

lupos fugare, & veros bonosque Chriſti paſtores vocare, & eorum vocem audire, ac ab illis Sacramenta percipere. Eſſe autem hæc capita doctrinæ VValdenſium, tum ex ipſis Pontificiorum ſcriptis elicimus, tum ex gemina illa Veterum confeſſione, quam αὐτολεξεὶ cum verſione Gallica recitat Perrinus p. 79. Quod reliquiis Sanctorum nomine venditatis, & à promiſcua plebe inſano quodam amore cultis, parùm VValdenſes detulerint, ab ipſis non leviter excuſantur ſcriptoribus Pontificiis. *Occaſio,* ſcribit Reinerius, hujus contemtus *falſæ erant reliquiæ, quas quidam circumferunt per villas, & in tabernis deludunt: ut lac ſanctæ* Mariæ, *quæ cum parvo lacte pavit Chriſtum: &* Salamandra *pro veſte ſanctæ Mariæ, & ſudorem Chriſti, & membranam, qua involutus eſt Chriſtus. Item reliquias* Angelorum. *Ita quæſtuarius publicè ſe jactavit, quòd ſciret facere Sanctos, quando vellet. Quæſitus quomodo? Dixit, quod ſæpe os bovis ſecuit minuatim, & involvit purpurem, & circumſcripſit Sanctos quos voluit: & hoc ſæpe facit. Item lac ſanctæ Mariæ baptizant, & aquam dant ad bibendum. Item venales ſunt: Item muribus ſunt comeſtæ, & hoc plebanus populo retulit, qui multum ex hoc ſcandalizatus fuit. Itē, diverſa*

verſæ Eccleſiæ litigant de corporibus Sanctorũ, dicentes ſe ea habere, ut de corpore S. Marci*, Viti & cæterorum*: Catal. *Teſt. Verit.* p. 556.

VI. *Mores* quod attinet, varia quidem de illis ſunt judicia; Exemplis tamen innocentiſſimæ vitæ florentes fuiſſe Eccleſias illas, fusè probat *Perrinus* c. 5. & *Gillius* Apol. cont. Belved. & Rorenc. p. 16. ubi multa adverſariorum teſtimonia habentur de pietate, probitate, & eruditione VValdenſium; quibus adde illud *Reinerii* ex *Anal.* p. 38. Teſtatur etiam alius quidam, inquiſitor Pontificius, *quòd in moribus compoſiti ſint & modeſti, parci in cibo & potu; ab ira ſe cohibeant; à detractione, & à ſcurrilitate, verborum levitate &c.* Catal. *Teſt. Verit.* libr. 15. p. 557. confer ſequentia verba pag. 559. ex alio libello inquiſitorio deſumta. Orta dubio procul hinc appellatio *Bonorum hominum*: ita enim VValdenſes vocatos etiam fuiſſe, patet ex *Baron.* an. Ch. 1176. S. 3.

VII. *Eruditione* porrò inter VValdenſes multos claruiſſe, colligimus ex eo, 1. quòd cleri ignorantia calcar VValdenſibus addiderit ad magnos ſuſcipiendos cognatus. *Quinta hæreſis* (Waldenſium) *cauſa eſt inſufficientia doctrinæ quorundam* Sacerdotum, *qui prædicant quandoque frivola vel falſa. Unde quicquid Eccleſiæ doctor docet, quod per textum N. T. non*

pro-

probat, hoi pro fabulis totum habent; ſcribit Reinerus auth. Pontific. *Catal. Teſt. Verit.* l. 15. p. 543. Sic *Iacobus de Rebiria*, Regius olim Secretarius ait: *Eo tempore, quo VValdenſes primum locum in Gallia tenuiſſent nullo aut parvo in pretio fuiſſe eos, qui Sacerdotes ſe, Epiſcopos & Miniſtros Eccleſiæ dici volebant. Indigni enim omnes, & omnium rerum ignari pene cum fuiſſent, facilè illis fuiſſe eruditione & doctrina præcellentiſſimis, primas in populo ſibi partes vendicare.* 2. Quia per *ſubtiliſſimos hæreticos*, quos VValdenſium dogmata defendere conatos fuiſſe, aſſerit *Faſcic. Temp.* p. 78. a. nullos commodiùs intelligimus, quàm viros literatos. 3. Quia magnâ curâ incubuerunt in Bibliorum Sacrorum tum lectionem, tum translationem. *Translationis* ſpecimen habemus in prima illa VValdi verſione Gallica, cujus etiam Abbas ille *Michael de Marolles*, meminit, ut diximus *Anal.* pag. 137. *Lectio* quanto ab iis ſtudio ſuſcepta fuerit, probavit eventus. *Vidi & audivi ruſticum Idiotã, qui Iob recitavit de verbo ad verbum. & plures alios, qui Novum Teſtamenmentum totum ſciverunt perfectè*; fatetur Reinerus ille, de quo *Catal. Teſt. Verit.* p. 542. quod tamen *Iacobus de Rebiria* tribuit *Perrinus* lib. 1. p. 40. Idem etiam aliquoties ſtudiũ Biblicum in Waldenſibus ἑκόντι ἀέκοντίγε θυμῷ admittit *Reinerus*,

rius, Monachus Jacobita. 4. Accedunt varia ſcripta veterum VValdenſium (de quibus Germanis noſtris parùm hactenus conſtitiſſe videtur; *Cat. Teſt. Verit.* pag. 541.) Elenchtica, didactica; moralia; Catechetica, quorum prolixum ſuppeditat catal. *Perrinus* lib. 1. c. 7. Habes ibi *Novum Teſtamentum*, VValdenſium linguâ conſcriptum: librum, cui titulus *Antichriſtus*; Tractatum *contra peccatum, de remedio item reſiſtendi peccatis*: Librum *de virtutibus*; de *Educatione liberorum*; de *Matrimonio*; *Sententias Philoſophorum & Doctorum*; *Paraphraſin Symboli Apoſtolici*; *Tractatum de Sacramentis*; *Paraphraſin Deacalogi*, *Commentaria in orationem Dominicam*; *Tractatum de tribulatione*; *Catechiſmũ*; *De Purgatorio ficto*; *Contra invocationem Sanctorum*; *Rationes, cur ab Eccleſia Romana ſe ſeparârint*, & id genus plures alios. Integros quin etiam tractatus de ejusmodi doctrinæ capitibus habes *lib.* 3. Part. 3. Hiſt. Albigens.

VIII. *Nomina paſtorum* Eccleſiarum VValdenſium longa ſerie recenſet idem *Perrin.* lib. 1. c. 9. modum item vocationis ad Miniſterium Eccleſiaſticum, & Zelum, quem in officii functione VValdenſium præcones probârunt, Id. c. 10. Confer. *Rebirianum*, Catal. Teſt. verit. l. 15. p. 560. De variis, ſed irritis planè Monachorum conatibus, in reducendis ad Papatum Eccleſiis VValdenſibus, crebriſque eo nomine inſtitutis diſputationibus agit *Gill.* lib. cit. p. 26.

IX. *Doctrinam VValdenſium longè lateq; mox fu-*

iſſe

iſſe diffuſam, ne ipſi quidem diffitentur Pontificii; conſule *Narrat. de Introduct. hæretic. in vallem Pedemont.* Marci Aurelii Rorenci, Italicè Taurini 1632. editam p. 20. *Platin.* in Innoc. III. ajt, *inoleviſſe eorum hæreſin*, Hinc querela Concilii Lateranenſis, *quòd in Guaſconia, Albigeſio, & partibus Toloſanis hæreticorum, quos alii Catharos, alii Patarinos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant; invaluerit damnata perverſitas, ut jam non in occulto, ſicut aliqui, nequitiam ſuam exerceant, ſed ſuum errorem publicè manifeſtent, & ad ſuum conſensũ ſimplices attrahant & infirmos.* Bar. an. Chr. 1179. S. 3. *Reinerus* fatetur, *nullam ferè terram eſſe, in qua hæc ſecta non ſerpat.* Confer *Faſcic. temp.* ſup. pag. 282. *Cum enim Lugduno pellerentur* (verba ſunt auth. *Catal. Teſt. Verit.* p. 536.) *aufugerunt partim in varias Galliæ partes, præſertim in Narbonenſem provinciam: partim, & quidem plures, in Lombardiam, Italiæ provinciam, quam* Romani *citeriorem* Galliam *vocârunt. Habeo conſultationes Iuriſperitorum Avenionenſium, item Archiepiſcoporum Narbonenſis, Arelatenſis &* Aquenſis, *item ordinationem Albanenſis Epiſcopi de extirpandis VValdenſibus, jam ante annos* 340. *ſcri-*

T 2 ptas,

ptas, ex quibus apparet, plurimos paſſim in tota Gallia fuiſſe (confer Mar. tab. de diff. Rel. P. 3. c. 11. p. 444.) *Fuit & integrum Concilium Toloſæ contra VValdenſes celebratum, circiter ante annos* 345. *ſed prius in alio Romæ celebrato damnati fuere. Ampliſſimum verò numerum fuiſſe jam olim VValdenſium, graviſſimasq; contra eos perſecutiones inſtitutas, facilè ex prædicta trium Archiepiſcoporum Gallicorum conſultatione ante annos* 340. *ſcripta apparet. Nam ſub finem ejus ita ſcribunt*: Quis enim eſt ſolus ille peregrinus, qui condemnationem hæreticorum VValdenſium ignoret à longis retrò annis tam juſtiſſimè factam, tam famoſam tam publicam, &c.

X. *Variis decretis, diris anathematiſmis*, perpetuis bellorum undis, perſecutionumq; procellis VValdenſes *agitatos fuiſſe*, vexatos atque jactos, docet idem *Perrin*, lib. 2. Hiſt. VVald. c. 1. & deinc. Recenſentur ibi ordine perſecutiones contra VValdenſes motæ in Delphinatu, Pedemontio, Marchionatu Salucæo, Calabria, Provincia, Bohemia, Auſtria, Germania, Anglia, Hiſpania, Flandria, Polonia, Pariſiis, Italia. In Dalmatia Croatia, Sclavonia, Conſtantinopoli, Græcia, Philadelphia, Livonia, Sarmatia, Bulgaria, liberiori aëre fruebantur. Illi præſertim VValdenſes, quos à loco *Albigenſes* vocabant, diuturno bello

bello erant attriti. Ipſe Dominicus, Dominicani ordinis autor, ſuam in iis vexandis & extirpandis Pontifici addixit operam. Cui tamen tantò difficiliùs fuit florentes Albigenſium opprimere cœtus; quantò majora illi in dies ſua habuerunt incrementa, non à plebejis tantùm, ſeu magni nominis viris, heroibus etiam, ceu videre eſt apud *Perrin.* in Hiſt. Albig. lib. 1. p. 3. quo ferè libro toto Albigenſium tantùm bella & perſecutiones enarrantur. Confer etiam *Sigon.* lib. 14. an. Ch. 1180. ubi decretum Alexandri contra Albigenſes latum recitatur. *Baron.* an. Ch. 1178. S. 17. & deinceps. *Relat. Congreg. de propag. fide.* cap. 14. ubi etiam prolixè Tholoſanorum res geſtæ deſcribuntur. Habet inſuper nonnulla *Beza* in Iconib. & *Petrus Gillius* in Turri Evang. P. 1. c. 11. *Marnix.* Tab. de differ. Rel. P. 3. c. 12. quo toto VValdenſium & Albigenſium ſcripta, mores, perſecutiones, Scholæ, diſputationes ita luculenter deſcribuntur, & ab adverſariorum calumniis vindicantur; dogmata etiam tum ex antiquiſſimis VValdenſium Manuſcriptis, tum ex Pontificiorum monumentis adeò fideliter eruuntur, ut, memorabili illi de VValdenſibus Hiſtoriæ, tractatio hæc non mediocrem lucem fœneretur.

XI. Exorto in vicina Helvetia optatiſſimo Reformationis ſidere, ipſos quoque VValdenſes *Barbas* i. e. *patruos* (ita autem miniſtros ſuos appellare conſueverant) quatuor, duos in Helvetiam, vicinamque argentinam, duos Neo-

comum miſiſſe, conſilium de inſtaurandis Eccleſiis petituros, *Beza* in Iconib. Atque horum ſumptibus prima illa Bibliorum ex Hebræo, per Petrum Robertum & Johannem Calvinum facta translatio Gallica; Neocomi prodiit anno Ch. 1535.

Tu verò, Chriſtiane lector, ut videas, easdem ſemper τῆς μυελοπίχνε ad ſopiendam veritatem, eſſe artes, agnoſce mecum παραλληλισμὸν duri utrinque fati, diræque ſortis, quâ & primitiva, & VValdenſium, utraque Chriſti Eccleſia, fuit preſſa.

I. Quemadmodum in primitiva Eccleſia, nihil confingi potuit, neque in dogmatibus, neq; in moribus, tam portentoſum tamque abſurdũ, quod Chriſtianis non fuerit impactum. Illa etiam, quæ impuriſſimorum Gnoſticorum erant ſomnia, & igne expianda ſcelera, innocentiſſimis tribuebantur Chriſtianorum cœtibus: Ita quoque VValdenſibus caput vix efferentibus inſidiæ ubique paratæ erant, calumniæ & convitia, quaſi novus quidam impietatis imber per eos in orbem eſſet miſſus.

II. In primitiva Eccleſia ad mortem ſine diſcrimine catervatim rapti erant, qui vel de ſolo Chriſtiano nomine, quo lernam ſimul & ſentinã omnium vitiorum contineri rudis credebat plebecula, deferebantur: Eadem etiam ratione, qui VValdenſem hoc ſeculo vocavit, eundem ille, quaſi hominem nequiſſimum, turpem hæreticum

cum indignum quem terra ſuſtineat, igni proinde, aquæ, laqueo addicendum, omnium injuriis expoſuit atque libidini.

Sed & hoc obſerva, quòd, quemadmodum Reformationi Majorum occaſionem, præter cætera, dedit tum ignorantia cleri, tum ejusdem in vita enormitas, atque impudentia; ita & VValdus ejusque aſſeclæ anſam indidem arripuerint vitæ in melius mutandæ: quot ex illis perſpicuè ſatis colligi poteſt, quæ modò præmiſimus.

Sed quorſum hac, inquias? Quid nos juvat, *VValdenſes* pauca quædam habuiſſe Confeſſioni noſtræ congrua? Sociniani, Anabaptiſtæ, aliiq;, à Reformatis pridem damnati, hæretici non minùs Papam averſantur & Papatum, quàm Orthodoxi, num propterea hi illorum ambiunt amicitiam, aut Syncretiſmum? Nec vitam, nec dogmata VValdenſium ita eſſe comparata, ut multum de mutuo nobis gratulari poſſimus cõſenſu,. De *Henricianis* conſtare, Simoniacos eos eſſe, ac proinde toto orbe infames. Græcos ſuum haud obſcurè teſtatos in Eccleſiam Romanam animum, tùm alibi, tum verò maximè Epiſt. ad Hadria. Papam, quæ in annal. *Bar*. a. Ch. 1155. S. 33. extat. Cæteros manipulum eſſe Schiſmaticorum, quorum vel ſola mentio piis & cordatis ſit execrabilis. Cur igitur in abjecta hac & contempta ubique turba tantùm nobis blandiamur? *Reſp.* 1. De *VValdenſibus*, ſeu *Albigenſibus* (etſi enim non modò à Pontificiis, *Gault*. & aliis,

ſed & à Reformatis, *Marnix.* diſtinctè ponantur, eorundemque dogmata ſeparatim etiam recenſeantur, *Perrin.* Hiſt.Alb.1.c.1. *Gaul.* loc. cit, iidē tamen ſunt, ſolo loci tractu differentes) jam dictum eſt, clarè ſatis & perſpicuè quid de eorum doctrina, tum moribus haberi poſſit, & debeat. Quia verò hanc totius adverſarii movent camarinam, planius iis oſtendendum eſt, quàm illud faciant magno ſuo malo. De *moribus* nihil addemus; & ex Pontificiis Reformati, *Perrinus*, *Gillius*, *Marnixius*, libris citatis, adeò ut dolendum ſit, *Theodorum Belevederenſem* in Turri cont. Damaſc.p.55. tot manifeſtis apologiis, noſtra demum ætate, à convitiis ſolitis deterreri non potuiſſe. *Doctrinam* eorum aliquot ſuprà theſibus expreſſimus. Bona autem fide illud à nobis præſtitum eſſe, ne ipſi quidem æquiores negabunt Pontificii, ita à ſuis quoq; Antiſtitibus edocti, vide *Maxnix.* lib.cit.p.452.& deinc. Cætera, quæ illis affinguntur, putida ſunt mendacia, publicis VValdenſium confeſſionibus maſculè profligata. Sed videamus ſingula.

I. *Albertus de Capitaneis*, *Ramerius*, & alii, ſopitam veterum Gentilium calumniam, de *inceſtis concubitibus*, refricant, & VValdenſium cœtibus imputant. Sed atrociſſimum hoc eſſe commentum, patet ex literis *Apologet.* ad Regem Lancelaum, vel Ladiſlaum in Hiſt. *Perrin.* p.14. ex libro item, *de remedio contra peccatum luxuriæ* c.21. p.15. confer *Marnix.* lib.c.456.

II.Se-

II. Secundam calumniam, quòd *libera nimis* cuique arbitraria ſint *divortia*, diluerunt *lib. de Virtut. c. de matrim.*

III. *Communionem bonorum, & mulierum*, quæ de iisdem ſpargitur, damnant, tum eodem libro, tum etiam praxi, cujus exempla occurrunt apud *Perrin.* lib 1. p. 17.

IV. *Pædobaptiſmum* perſpicuis ſatis aſſerunt verbis in *Calendario ſpirituali*, fol. 45. Eum igitur à VValdenſibus negatum eſſe aut prohibitum, protervè fingitur. Interim non inficiamur, maluiſſe, ſæpe VValdenſes baptiſmum infantum ſuorum; Miniſtris Eccleſiarum longis intervallis à ſe invicem diſſitarum viſitatione occupatis, ad eorundem reditum differre, quàm ſacrificulis eos committere, quòd cùm obſervâſſent adverſarii, ipſum ſtatim Pædobaptiſmum à VValdenſibus tolli, clamârunt.

V. Ab *adorationis cultu*, quo Barbas, ſeu Miniſtros ſuos affeciſſe credebantur, eos vindicat Expoſitio primi præcepti, quæ à VValdenſibus pridem fuit adornata. Unde nec Albertus de Capitaneis ullis tormentis, aut fidiculis, Idololatriæ hujus apertam confeſſionem extorquere ab iis potuit.

VI. *Legitimo juramento*, contra communem Pontificiorum calumniam, ſuum apud VValdenſes eſſe locum, & Scripturæ dictis probant, & exemplis, *Calend. Spirit.* in Expl. 3. præc.

VII. Improbâſſe VValdenſes *militiam crucia-*

tam contra Saracenos, adeò ut ipſum quoque Papam moraliter hoc nomine peccare tenuerint, vulgi vox erat. Verùm, non tam bellum Saracenicum, quàm malas illas artes, emungendi pecuniam, præſtigias imponendi Chriſtianæ plebeculæ per vanas Pontificum indulgentias; crudelitatem, in ipſos quoque fideles ſæviendi, VValdenſibus diſplicuiſſe, ipſi ſatis perſpicuè verbis ſuis declarârunt, *lib. de Cauſ. Separat. ab Eccleſ. Romana* p.235. Interim tamen, fuiſſe hanc militiam cruciatam compendium ſedis Romanæ, non modò corradendi nummos, ſed & vindictam exercendi larga nobis adverſarii concedunt manu. Vide *ſup.* p.228. Confer *Perrin.* p.22.

VIII. *Reverentiam* omnem *locis ſacris denegare* VValdenſes, ita ut non majori ducant religioni Ædem comburere ſacram, quàm aliam quamlibet cauſam, calumnia eſt, inde nata, quòd tradiderint, *non locum, ſed vitæ innocentiam hominem reddere ſanctum*: lib. de *Cauſ. ſeparat.* pag.125.

IX. Quòd *officio ſuo Magiſtratum* contra ſcelera & ſceleratos (ut calumnia habet) *non ſpolient*, facilè eorundem evincunt verba VValdenſium, *ex Lum. & Theſaur. fidei* p.214. à *Perrino* p.24. depromta. Interim tamen ipſis quoque Magiſtratibus, Monachorum & Sacrificulorum iniquis quiritationibus, ad trucidandos obvios ubique VValdenſes ſolicitatis, exprobratam fuiſſe crudeli-

delitatem, patet ex querela illa, ſcripta ad Lan-
cel. vel Ladiſl. Hungar. & Bohemiæ Regem.

X. *Obedientiam* etiam Magiſtratibus debitam, ſpontè & ultrò deferendam, contra ſycophantas publicè aſſeruerunt, lib. de Cauſ. Separ. p. 41.

XI. *Manichæorum deliria* fruſtra illis objici, elucet ex art. 2. *Theſaur. fid.* ubi, quid de unico illo & æterno principio, creatore cœli & terræ, do-
ceant & ſentiant ἀναμφιλέκτως exprimitur. Ori-
go calumniæ inde nata, quòd non admitterent
abſolutū & tyrannicum illud Papæ in Imperato-
rem & Reges Dominium, quod *Bonifacio* VIII.
negare, fuit cum Manichæis fingere duo princi-
pia; *De Major. & obed. Can. un. ſanct.* l. 1. p. 204. Ni-
ſi fortè; quod mihi quidem à vero non multum
abludere videtur; Catharorum, Gnoſticorum
& Manichæorum appellationem inditam illis
eſſe malis à reliquiis iſtarum ſectarum hinc in-
de adhuc ſparſim delitefcentibus, & nomini
Chriſtiano planè exoſis. Neq; enim alia ratione
majus creari potuiſſet VValdenſibus periculum.
Quemadmodum enim Chriſtiani, in primiti-
va Eccleſia, ut licentius in eos graſſari liceret, peſ-
ſimorum hæreticorum nomine veniebant; ita,
& VValdenſes & Reformati Anabaptiſtarum,
ſeu Catharorum, Libertinorum Schvvenckfel-
dianorum, Socinianorum, aliorumque malè de
fide Chriſtiana meritorum cætibus accenſeban-
tur, hac una de cauſa, ut execrabiles ſatis eſſent
& omnium diris expoſiti. Ejusdem comma
tis

tis ſunt reliquæ etiam calumniæ, quòd, *quacunque bona fiunt intentione, bona ſint; quòd copiam cuiq; faciant occidendi ſacrificulos decimisq; eosdem defraudandi, ſortilegia exercendi*, quæ omnia ipſis VValdenſium verbis refutat *Perin.* lib. cit. p. 26. & deinc. Hæc de VValdenſibus.

II. De *Henricianis* i. e. omnibus illis, qui Henrici IV. ſucceſſorumque ejus contra Papam, tuebantur authoritatem, anathemata ejus condemnabant; (ſunt enim & alii *Henriciani*, Waldẽſes, ab *Henrico* præcone denominati, cujus hiſtoriã, dogmata & aſſeclas recenſent *Baron.* a. Ch. 1147. S. 12. *Gault.* Sec. 12. pag. 659. quo etiam reſpectu illos ab his idem diſtinxit) non ſufficit dixiſſe, Simoniacos eos fuiſſe indignos proinde, quorum vel conſenſus urgeatur, vel patrocinium ſuſcipiatur; rationibus, opus eſt, aut teſtimoniis, quibus tam gravis Henricus ſceleris convincatur. Cùm a. Ch. 1106. conventus Moguntiæ indiceretur, ibique inſignia deponere à Moguntino, Colonienſi & VVormatienſi Antiſtitibus juberetur, propterea quòd teterrimo diſſidio multos jam annos Dei Eccleſiam laceraſſet, Epiſcopatus, Abbatias, omnesque dignitates Eccleſiaſticas venales habuiſſet; reſpondiſſe fertur Rex: *Quoniam me Eccleſiæ dignitates vendidiſſe arguitis, quæro de vobis, Moguntine & Colonienſis, quam à vobis mercedem ex-*

egi, cum vos veſtris Eccleſiis præpoſui, quas omnium ampliſſimas eſſe, ac fructuoſiſſimas conſtat? Negantibus illis, eum aliquid exegiſſe. Cur igitur, inquit, ſi officium erga vos retinui, aut me hujus criminis incuſatis, aut vos duces ſociosve eorum præbetis, quis fidem ac jusjurandum Regi *datum fefellerunt?* Sigon. de reg. Ital. lib. 9. p. 238.

III. *Græcorum* res quemadmodum nutare paulatim cœperunt, ita mirandum non eſt, ſi, ut ſaluti temporali & honori ſuo conſulerent proceres nonnulli utriusque ordinis, religione etiã ipſa Latinorum mercari conſtituerunt favorem, ut dictum eſt ſuprà. Aliam tamen & clero & vulgo mentem fuiſſe, ipſi quoque harum rerum, parùm aliàs curioſi indagatores, obſervârunt Judæi. Unde R. *Benjam.* in Itin. p. 24. *Hic* (Cõſtantinopoli) *etiam eſt templum Sophiæ, & Græcorum Papa, quia religione Papæ* Romani *non conſentiunt.* Huc facit, quòd *Nectarius* (de cujus vita & eruditione conſulatur *Georgius Metrop. Corzyræ* apud *Bar.* a. Ch. 1180. *S.* 29.) in Concilio Romano, *Bar.* teſte an. Chr. 1179. *pro Græcorum erroribus ſteterit obſtinatiſſimè.* Confer eundem a. Ch. 1183. S. 10. de *horrendis* Græcorum *ſacrilegiis.* Ex quibus abundè ſatis conſtat, quòd etſi manifeſtos nonnullos contra Chriſtianam pietatem Eccleſia Græca defenderit errores

(qua-

(qualis eſt de proceſſione Sp. S. à ſolo Patre, qui non minori zelo à Reformatis oppugnatur, quã ab ipſis Pontificiis) rectè tamen in aliis Græcorũ συμβίβασιν urgeri. Epiſtola *Baſilii Archiep. Theſſal.* ad Adrianum Papam, *qua ſe non abſciſſum ab Eccleſiæ Catholicæ unitate profitetur, licèt à quibusdam ritibus diſcreparet Orientalis Eccleſia ab Occidentali* (unde & *Petrus Cluniacenſis,* & *Bernhardus,* Græcos *fide* ſuos vocant) *ſimulq;, ut Papa authoritate ſua, de ſe, tanquã ovibus errantibus cogitaret reducendis*, monet, tam non publico Eccleſiæ conſenſui tribui debet, cui poſtea Nectarius fortiter ſe oppoſuit; quàm non fraudi fuerunt Græcis, quæ Beſſarion Archimandria aliquando Florentiæ Papæ largitus eſt.

IV. *Manipulum* illum *Schiſmaticorum* (ſic vocant adverſarii Pontificum ſuorum Antagoniſtas) qui Antipapas ſunt ſectati, meritò certa quadam ratione pro nobis ſtare dicimus. Etſi enim, quæ tunc orbem invaſerant & occupârant tenebræ, non diſtinctè omnia cognoverint, aut pretioſum à vili ſeparârint, iis ſimiles, qui carceribus obſcuris dimiſſi, radios ſtatim ſolis tolerare non poſſunt: aut qui in avia delapſi animadvertunt quidem à recta via ſe aberrare, regiam tamen ſemitam non æquè facilè inveniunt; vident nihilominus, tyrannicam eſſe poteſtatem illam, quam ſibi Pontifices vendicabant: eos, qui Chriſti vicarios ſe jactabant, Antichriſtos

eſſe,

eſſe, indignos quorum decretis & arbitrio ſtetur: id quod, ut Sec. 10. S. 5. p. 205. & deinc. diximus, multum omnino erat. Coronidis tandem loco placet magnos illos cœli Papiſtici Atlantes inteſtinis committere bellis. Quia enim Hæreſeos notam omnibus illis inurunt, qui Antipaparum partes tutantur: Unde in *Concilio Lateranenſi*, an. Ch. 1179. habito, Epiſcopi Germaniæ & alii, qui contra Alexandrum ſecuti fuerunt Imperatorem, Schiſma abdicantes, veniam ſupplices poſtulârunt, hac præſcripta formula: *Ego N. anathematizo & recuſo omnem* hæreſin *extollentem ſe adverſus* R*omanam Eccleſiam, præcipuè verò Schiſma Octaviani, Guidonis & Iohannis, &c.* operæ pretium erit inquirere qua illud faciant fronte? aut rationum certitudine? quæro igitur, quibus notis diſcernendi tandem ſint veri Papæ ab Antipapis? Si electione dicant: At contigit ſæpe, *ut* A*ntipapæ electio magis legitima fuerit, quæ & prior, & ſine violentia, præterea omnium Cardinalium conſenſu eſſet.* Talis fuit electio *Theobaldi Buccapeci*, qui *Cœleſtini II.* nomen fuit ſortitus. Hic tamen abdicato Papatu, ad quem legitimè erat ordinatus, Honorium *vi electum* venerabatur; *Onuph.* pag. 94. Et p. 99. *Theobaldus Buccapecus in Schiſmate ante* H*onorium II. creatus,* tanquam vir bonus & ſanctus licèt potiores in

Ponti-

Pontificatu, quàm Honorius II. parteis habuerit, & ab omnibus Cardinalibus in Papam electus eſſet, *nihilominus* violentæ electioni Honorii II. à Laicis *in Pontificem ſummū maximumque rogati, authore* Roberto Fregepane, *conſentiens, eo die Papa depoſuit.* Nonnè hoc eſt Papa legitimè; ſecundùm Pontificios; electo detruſo, obtrudere Antipapam?

Si ad *miracula* nos rejiciant; & ex *Bernhardo* Abbate bonæ vallis, *magnis ſignis Schiſmaticos confuſos*; obtendant; *Baron.* an. Chr. 1130. S. 65. Caſſinates tibi oppono, Schiſmaticus hoc non minus ſytmate ſuperbientes, *miraculosè Eccleſiæ fores apertas* à ſe inventas ſpargentes. *Id.* an. Chr. 1136. S. 7. Et an. Chr. 1100. S. 1. *Ipſe Schiſmaticus* Antipapa *Guibertus exultans, ac inſultans pariter, quòd tres ipſo vivente atq; in Petri Cathedra conſidente, Deo vindice eſſent extincti Pontifices.* Si ad *nomen* & *aſſeclas*, quibus non parùm in ejusmodi certaminibus tribuere ſolent, Pontificii, te convertas, ipſi etiam, quos tanquam Antipapas alii averſantur, à pluribus ceu veri, Canonicéque electi Papæ, Chriſtiq; vicarii coluntur. De *Anacleto* Antipapa ſcribit *Petrus*, Portuenſis Epiſcopus: *Hanc ego electionem canonicè celebratam conſpexi, & authore Deo, confirmavi. Hunc Eccleſia ſuſcipit*

ſcipit & veneratur, hunc per Dei gratiam Epiſcopi & Abbates, Principes, Capitanei, & Barones, quidam per ſe ipſos, quidam per nuncios ſuos, videntibus nobis; frequentant. Deprædationem illam & crudelitatem (de qua agitur an. Chr. 1130. S. 4. 5.) *quam prætenditis, non videmus.* Redite *jam; redite ad cor. Nolite ſchiſma in Eccleſia facere, &c.* Ipſe *Anacletus,* literis ad Lotharium Regem, ſcribit, *quosdam de fraudibus, loco & tempore vitioſos, & pauciſſimos numero, quorundam perfidorum blandis aſtutiis ſuffocatos, aliud altare exigere, &c.* Omnem clerum Romanum, nobiles omnes, plebem inſuper, individua ſibi cohærere charitate, *Baron.* a. Ch. 1130. S. 11. 13. & deinc. Et a. Ch. 1131. S. 5. fragmentum eſt Epiſtolæ ejusdem ad amicum Gallum ſcriptæ, ubi inter alia: *ut tibi omnia breviter perſtringamus, glorioſus filius noſter* Rogerius, *Dux* Apuliæ, *ad pedes noſtros humiliter veniens, nos Papam Catholicum & legitimum Dominum ſuum, prædeceſſorum ſuorum more, recognovit.* Archiepiſcopi, *Abbates omnes* Apuliæ, *Calabriæ, ſicut omnis etiam Orientalis Eccleſia, Hieroſolymitana, Antiochena & Conſtantinopolitana nobiſcum ſunt, & nos viſitant & frequentant.* Adde, quòd munia etiam illa, quibus cæteris Præſuli-

 bus

bus & Antiſtitibus Papa antefertur, Anacleto tribuantur. Sed ſurdo narrabatur fabula. Ne hilum quidem apud illos proficiebatur, quibus Innocentius II. placebat. Hic Chriſti Vicarius erat, ille Antichriſtus, vide *Baron.* a. Ch. 1130. S. 6. cùm tamen Innocentius *ſuffragia ſua pecuniâ emerit, adeoque artibus Simoniacis Sedem Romanam invaſerit*, teſte *Onuph.* lib. 2. p. 107. Quæ, quæſo, documenta, quæ κριτήρια legitimorum deſiderant illi Paparum, quæ meliùs longè cernere non liceat in Antipapis, quibus *Romanam Eccleſiam penè ſubverſam eſſe*, *Geneb.* an. Chr. 1180. conqueritur? Et tamen ſuæ quiſque parti ita ſtrenuè locârunt operam, ut vitam citius amitterent, quàm præjudicia ſua caſtigarent, aut mentem mutarent. Quò quis pertinacior fuit in propoſito, eò faciliùs; quod voluit, conſequebatur. Si quos juramenti vinculum urſit & uſſit, parati mox erant, qui ejusmodi nodos ſecarent: Cùm *Bernhardus* Romæ in ſermonem ſe ac conſuetudinem hominum inſinuans reperiret, clerum pertinaciam retinere, quod contractam infamiã exhorreſceret, propinquos *Anacleti*, quòd Principem familiæ ſuæ dehoneſtare non ducerent convenire, reliquos verò, quod ſe Sacramenti religione aſſererent obligatos, *Nolite dubitare*, inquit, *nam omnes impietatis collationes ſacrilegæ ſunt, nec jure jurando ullo fulciri poſſunt: neq; convenit, ut veritа-*

ritatis Sacramenta ulli mendacio ſuffragentur. *Sig.* an.Ch.1137. Ita oculatiores etiam in rebus dubiis ſatis & incertis ſuadebant. Ex Bernhardo interim, quid adverſatiis, perjurium toties Majoribus noſtris exprobrantibus, eſpondendum ſit, obiter hîc diſcamus. Cætera, de ſingulis religionis Chriſtianæ capitibus, nobis ὁμόψηφα judicia, deſumi poſſunt ex *Catal. Teſt. Verit.* lib. 14. & 15. quibus plerorumque Seculi hujus Scriptorum analyſis pertexitur. Confer quæ ſuprà dicta ſunt p.169. ex *Bernhardo.*

SECTIO VI.

De

ECCLESIA FALSA.

Falſa Eccleſia, toto orbe diffuſa, Antichriſtiana fuit, Pſeudo-Chriſtiana, Gentilis & Judaica.

De ſingulis jam ſuprà actum eſt, præſertim Seculo undecimo, quibus nihil addimus: quæ *Gaulterius* in Catalogo Hæreticorum ex *Baronio Genebrardo*, & aliis habet, aut falſa ſunt aut impia, aut planè ſuſpecta, aut alibi à nobis propoſita, quibus proinde lectorem morari nolumus.

SECULUM XIII.

SECTIONES ejus ſunt ſex.

I. De Chriſtianiſmo.
II. De Muhammediſmo.
III. De Gentiliſmo.
IV. De Judaiſmo.
V. Doctrinæ Συμβίβασις.
VI. De falſa Eccleſia.

SECTIO I.

Seu

CHRISTIANISMO.

Sequitur ſeculum *decimum tertium*, cujus tractationem Hiſtoricam à variis ſignis ordimur, atque portentis.

Cujuſmodi ſunt 1. *Terræ motus*, qui hoc ſeculo adeò magni fuerunt, ut ne quidem in civitatibus tutò manere licuerit, *Faſcic. temp.* p. 83. a. Præſertim an. Chr. 1222. quo & Germania, & aliæ provinciæ graviter fuerunt concuſſæ. In Cypro duæ urbes everſæ, in Italia verò nemo in urbibus metu ruinarum nocte permanſit. Brixia urbs

ferè

ferè tota ſubverſa eſt. *Thrith.* Et an. Ch. 1298. ſub Bonifacio VIII. de quo *Siffridus.* Hoc *anno in diverſis civitatibus multas turres & domus ſubvertit, quarum ruina multi homines utriusq; ſexus obruti & perempti ſunt. Papa, dum altari, divina celebraturus, aſtaret, ſubito terra horribili motu & ſtritore concutitur, parietes baſilicæ quatiuntur, lapides collis ad invicem diſſecantur. Papa ex huiusmodi ſtrepitu terribili defecit viribus, & licèt vallatus eſſet turba Cardinalium & militum, inter manus miniſtorum corruit.* Sic *Platina*: *Et ne exiſtimares, tum Deum cum hominibus pacem habuiſſe, tantus repente terræ motus exortus eſt, quantus nunquam antea; quo quidem multis diebus per intervalla plurima durante, ædificia paſſim corruere.* Anno 1248. Horribilis terræ motus fuit in Sabaudia, quo plurimæ urbes & pagi corruerunt, & montibus obruti ſunt, perierunt ad novem millia hominum cum animantibus innumerabilibus; *Par.*

II. *Cometæ.* Viſus fuit Cometa eo ipſo anno, quo magnus ille terræ motus Italiam quaſſavit, 1298. *Plat.* qui addit, *magnæ futuræ calamitatis fuiſſe indicium. Ioh. Vitoduranus* ad an. Ch. 1262. Jn Braunſchweig *ſtella cometes apparuit à feſto* Mariæ Magdalenæ, *ad feſtum Auguſtini.*

Author. faſc. temp. p. 82. b. *Cometa viſus eſt ſignum mali: quia plura ſecuta ſunt afflictiva Chriſtianitatis.* Et pag. 83. *Cometa apparuit, & ſequitur ſtatim bellum Flandriæ.* Huc pertinet *ſtella* illa inuſitata, de qua *Calviſ.* an. Chr. 1245.

III. *Maris & fluviorum eluvies.* An. Chr. 1218. In Friſia mare ſuis finibus egreſſum totam Friſiam ferè inundavit, & ad centena hominum millia perierunt; *Trit. Author. faſc. temp.* ait, *factum illud eſſe propter irreverentiam illatam ſacramento, à quodam pugile, ſicut revelârit D.* Maria. Ita *Chronic. Traj.* notant an. Ch. 1287. d. 14. Decemb. *Friſiam totam mari fuiſſe inundatam.*

IV. *Ruptura montium.* An. Chr. 1241. Mons in Burgundia à montibus dehiſcens, vallesque coarctans, multa millia agricolarum miſerè oppreſſit. *Chro. Hirſaug. temp.* p. 80. b. De *fame*, in Gallia graſſante, *peſte* item trienni, tertiam pecorum partem aſſumente, videatur *Genth.* a. Ch. 1123. 1227.

V. *Monſtra*, terreſtria & marina. *Faſcicul. temp.* p. 82. a. *Piſcis marinus in ſimilitudine leonis captus fuit anno primo* Martini *Papæ, & dabat planctus horribiles, & adductus in urbem veterem, cunctis oſtenſus eſt: quemadmodum monſtrum hoc, vulgo interpretantes eſ-*

ſe

ſet ſignum futuri diſſidii. Quod & factum eſt, quia ſtatim poſt, Sicilia, interfectis alienigenis & fatibus in materno utero occiſis, crudeliter ab obedientia Caroli ſui Regis, & per conſequens Eccleſia, receſſit, & Petrum Arragonum Regem *aſſumſit, & multa mala ſecuta ſunt: Et in urbe partialitas ſurrexit, quod Vrſini contra* Hanibaldos *cum multa ſanguinis effuſione pugnârunt.*

II. Succedit adminiſtratio R*eipublicæ*, cujus in Imperio Conſtantinopolitano, ſeu Græco triſte fuit fatum. Omnium enim, procerum maxime creſcente [*a*] iniquitate, rapacitate, [*b*] luxu, ſtudioque [*c*] commodi privati: Vacantibus inſuper Comnenis præpoſteræ [*d*] dominandi libidini, [*e*] avaritiæ, profuſionibus, [*f*] comeſſationibus, aleæ, [*g*] auguriis, via tandem Latinis non Conſtantinopolin tantùm [*h*] obſidendi, expugnandi, & expilandi; ſed ipſum quoque regimen [*k*] ad ſe transferendi, idemque ad tempus [*l*] retinendi, fuit ſtrata.

[*a*] Unde querela *Nicet. Choniat.* p. 246. ἔτως ἐκ τῆς τῶν εἰς ἡμᾶς ῥωμαίων γενεᾶς ἐχ ὅπως ἐκλέ-

λοιπὸν ὅσιος, καὶ ὠλιγώθησαν αἱ ἀλήθειαι. ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν ἀπεψύγη τῶν πολλῶν ἡ ἀγάπησις, ὡς τὴν παρὰ βαρβάροις ἀποικίαν πόλεις ὅλας ἑλληνίδας ἑλέσθαι, καὶ τῆς πατρίδος ἀσμένως ἀλλάξασθαι. Αἱ γὰρ συχναὶ τυραννίδες τοῖς ὑπ' ἀρχὴν τὸ σώφρον τῆς διαίτης ἐξέκρουσαν, καὶ ταῖς ἁρπαγαῖς τῶν κρατούντων οἱ πλείους ἐγγυμνασάμενοι, οὐδέν τι πρὸς τοὺς ὁμοφύλους μέτριον ἐνενόουν καὶ διεπράττοντο, id eſt, *Sic ab ortu* Romanorum *ad noſtra uſque tempora, non modò ſancti defecerunt, & veritas imminuta eſt; Verùm etiam, ob iniquitatem multiplicatam, veritas refrixit, ut integræ civitates* Græcæ, *patriâ cupidè relictâ, ad Barbaros, in colonias abierint. Nam crebræ tyrannides ſubditis ſobriam vivendi rationem extorſerunt, & plerique Imperatores rapinis aſſueti, nihil in ſuos moderati vel cogitârunt, vel fecerunt.*

[b] Id. p. 268. Ἤδεσαν γὰρ ἐκ μακροῦ τὴν τῶν Ῥωμαίων (οἱ ἑσπέριοι) ἀρχὴν ἐν μηδὲν ἕτερον περιέχουσαν, ἢ κραιπάλην καὶ μέθην, καὶ τὴν Βυζαντίδα Σύβαριν ἀτεχνῶς τὴν ὑμνουμένην ἐπὶ τρυφῇ, id eſt, *Nam Occidentales multò antenôrant,* Romanum *Imperium jam nihil aliud eſſe niſi crapulam & ebrietatem, nec aliud eſſe Conſtantinopolin, quàm Sibarim illam luxu celebrem.*

[c] Id. p. 275. τοῖς γὰρ Ῥωμαίοις τὴν ὕφεσιν ἐπιχαλῶντες

λῶντες ὀργὴν ὡς περιέπουσι μὲν τὰ οἰκεῖα, κοινοῦσι δὲ τὰ τοῦ θεοῦ id eſt, *Romanus iram Dei imminere vaticinabatur, quòd rem privatam curarent, divinam verò polluerent.*

[d] Id. p.262. εἴτι γοῦν αἰτιώτατον τοῦ τὴν ῥωμαίων ἀρχὴν ἐς γόνυ καταπεσεῖν, καὶ χωρῶν καὶ πόλεων χειρώσεις παθεῖν, ὕστατα δὲ καὶ αὐτὴν ἐξαπολωλέναι, τοῦτο οἱ ἐκ Κομνηνῶν γεγόνασιν ἐφιέμενοι καὶ βασιλειῶντες. παρὰ γὰρ ἔθνεσι καταλύοντες μὴ φιλορωμαίοις νόσοι τῆς πατρίδος ἦσαν πανώλεια, καὶ περὶ ἐν τῷ παρ' ἡμῖν μένειν πράγμασιν ἐγχειρήσειν, ἐλεῶντι καὶ χειριστήσειν ἀνεπιτηδειότατοι ὄντες καὶ πάντων ἀχρειότατοι, id eſt. *Quod ſi ulla graviſſima cauſa fuit, cur Romanorum Imperium labefactatum, urbes atque provincias amiſerit, & ipſum denique corruerit, Comnenii regni cupiditate, ad hoſtes deficiendo, eam ſuppeditârunt. Nam cum ad gentes Romanis inimicas confugerent, patriæ pernicies erat, quanquam apud nos rebus gerendis, & adminiſtrando Imperio ineptiſſimi & ſtolidiſſimi.*

[e] Id. p.297. Οἱ Ἀγγελώνυμοι κασίγνητοι καὶ ἄλλοις μὲν πλημμελῶς διῴκουν τὰ τῆς ἀρχῆς, ὡς ἤδη λέξαντες ἔχομεν, μάλιστα δὲ φιλοχρηματίαν νοσοῦντες, οὔτ' ἀπὸ δικαίων πόρων πλουτεῖν ἠνείχοντο, οὔτε διανεῖχον τὰ συλλεγόμενα, ἀλλ' ἐξέφερον ἀμφοτέραις. καὶ τὰ καὶ βέλτιστη μὲν θεραπεία καὶ κόσμῳ πολυτελεῖ σώματος, πλέον δ' ἀπεπωλοῦτο, πρὸς ἑταιρί-

δας καὶ συγγενεῖς ἀλυσιτελεῖς παντάπασι τῷ κοινῷ οὐ μόνον τοίνυν τὰς ῥωμαΐκὰς πόλεις ἐσκαλαμῶντο καὶ ἀπεφύλλιζον, διερεταὶ τῶν καινῶν εἰσφορῶν καθιστάμενοι, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἐκ φυλῶν λαπινίδων ἐν οἷς εἶχον, εἰσέπραττον, id eſt, *Angelici nominis fratres cùm aliis rebus Imperium perperam adminiſtrabant, ut jam diximus, tum pecuniæ cupiditate æſtuantes, neque juſtis rationibus ope augere volebant, nec ea quæ coegerant conſervabant, ſed ambabus manibus diſſipabant, non tam ſupervacuo comitatu, & pretioſo corporis ornatu, quàm meretricibus, & cognatis Reipublicæ prorſus inutilibus largiendo. Unde novis vectigalibus inſtitutis non modò Romanas urbes & provincias exhauriebant, ſed Latini etiam nominis gentes, quantum poterant, tributis vexabant.*

[f] Unde ipſius *Iſaaci*, patris, de *Alexio*, filio, teſtimonium, quod ἐν τοῖς χειρίσοις τὸ ἦθος τυπώμενος, φόνοις τε καὶ ἀνδράσι συνδιαιτώμενος, καὶ τὰ ἤθη τούτων ἀναματτόμενος; *peſſimis ſtudiis occupatus, & peſſimorum hominum conſuetudine fuerit corruptus.* Et Nicet. pag. 275. οὐ μάτην δὲ ταυτὶ καὶ εἰκαίως κατὰ τοῦ υἱοῦ ἠγόρευεν Ἰσαάκιος, ἀλλὰ καὶ πλείω ἕτερα καὶ ἀσελγέστερα πολλῷ πλημμελῶν, τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ παγκλεέσον τὸ τῶν ῥωμαίων βασιλείας κατερρύπαινεν ὄνομα εἰς γὰρ τὰς τῶν βαρβάρων σκηνὰς μετὰ μετρίων ὀπαδῶν περαιούμενος

νος ἀμμεχεραιπάλα τοῖς ἐν αὐταῖς καὶ συνδιημερεύων ἐκύβευεν. id eſt. *Neque hæc falſa erant, aut inania. Nam Alexius pluribus & gravioribus peccatis magnificũ & inclytum Imperii Romani nomen fœdabat, ut qui paucis comitantibus, in Barbarorum tentoria trajiciens crapulæ & aleæ una cum illis per totos dies indulgeret.*

[g] De Iſaacio refertur, ὅτι οὐκ ἐπ' ἔλαττον ἦν μισητὸς, ἐπειδήπερ καὶ πάλιν ἀλλοκότοις δόξαις περιεφέρετο, λόγιά τε καὶ ὀμφὰς συντιθεὶς, οὐκ ἔληγε τῶν ἐπὶ τῆς προτέρας ἀρχῆς ἀρρητότερα. Εἴγε πάλαι μὲν τὸν μόναρχον ἐφαντάζετο, καὶ αὐτὸς εἶναι ἀναιδῶς διετείνετο, ὁ τῇ δυσμῇ συνάψων τὴν ἕω, καὶ κράτος περιζωσόμενος τὸ παγκόσμιον, τότε δὲ καὶ τὴν πήρωσιν ἀποτρίψασθαι προσεδόκα τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ὡς λεβηρίδα τὴν νόσον ἀποξύσασθαι τὴν ἀρθρίτιδα, καὶ τὸ ὅλον εἰς ἄνδρα θεοείκελον ἀμειφθήσεσθαι, i. e. *Nihil minus fuerit inviſus, cùm rurſus abſurdarum opinionum intemperiis agitaretur, & divinationibus atque oraculis fœdioribus quàm prius incumberet. Nam ante Monarchiam ſibi imaginabatur, ſeq; impudenter eum eſſe jactabat, qui Occidentem cum Oriente conjuncturus, & totius mundi Imperio potiturus eſſet. Tum verò viſum ſe recepturũ, & articularem morbum, ut ſerpentem exuvias, poſiturũ, & in virum Deo ſimilẽ ſe transforma-*

formatum iri ſomniabat. Nicet. p. 275. Vides, qui certiſſimi Reipublicæ interituræ ſint prodromi!

[h] Belli hujus fax fuit *Henricus Dandulus*, Venetus, qui ut injuriam ab Angelis fratribus ſibi illatam ulciſceretur, ſocia cũ Toparchis quibuſdam Europæis, quos interfuit *Balduinus*, Flandriæ comes, junxit arma, qui ſecundo mox vento Conſtantinopolin delati, urbem expugnârunt die 19. Auguſti, an. Ch. 1121. *Nicet.* pag. 273. Quàm verò furioſè Latini in Byzantinos incendiis, gladio, rapinis fuerint graſſati, prolixè deſcribit *Nicet. Choniat.* annal. 270. 272. 277. præſertim 282. ubi crebra eis ſacrilegia exprobrantur; ſumma inhumanitas & furor, quibus tandem ſubjicit graviſſimam querelam. *Hæc*, inquit, *pauca de multis Occidentalium exercituum in Chriſti hæreditatem ſcelera, qui erga neminem humanitate uſi, omnes pecunia, poſſeſſionibus, veſtimentis, aris & focis ſpoliârunt, nec poſſeſſoribus quicquam impertierunt; literis mandanda eſſe cenſui. Haccine collum æreum, ſuperbus animus, arrectum ſupercilium, juveniliter raſa maxilla, ſanguinaria dextra, iracundæ nares, elatus oculus, inhumanum ingenium, rotunda & incitata loquela, ac tantùm non ſaltans in labiis? Imo potius vos, qui veſtra opinione docti, ſapientes, fideles,* vera-

veraces, probi, nobis Græcis religioſiores, juſtiores, & præceptorum Chriſti obſervantiores eſtis (ego vero hæc nunquam per ludibrium & jocum dixerim: nam quod luci cum tenebris eſt commercium?) & quod majus eſt, qui crucem Chriſti in humeros ſuſtuliſtis, eamq; & divina oracula, ſæpe teſtati eſtis, vos Chriſtianas provincias citra ſanguinem tranſituros, nec ad dextram, nec ad levam declinantes, ſed contra Saracenos armâſſe manus, eorumque ſanguine tincturos eſſe gladios, qui Hieroſolyma expugnâſtis, qui vos conſuetudine & colloquio mulierū temperaturos promiſiſtis, quamdiu crucem in humeros tuleritis, ut Deo conſecratos viatores? Nugatores eos eſſe, planè conſtat, qui dum divinum ſepulchrum vindicant, manifeſtè contra Chriſtum inſanierunt: & cum cruce crucem violarunt & deſtruxerunt, quam humeris bajulabant, dum eā exigui auri & argenti cauſa ante pedes abiciunt? & dum margaritas colligunt, pretioſam margaritam, Chriſtum abjecerunt, in ſordidiſſimis beſtiis re ſanctiſſima diſperſa. Nō ita fecerunt Iſmaelitæ, ſed populares iſtorum clementiſſimè & humaniſſimè tractarunt, potiti Hieroſolymis. Neq; enim Latinas matronas violarunt, neq; ſepulchrum

chrum Chriſti cadaveribus oppleverunt, neq; ingreſſum vitalis tumuli deſcenſum ad inferos, neq; vitam mortem, neq; reſurrectionem ruinam effecerunt: ſed paucis aureis in ſingula capita contenti, omnibus liberum abitum permiſerunt, &c. Addit etiam *Nicetas* deplorationem urbis lamentabilem; confeſſionem ingenuam, invocationem ardentem, conſolationem deniq; & adhortationem ad pœnitentiam, quæ brevitatis ſtudium inſerere non ſinit.

[*k*] Poſtquam enim *Alexius*, Iſaaci filius, impetrato à Francis & Venetis auxilio, patrem, oculis, & Imperio privatum (vide ſup. p. 9.) reſtituiſſet, neque diu, quòd avidè nimis, poſt diuturnum carcerẽ, liberum hauriret aërem, ſupervixiſſet: ipſe etiam *Alexius* junior, patris ſucceſſor, à *Murzuflo*, vel *Murziphilo* homine obſcuro, ſed per *Alexium* ad ſummos honores promoto interfectus eſſet; *Murziphilus* inſuper ſuis diffidens viribus nocte cum uxore, concubinis, theſauris aufugiſſet; ſed in Peloponeſo captus, Conſtantinopolinque reductus vitam miſerè finiiſſet, *Balduinus* Orientis Imperator, poſt captam urbem fuit proclamatus, *Nicet.* p. 293. Adrianopolin tamen occupaverat *Theodorus*, *Alexii* homicidę gener, eamque ſui Imperii ſedem fecerat. Sed & alia Græciæ loca Toparchis ſuis patuiſſe, colligimus ex *Nicet. Choniat.* p. 312. 313.

[*l*] A *Balduino* nempe, ad *Michaelem Palaeologum*

gum per annos 55. (*alii* ponunt 58. menſ. 3. *alii* 60. magna enim diſſenſio inter Hiſtoricos de anno recuperatæ urbis, vide *Calviſ*. a. Ch. 1292.) penes quā deinceps familiam manſit usque ad an. Chr. 1453. quo Mahometes Turca Bizantium occupavit. Latini autem Imperatores in Oriente erant I. *Balduinus*, qui parùm cautè ſibi proſpiciens interfectus eſt: cùm vix per annum regnâſſet. II. *Henricus*, Balduini frater. III. *Petrus Cortenæus*, Ludovici Craſſi, Regis Francorū filius, Comes Auxerartanus, qui hæreditario jure à Socero ſuo Henrico Imperium obtinuit. Cui in ſolenni epulo caput fuit amputatum per Theodorum Laſcarem. IV. *Robertus*, Petri filius, audita calamitate patris, egreſſus Flandriâ venit Conſtantinopolin, ibique in Imperatorem fuit receptus. V. *Balduinus II.* Roberti filius, qui cùm, magna claſſe inſtructus, Boſphorum Tracium intraret, *Michael Palæologus*, pactus cum Byzantiis, de proditione civitatis, ingreſſus urbem, Imperatorem ſe dixit. Et ſic ad Græcos Imperium rediit.

III. *Occidentis* Imperium factionibus, diſſidiis, Paparumque excommunicationibus ita turbabatur, ut ipſa quoque Auguſtorum ſucceſſio interrupta fuerit.

Qua de re fusè ſcripſerunt *Faber*, *Aventinus*, *Schraderus*, *Urſpergenſis*, *Villarius*, *Cuſpinian⁹*, *Pandulphus*, *Collenucius*, *&c.* Compendia ex his ſuppedi

tant

tant *Catal. Teſt. Verit.* lib. 16. *Onuph. Panv.* Rom. Princ. l. 3. *Gotofred* Archont. Coſm. de Imp. Rom. *Gaulter.* Tabul. Chronog. & alii. Nos *Gotofredum*, in tanta rerum varietate, ſecuti, pauca quædam de Imperatoribus hujus ſeculi Occidentalibus dicemus. I. Eſt *Philippus*, Barbaroſſæ filius, de quo ſup. p. 13. II. *Ottho IV.* natus Saxo, qui Imperio potitus, eo non diu fruebatur. Cum enim Diadema à Pontifice, Innocentio III. accepiſſet, Samnium occupavit, Anconitanam marcam, cum parte Apuliæ. Iratus Pontifex Othoni ſacris interdixit, & in Germania Archiepiſcopus Moguntinus excommunicationis formulá promulgavit; unde gravia nata ſunt bella civilia. Otho ab omnibus partibus ſe infeſtari videns, in inferiorem ſeceſſit Germaniam, ubi cum prælio, adverſus Fridericum filium Henrici VI. cõmiſſo, ſuccubuiſſet, deſtitutum ſe, deſertumque à ſuis cernens, ceſſit Imperio, cui nonniſi tribus annis præfuerat. Quanquam ſint, qui ei plures annos tribuant, qui partim concurrunt cum annis Philippi anteceſſoris, & hujus Friderici ſucceſſoris ejus, nempe annos 19. III. *Fridericus II.* natus in Picæno apud Aeſium, coronatus Aquiſgrani an. Ch. 1212. Percuſſo cum Philippo Galliarum Rege fœdere, pacataque Germania, rogatus à Pontifice expeditionem fecit in Aſiam, profectuſq; cum exercitu a. d. 11. Auguſti menſis conjunxit Chriſtianorum copias ad urbẽ Ptolemaidem, pactuſque inducias cum Sultano in bien-

biennium, recuperavit regni Hieroſolymitani poſſeſſionem, liberatisque quàm plurimis captivis Chriſtianis, ac conſtitutis rebus in Palæſtina, in Italiam rediit. At Papa Imperatorem fideliũ communione excluſit, quæ res maximarum turbarum occaſionem præbuit. *Guelfis* Pontificis, ſed *Gibellinis* (de quibus actum eſt ſupra p. 152.) Cæſaris partes ſequentibus. Videns Fridericus, ſe non ſolùm ab amicis, ſed & bona fortuna deſtitui, in Siciliam abiit, ubi veneno interemtus creditur. Sequitur jã tempus interregni (quod tamen alii planè tollunt vide *Gemeb.* p. 634.) ab anno 1250. usque ad annum 1273. dum *Conradus IV.* Friderici II. filius creatus quidem fuit Imperator vivo patre, ſed cùm veneno ſublatus *à Manfredo*, fratre, Friderici ſpurio a. Ch. 1254. *Henricus*, Landgravius Thuringiæ, maritus S. Eliſabethæ, in odium Friderici, ejusque filii, *Conradi*, electus à quibusdam Principibus, cùm obſideret Ulmã, ictus ſagittâ occubuit, eodem, quo Cæſar dictus fuerat, anno. Habebat *Conradus* filium *Conradinum*, generoſiſſimum adoleſcentem (qui cum vetuſtiſſima ſtirps Ducum Sueviæ defiit) huic inſidiabantur *Carolus*, frater Regis Galliæ; & *Clemens IV.* Pontifex: Itaque ab hoc *Carolus*, poſt mortem *Conradi*, unctus eſt Imperator, qui *Conradinum* inopinato innocentem è medio ſuſtulit. Gallis viciſſim triſtes ſuas Siculas veſperas circa hoc tempus celebrantibus in Paſchate. Secutus hunc eſt *Guilelmus*, Hollandiæ Comes, quẽ

& Alexander Pontifex approbavit : Verum, cùm iter Romanum, ad conſequendum Diadema, meditaretur, aquis ſubmerſus periit, nono, poſt acceptum titulum, anno. *Conradus* Archiepiſcopus Colonienſis, & *Ludovicus* Comes Palatinus Rheni Imperatorem dixerunt *Richardum* Cornubiæ Comitem, fratrem Regis Anglorum, qui cum ſex annis hac dignitate uſus fuiſſet, obiit percuſſus telo an. Ch. 1246. *Alphonſum* verò Arragoniæ Regem Imperatorem ſalutaverunt Archiepiſcopus Moguntinus, Trevirenſis & Brandeburgenſis Marchio, menſe Januario, an. Ch. 1257. quanquam ſunt qui adnumerent prædicto *Richardo* annos 15. usq; ad annum 1272. quo ſimul Anticæſar extiterit tempore, nominatus *Alphonſus*, qui dicitur decies quater perlegiſſe Biblia cum commentariis. Ita vides Electorum in ferendis ſuffragiis diſcordiam & ſtatum Imperii perturbatum. Tandem convenere Principes Septemviri Francofurtum an. Ch. 1273. & annitente maximè atque promovente Palatino Principe concordibus ſuffragiis Imperatorem dixerunt *Rodolphum I.* Comitem Habſpurgenſem, cũ jam natus eſſet an. 53. Hic ergo IV. eſt ſeculi hujus Imperator, cæteri *Reges Romanorum* nuncupabantur. Imperio autem admotus operam ſtatim dedit, ut bella civilia, ſeditionem & latrocinia, quæ interregni tempore magnam nacta fuerunt licentiam, extingueret. Arma deinde movit in Marchionem Badenſem, ejusque confœderatos

Sue-

Sueviæ proceres, quos coëgit pacem rogare. Profectus hinc in Auſtriam, quam vi occupaverat Ottocarus Bohemorum Rex, duobus præliis victum interemit. Aderant his etiam motibus Imperatori ducenti Tigurini (maximo enim ſemper cives ille noſtros proſequebatur amore, utpote quibus impenſè ille favens, res eorum multum juvit, nomenque defendit, ut videre eſt apud *Ioh. Vitoduranum, Stumpſium, Bullingerum, Fabrum, Simlerum*, Tigurinos) quos in prima ille, ut exemplo reliquis eſſent, collocavit acie, *teſtibus* iisdem. Deſtrui juſſit ultra ſeptuaginta arces, & caſtella, quæ receptacula erant graſſatorum, latronum, ſecuri percuſſis 29. eorum ducibus. Italiã ingreſſus ipſe non eſt, concordiam tamen aluit cum Pontificibus, Monachis addictus, ſed ſeculari clero admodum inviſus, teſte Vitodurano. Vir tantæ prudentiæ & fortitudinis, ut cum Conſtantino Magno à nonnullis conferatur. Mortuus eſt an. Chr. 1291. Imperii 18. De familia Habſpurgica ejusque origine prolixè ſcribunt *Fel. Fab.* Hiſt. Suev. lib. 1. c. 13. & nuper *Dominicus*, *Monaſterii Murenſis Abbas*, lib. de orig. & genealogia glorioſiſſimorum Comitum de Habſpurg Monaſterii Murenſis fundatorũ, &c. V. *Adolphus*, Naſſoviæ comes in comitiis, Francofurti habitis, anno ſalutis 1291. Imperator creatus eſt die 1. Maii. Vix dum diademate cinctus erat, cum pro Rege Angliæ arma tulit adverſus Gallum acceptis centum coronatorum millibus,

quæ res, indigna Cæſare, in maximum eum apud Principes adduxit contemtum, ut ei palàm convitium facerent. Nec hoc ſolùm, ſed & ſpreto Adolfo, Albertum Auſtriacum Imperatorem elegerunt, qui collecto exercitu in Adolphum duxit. Adolphus nihil territus adverſario obviam ivit, ubi commiſſo prælio inter Spiram & Wormatiam urbes Adolfus cæſus eſt manu Alberti, cùm dejectus equo erigere ſe denuo conaretur. Factum hoc eſt a. Ch. 1298. VI. *Albertus I.* Auſtriæ Dux, Rudolfi Cæſaris filius, cùm jam ante concordibus Electorum ſuffragiis electus eſſet d. 25. Julii, ubi Hiſtoriæ narrant, tantam confluxiſſe hominum colluviem, ut Saxoniæ Princeps eliſus perierit. Neque hic in Italiam profectus eſt, ſed Pontificem Romanum exoravit, ut ſe abſentem Auguſtum pronunciaret: quod & fecit. Nec hoc ſolum, ſed Galliæ Regnum Alberto donavit, cùm Papale fulmen vibrâſſet in Philippum Pulchrum Regem. Albertus extra Germaniam bellum nullum geſſit; ſed intra patriam armis multos vexavit. Poſtremò à fratris filio, *Iohanne*, cui Sueviæ Principatum abſtulerat, quod prodigus eſſet, prope Vindoniſſam, ut noſtra habent Chronica. Vide *Bull.* l. 7. c. 6. & deinc.) occiditur an. Ch. 1300. Imperii 10. Idem Imperator Tigurum, quod cives ejus Adolfi partes ſequerentur, obſidione cinxit; mox tamen & ſtrategematibus deluſus, & æquis conditionibus flexus ſeceſſit: qua de re *Simlerus* li. 1. de

de Repub. Helv. *Bull.* de reb. Tig. lib. 7. c. 3. 4. & alii annal. Helvet. ſcriptores. Ab hoc tempore frequentiora in Helvetia bella eſſe cœperunt, tum ad vindicandam Alberti cædem, tum etiam pro defendendis privilegiis patriis & avitis.

IV. Peregrinus ad Eccleſiam tum *orientalem*, tum *occidentalem*.

V. *Orientalis* ſeu *Græca* (de cæteris [*a*] enim, pauca Hiſtoriæ commemorant) Eccleſia [*b*] non moribus tantùm, & diſſoluta Curiæ Romanæ vita, ſed & pleriſque Papæ dogmatibus ita fuit offenſa, ut in divortio, ante jam cum Latinis facto, conſtanter permanſerit, ipſa interim [*c*] ſuperſtitionibus adhuc ſuis ſatis addicta.

[*a*] Eas enim Eccleſias, quæ ſub Barbarorũ i. e. Saracenorum gemebant jugo Antiochenam intelligo, Alexandriam, Hieroſolymitanam, ſedes Metropolitanas, cum ſuis Diœceſibus, Scimus, vel Latinorum in terra ſancta hinc inde adhuc habitantium dogmata fuiſſe ſecutos, vel Neſtorii, Jacobi, Eutychis, impia placita amplexos, vide *Matth. Par.* pag. 426. vel tandem cum Græcis feciſſe. Atque hos, deſtitutos quidem externo regiminis ſplendore, interna animi ſanctitate, veræque fidei luce micuiſſe teſtatur *Nilus* de cauſis diſſens. Eccleſ. lib. 1. p. 22. καὶ μαρτυρῶσι

 τέτοις

τύποις πολλοὶ μὲν τὸν ἐκεῖ διαπλύσαντες κόσμον, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν μόνον βλέποντες, πολλοὶ δὲ μέχρις αἵματος πρὸς τὴν ἀσέβειαν ἀντικαθιστάμεναι, καὶ αἵμασιν ὑλόγαις ἑκάστοτε τὴν ἐκκλησίαν στηρίζοντες. Atque hujus *Nili*, Theſſalonicenſis Archiepiſcopi, *Barlaami* item Monachi, Græci utriuſque ſcripti ſeculi hujus ſtatum Eccleſiæ Græcæ depingere placet, etiam acuratè ſatis, quando vixerint, non conſtet. Illud certum eſt, temporibus Thomæ Aquinatis, qui obiit an. Chr. 1274. vel paulò pòſt floruiſſe. Sed nihil hic definimus, cùm rei τὸ ἄδηλον curioſitatem omnem ſuperet, aut eludat. De *Antiocheno* etiam Patriarcha tenendum, quòd conſentiente *Germano*, Cõſtantinopolitano Archiepiſcopo Papam cum tota Romana Eccleſia & curia excommunicârit; & (verba ſunt *Matth. Par.* in Henrico III. p. 645.) *blaſphemando ſe ſuamq; Eccleſiam ſolenniter prædicando, tempore & dignitate Domino Papæ & Romanæ Eccleſiæ præpoſuerit, & eſſe & fuiſſe Romana Eccleſia excellentiorem, eo quòd Beatus Petrus Apoſtolus primò Eccleſiam Antiochenam cum ſummo honore rexerit. Poteſtatemq; ligandi & ſolvendi liberaliter potius Eccleſiæ Græcorum contulerit, quàm Romanæ quam Simoniæ & uſuræ, avaritiæ & aliorum facinorum maculis conſtet jam ſordere.* Confer p. 441.

[b] Tria

[*b*] Tria hic paucis expedienda 1. *Divortium Græcorum & Latinorum continuâſſe*. Teſtantur hoc a. *Græci Nilus* utroque lib. de diſſenſ. Eccleſ. *Nicet* Chroniat. annal. pag. 268. in Alexio Iſaaci filio maximè reprehendit, *quòd depravatam Latinorum* Religionem *fuerit amplexus, privilegiorum papalium innovationem, & veterã* Romanorum *inſtitutorum mutationem fuerit pollicitus*. Et p. 280. in expugnatione Conſtantinopolitana negat agi potuiſſe æquis conditionibus, ob ſummum Latinorum in Græcos odium, & viciſſim immenſum Græcorum cum Latinis diſſidium. Ex *Latinis* habemus *Matth. Par.* in Henr. 3. p. 441. *Viſa igitur tanta malitia & oppreſſione, erigitur* Græca *Eccleſia contra* Romanam. *Conſtituit igitur ſedem ſuam, quaſi alter Lucifer, in Aquilone, ſcilicet in Conſtantinopoli, Græcorum civitate Metropolitana, filius ſcilicet degener &* Antipapa, *vocans Eccleſiam ſuam & aſſerens digniorem, & Eccleſiam* Romanam *ſororem ejus dicens eſſe, non matrem, &c.* Idem prærogativæ jus, & odium plebis Græcæ in Eccleſiam Romanam repetitur in Concil. Lugdun. apud eundẽ p. 643. Plura habes p. 422. Et p. 426. Soli *Græci in malitia ſua perſeverant, qui ubique aut latenter aut apertè Eccleſiæ* Romanæ *contradicunt.*

Bzov. annal. Eccleſ. continuator an. Ch. 1215. S. 3. ex actis concil. Lateranenſis cõmemorat, *in tantum Græcos cœpiſſe abominari Latinos, ut ſi quando Sacerdoess Latini ſuper eorum celebrâſſent altaria, non prius illi ſacrificare voluerint, quàm ea laviſſent; baptizatos etiam à Latinus Græcos rebaptizâſſe.* Fatemur quidẽ, non defuiſſe qui vel domi vel foris unionem cum Eccleſia Romana quæſiverint, quos inter *Michael Polaologus* Imperator, qui circa an. Chr. 1272. variis modis multavit Eccleſiæ Romanæ reluctantes, ſed ea ipſa de cauſa ab Andronico filio, ſepultura ſacra fuit privatus; *Geneb.* p. 686.

II. *Moribus, & pravis Paparum legibus Græcos contra Latinos exacerbatos fuiſſe & offenſos.* Ipſum hoc fatentur non modò Græci, ſed & Latini, *Matth. Par.* p. 778 *Receſſit Eccleſia Græca à ſubjectione Romanæ Eccleſiæ, propter ejuſdem Romanæ Eccleſiæ varias enormitates, maximè in uſuris, Simoniis, juſtitiæ venditionibus, & aliis injuriis intolerabilibus.* Et pag. 864. refert, *Græcos quoſdam Dominum Papam conveniſſe, verbis aſperrimis, imponentes ei, quòd enormiter erraverit in fide,* (falluntur tamen in hypotheſi, de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & filio) *& cum eo & per eum omnes Latini; Simoniam & uſuram manifeſtum curiæ*

Roma-

Romanæ dicebant inhærere; quod ſignis vole-bant, & exercitationibus evidentiſſimis pro-bare,&c. Revocati etiam ad obſequium Ec-cleſiæ Romanæ, ei ſe ſubdere noluerunt, *fortè tyrannidem & avaritiam ejus pertimeſcentes*, ut idem loquitur *Paris.* p.449. à quo etiam com-mercium literarium inter Germanum Conſtan-tinopolitanum Patriarcham & Gregorium Pa-pam Romanum hoc nomine inſtitutum haberi poteſt.

III. Hoc tandem reſtat, ut ipſa etiam *dogma-ta Eccleſiæ Romanæ pleraque* (ſemper enim notam illam de proceſſione Spiritus Sancti excipimus controverſiam) ita Græcorum verbis compara-ta fuiſſe probemus, ut coacta ipſa fuerit alia do-cere, propterea, quod ut Græcus ille, Cardinali-bus quibusdam in faciem dixit, *Eccleſia Roma-na tentârit puro frumento*, h.e. *Dominicæ do-ctrinæ & Apoſtolorum ac Patrum traditioni aſſeminare Zizania*, p.m.60.

Senſit igitur *Græca Eccleſia* I. *Scripturam ſacram controverſiarum eſſe judicem.* Negat Nil. de cauſ. diſſenſ. libr.1. p.11. cauſam diſſidii inter Latinos & Græcos eſſe Scripturæ ſermonem, *quod tan-quam conſcius nihil aperte de eo quod contro-vertitur pronunciet*, τὸ γὰρ addit τὴν γραφὴν αἰ-τιᾶσθαι, ἴσον ἐστὶ καὶ θεὸν αἰτιᾶσθαι, *Scripturam ac-cuſare, tantundē eſſe, ac Deum ipſum incuſare.*

II. *Patrum dicta non eſſe Prophetica oracula, ſed errori obnoxia.* Vnde *Nilus*, lib. 1. de Purgat. pag. 81. Gregorium Niſſenum, Purgatorii patronis erepturus, ait: Ἄνθρωπος ἦν ἀνθρώπων ἐστὶ, κἂν ὅτι μάλιστα εἰς ἄκρον ἁγιωσύνης ἀφίκηται, οὐκ ἀδιάπτωτον ἁμαρτεῖν, καὶ μάλιστα περὶ ἃ μηδεμία προέβη ἐξέτασις.

III. In controverſia de *participatione corporis Chriſti*, ſit ne illud ἄφθαρτον, ὁποῖον μετὰ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἀνάστασιν, εἴτε μὴν φθαρτὸν, ὡς πρὸ τοῦ πάθους, vocat *Nicet.* in annal. p. 255. *Cyrilli* verbis τὴν τῶν θείων μυστηρίων μετάληψιν ὁμολογίαν τινὰ καὶ ἀνάμνησιν τοῦ τεθνάναι τε καὶ ἀναβιῶναι δι᾽ ἡμᾶς τὸν κύριον. Cætera, quæ ex *Chryſoſtomo* affert & *Eutychio*, de corpore Chriſti glorificato, in Cœna præſenti, ſacramentaliter intelligi debent.

IV. Papam à Græcis rectè damnari, eo etiam nomine, quod *coniugium* adimit *clero*, idem docet *Nilus* aliquot Concilii 6. Canonibus lib. 2. de cauſ. diſſid. p. 40. 42.

V. Ubi ad pertinaciſſimum illud, quo multis jam annis, vexata erat Eccleſia, pergimus certamen de *Papa Romani in Eccleſia officio, authoritate & primatu*, quàm Deus bone! multa Reformatis contra Pontificios, ad novitatis diluendum crimen, miniſtrantur arma?

a. Fatentur, fundi Eccleſiaſtici calamitatem eſſe, quòd Romani Pontifices ſibi omnia tribuunt, οὐδὲ τοὺς ἄλλους ἐν μαθητῶν μοίρᾳ ὑπακούοντας ἔχουσιν: *Nil.* lib. cit. p. 12.

b. Ne-

b. Negant ſedi Romanæ alligatam eſſe veritatem. *Nil.* lib.cit. p.33. Εἰ δὲ Ὁνώριος ῥώμης ἐπισκοπός ἐστιν, ἐστὶ δὲ καὶ αἱρετικὸς, δυνατὸν ἄρα τὸν πάπαν τῶν ὀρθῶν ἐκπεσεῖν δογμάτων· οὐκ ἄρα ἐκλιπόντος αὐτοῦ τὴν πίστιν, ὁ τοῦ κυρίου διαπέπτωκε λόγος, ὃν περὶ τῆς ἐκκλησίας εἰρήκει, πύλας ᾅδου μὴ δυνηθῆναι ταύτης περιγενέσθαι. ἐστὶ γὰρ ἐν τοῖς λοιποῖς, καὶ μάλα τὴν δι᾽ εὐσέβειαν σώζεσθαι. id eſt, *At ſi Honorius Romæ Epiſcopus eſt, ſimulque eſt hæreticus* (ex decreto ſextæ Synodi Oecumenicæ pag.33.) *fieri itaque poteſt, ut Papa à rectitudine dogmatum excedat. Neque tamen ipſo circa fidem errante, ſermo Domini irritus factus eſt, quem de Eccleſia pronunciârat, Portas videlicet inferni adverſus eam prævalituras.*

c. Negant, Papam ſummum eſſe ſacerdotem, principem & paſtorem, & patrem, cui & univerſalem Synodum convocare, & privatim abſque aliis, de Eccleſiaſticis ſtatuere liceat: *Id.* libr.cit. p.13.

d. Negant, ſolam ſedem Romanam Catholicam eſſe appellandam; cùm ſit κοινὸν καὶ τοῖς ἄλλοις τῶν καθολικῶν ἀδελφῶν, *lib.*2.p.49.

e. Negant, ex prioritate ordinis, quam ſedi Romanæ non derogant, ſequi primatum Imperii. Si enim Papa Romanus quia primus eſt in numeratione, idcirco dominatum arripit, concedet hoc ipſum etiam Conſtantinopolitano, qui

qui Can. 36. Synod. 6. præponitur Alexandrino, &c. *Nil.* lib. 2. p. 36.

f. Negant, primatum Papæ juris eſſe divini. Nil. lib. 2. p. 28. *οὐ μὴν ἐκεῖνο λέγω, ὡς ὁ πάπας παρὰ τοῦ μακαρίου Πέτρου τὸ πρῶτος εἶναι τῶν ἄλλων ἐπισκόπων εἴληφε. δύο γὰρ περὶ τὸν πάπαν θεωρουμένων· τό τε εἶναι ῥώμης ἐπίσκοπον, ὡς αἱ σύνοδοι μαρτυροῦσι, καὶ ἔτι τὸ πρῶτον εἶναι τῶν ἄλλων ἐπισκόπων. Τὸ μὲν, παρὰ τοῦ Πέτρου ἔχει λαβὼν τὸ εἶναι ῥώμης ἐπίσκοπος. τὸ δὲ παρὰ τῶν μακαρίων πατέρων καὶ τῶν εὐσεβῶν Βασιλέων πολλοῖς ὕστερον, &c.*

g. Oſtendunt infirmitatem argumenti: Petrus Romæ docuit; Ergò, Romana Eccleſia caput eſt & mater omnium reliquarum Eccleſiarum, gravi *ἐνστάσει*: *Τέως ἡ τῶν ῥωμαίων ἐκκλησία, οὐ κορυφὴ καὶ μήτηρ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν εἶναί τε καὶ καλεῖσθαι τετύχηκεν, ὅτι δηλαδὴ ποίμνην ἐκεῖνος αὐτῆς ἐχρημάτισε· πολλῷ μᾶλλον ἂν εἴη δικαιότερον, τὴν μεγάλην Αντιόχειαν τὰς τοιαύτας κλήσεις κληρώσασθαι, προτέρως τῷ κορυφαίῳ μαθητευθεῖσαν, εὐπειθῶς τε παραδεξαμένην τὸ κήρυγμα, καὶ μετ' εὐγνωμοσύνης, ὅτι πολλῆς ὑποδεξαμένην τὸ χριστιανοὺς κληθῆναι πρώτους τοὺς ταύτης οἰκήτορας, κἀντεῦθεν, καὶ τὸ, κατ' ἐξαίρετον θεόπολιν ὀνομασθῆναι πλὴν τῇ σκεσκι. εἰ δ' οὖν ἀλλὰ τὴν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίαν, μέγαν καὶ πρῶτον ἀρχιερέα τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἀρχηγὸν καὶ κύριον Ιησοῦν Χριστὸν εὐτυχήσασαν, ὡς τὸν τῆς ἀληθείας λόγον ἐν αὐτῇ προκηρύξαντα καὶ διδάξαντα καὶ ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσενεγκόντα σφάγιον ἐθελόθυτον οὕτω τε κληρωσαμένην, τὸ, μητέρα πασῶν τῶν*

ἐκκλη

ἐκκλησιῶν ὀνομάζεσθαι, id eſt, *Nam ſi eam ob cauſam veſtra Eccleſia* Rômana *caput & mater omnium Eccleſiarum cenſetur & eſt, quod Petrus Apoſtolorum coryphæus, paſtor illius, rectorq́; ſit vocatus: multò certè æquius fuerit Antiochiam eiuſmodi titulos conſequi, quippe quæ ante à Coryphæo* Apo*ſtolorum edocta fuerit, & obedienter eius prædicatione ſit amplexa; quodq́; eius incolæ primi, æquiſſimis animis Chriſtianorum appellationem ſuſceperint; ideoque etiam* Antiochia *per excellentiam* θεούπολις, id eſt, urbs Dei, *ſit vocata. Aut certè* Hier*oſolymitanam Eccleſiam, cui magnus ille ac primus Pontifex, ſalutis noſtræ Dux & Dominus noſter Ieſus Chriſtus contingit, quippe ſi ſermonem veritatis in ea prædicavit & docuit, ſeque ipſum pro nobis voluntariam victimam obtulit, namque ob cauſam id conſequuta eſt, ut mater omnium Eccleſiarum vocaretur.*

h. Probant ex publicis Synodorum actis, ὅτι βασιλεῦσι μᾶλλον, οὐκ ἐπισκόποις, *Regibus potiùs, quàm Epiſcopis poteſtatem indicendi Concilia eſſe datam,* Nil. de prim. Pap. pag. 51. Oecumenicam primam monſtrat eſſe convocatam à Conſtantino, tertiam à Theodoſio & Valentiniano, quartam item τῶν εὐσεβεστάτων καὶ φιλοχρίστων βασι-

βασιλέων συναχθεῖσαν ἐν τῇ Χαλκηδονίων μητρο-πόλει. Unde & *Melkitarum*, ſeu *Regionum* nomenclatura, de qua *Hiſtor. Orient.* p.234.

i. Docent, ſtante Pontificiorum ſententia, neceſſe eſſe omnes Papæ decretis aſſentiri, nemine contradicente, tolli : τὸ οἰκουμενικὸν δικαστήριον *tribunal Oecumenicum*, i. e. Concilia œcumenica: *Nil.* de cauſ. diſſenſ. p.14.

k. De primatu Papæ quid ſentiant, luculentis idem *Nilus* lib.cit.p.17.exprimit verbis: καὶ τοίγε οὐκ ἴσον τὸ πρωτεῖον τοῦ τῆς Ῥώμης ἐπισκόπου πρὸς τοὺς ἄλλους καθολικοὺς ἱερεῖς, καὶ τοῦ προϊσταμένου ἔθνους ἑνὸς πρὸς τοὺς ὑπ' αὐτόν· ἐκεῖ μὲν γὰρ ἐν τάξει μόνον καὶ ἐν λόγοις μᾶλλον ἢ πράγμασι τὰ πρωτεῖα, ἰσότητος ἐν πλείστοις θεωρουμένης. ἐπὶ δὲ τῶν πρώτων ἑκάστου ἔθνους οὐχ οὕτως, ἀλλ' ἡ μὲν ἰσότης ἐν λόγοις, τὸ δὲ πρωτεῖον ἐν πράγμασιν. οὐ τοίνυν εἶπον μὲν ταῦτα οἱ θεῖοι Ἀπόστολοι, καὶ ὡς κανόνα καὶ ὅρον ἐξέθεντο, αὐτοὶ δὲ ἑτέρως ἐποίουν, αὐτονομίᾳ χρώμενοι. Ἀλλ' ὁ μὲν μακάριος Παῦλος, καίτοι τὸν Χριστὸν ἔχων ἐν ἑαυτῷ λαλοῦντα, καὶ σκεῦος κληθεὶς ἐκλογῆς, ὅμως ἀνέρχεται πρὸς τοὺς πρὸ αὐτοῦ Ἀποστόλους, καὶ κοινοῦται αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, μήπως εἰς κενὸν τρέχῃ, ἢ ἔδραμεν· ὁ δὲ τῆς ἱερᾶς δωδεκάδος ἔξαρχος, ὁ τῶν Ἀποστόλων ἄκρος, ὁ θεῖος, καὶ διορθούμενος παρὰ τοῦ Παύλου, ἀνέχεται καὶ ἐπιτιμώμενος σιωπᾷ, &c. *Porrò Primatus, quē Epiſcopus Romanus obtinet in alios univerſales Epiſcopos, nō eſt æqualis ei quem obtinet unius gentis in ſubditos. Illic enim Primatus ordinis tantū eſt*

&

& in verbis magis, quàm in rebis poſitus; cum in plurimis æqualitas ſpectetur. At verò in iis, qui primatũ obtinent alicuius Gentis *non itẽ; ſed æqualitas quidem in verbis, primatus verò in rebus. Non igitur hæc quidem divini Apoſtoli dixerunt, & veluti regulam ac terminum præfinierunt. Ipſi vero rem aliter inſtituerunt, authoritatem præſcribendarum legũ uſurpantes. Sed Paulus quidem quantumvis Chriſtum habens in ſe loquentem, & vocatus vas electionis, nihilominus tamen ad Apoſtolos ipſos priores ſe confert, communicatq́; cum eis Evangelium, ne quo modo in vanum curreret vel cucurriſſet. Quia etiam ſacri illius duodenarii cœtus præſul, ille inquam Apoſtolorum Coryphæus divinus Petrus etiam corrigi ſe à Paulo patitur & reprehenſus ſilet.*

1. Scribunt, falſum eſſe, Papam judicare omnes, ipſum verò judicari à nemine. Ὅτι δὲ, inquit *Nilus* de Pap. primat. p. 40. *πάντας ἀνακρίνων αὐτὸς, ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται, τοῦτο ψεῦδος, καὶ τοῖς τῶν Ἀποστόλων ἔθεσιν οὐ συμβαίνει. εἰ γὰρ Παῦλος κοινοῦται τοῖς ἄλλοις τὸ εὐαγγέλιον, μήπως εἰς κενὸν τρέχει ἢ ἔδραμε· καὶ πάλιν Πέτρος ἀνέχεται Παύλου ἐπιτιμῶντος, πῶς οὗτος καθάπερ τύραννος ἀνεύθυνον ἕξει τὸν βίον, καὶ ταῦτα Πέτρου διάδοχος εἶναι φιλοτιμούμενος; ὅτι δὲ καὶ ψεῦδος τὸ τοιοῦτον, σαφές. περὶ μὲν τῶν δογμάτων, Ὀνώριος τοῖς παρ' ἡμῖν μαρτυρεῖ.*

τυρεῖ. ὃς κριθεὶς παρὰ τῆς ἕκτης συνόδου, τῷ ἀναθέματι παρεδόθη, οὐδὲ τοῦ θανάτου παραιτησαμένου τὸν ἄνθρωπον. περὶ δὲ τῆς ἄλλης πολιτείας, καὶ πᾶσιν μὲν νόμοις οἷς ἕκαστος τῶν ἐπισκόπων ὑπόκειται, ἐνέχεται καὶ αὐτὸς εἰς ἐπισκόπους τελῶν, id eſt, *Quod vero Papa omnes judicet, ipſe vero à nemine iudicetur, falſum eſt, & Apoſtolicis inſtitutis diſſentaneum. Paulus enim communicat aliis Evangeliũ, ne in vanum currat aut cucurrerit. Petrus item patitur ſe à Paulo increpari. Quo pacto vero Papa Romanus inſtar tyranni nullũ admittet vitæ ſuæ cenſorem: cùm alioqui Petri ſe ſucceſſorem eſſe glorietur? At hoc manifeſtè falſum eſſe, quod quidem ad dogmata attinet, Honorius teſtatur, qui iudicatus à VI. Synodo anathemati traditus fuit; ne morte quidem hominem excuſante. Quod vero ad vitæ rationem actioneſq; attinet, omnibus etiam legibus, quibus ſinguli Epiſcopi ſunt obſtricti, ſubditus eſt & ipſe; quippe qui inter Epiſcopos cenſetur.*

m. Docent, Papam ipſum Patrum, per quos ille evectus eſt, ὃ μέγας εἶναι δοκεῖ, legibus eſſe jectum; *Nil.* p.47.

n. Manifeſtum faciunt, Papas Romanos hæreſeos eſſe accuſatos & convictos publicis Synodorum decretis. *Nil.* p.33. plura vide p.61. ubi expreſ-

expreſsè docet, *πάντα ἄτοπα καὶ δράσαι καὶ παθεῖν τὸν τῆς ῥώμης ἐπίσκοπον δυνάσθαι, ὥσπερ καὶ τῶν ἀνθρώπων ἕκαστον.*

o. Queruntur, Romaniſtas Papam ſuum tanquam *μορμολυκεῖον*, ſeu *terriculamentum*, quibusvis objicere difficultatibus, *Nil.* l.1. p.25.

p. De origine primatûs Pontificii clarè & diſtinctè ſcribunt, *ὅτι τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα, Sedi veteris Roma, quòd urbs illa Imperatrix eſſet, meritò Patres, primatus honorem tribuiſſe*: Nil. l.2. pag.29. Eandem reddit rationem Græcus ille Cardinalibus quibusdam Romanis in diſſert. quam Cl. *Salm.* edidit cum Nili & Barlaami ſcriptis p.59. Unde & *Nilus* concludit *μὴ παρὰ τῶν Ἀποστόλων, ἀλλὰ παρὰ τῶν πατέρων δοθῆναι τῷ πάπᾳ τὸ πρωτεῖον τῶν ἄλλων ἐκκλησιῶν.*

q. Petri ſucceſſores eſſe omnes illos, qui legitimè Eccleſiæ præſunt, nullo verò primatus reſpectu; *Nil.* l.2. p.30.

r. Tradunt ex *Chryſoſtomi* mente, unumquemque Epiſcopum in Chriſti cathedra ſedere; de prim. Pap. l.2. p.50.

s. Contendunt, Papam Romanum certi alicuius loci, non verò œcumenicum eſſe Epiſcopum; *Nil.* l.2. p.31. & 47. *οὔτε μείζονος τάξεως ἢ κατ᾽ ἐπίσκοπον non maiori ordine Papam eſſe, quàm Epiſcopali*; id. p.41. tum quia Epiſcopus

ubique vocetur, tum quia major dignitas in Eccleſia nulla detur; *Id.* p. 42.

t. Tandem & hoc ſuo jam tempore viderunt atque animadverterunt Græci, Papam λόγοις πολὺ τὸ ταπεινὸν ἔχουσι τὰ μεγάλα ἁρπάζειν, *verbis magnam humilitatem præ ſe ferentibus, magna rapere.*

V. Hæc de *primatu Papæ* cæteriſque, ei affinibus, controverſiis ex Nilo decerpere placuit. Reliqua breviter perſtringemus.

VI. *Fictum* Romanenſium ignem *purgatorium* Græci non modò rident, ſed & doctè refutant. Extat in hanc rem *Nil.* περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρὸς βιβλίον ἕν, in quo Græcorum mentem ita proponit: πῦρ καθαρτήριον καὶ κόλασιν διὰ πυρὸς πρόσκαιρον καὶ τέλος ἕξουσαν ὅλως ἡμεῖς ὑπὸ τῶν ἡμετέρων οὐ παρειλήφαμεν διδασκάλων, οὐδὲ τὴν τῆς ἀνατολῆς ἐκκλησίαν ἴσμεν φρονοῦσαν, Ignem purgatorium & punitionem per ignem temporarium, finemque omnino habiturum, nos à noſtris doctoribus traditum non accepimus, neq; Orientalem Eccleſiam ita ſentire ſcimus, p. 66. Ratio; 1. ὅτι μήτε παρά τινος τῶν διδασκάλων αὐτὸ παρειλήφαμεν. 2. Quia ſic univerſæ Eccleſiæ, quæ unum tantùm agnoſcit ignem, Infernalem labefactaretur conſenſus, p. 68. Argumenta tandem tum ex Scriptura tum ex Patribus Latinis & Græcis pro Purgatorio allata, ordine refellit.

VII. *Monachos* etiam experti ſunt Græci ſuos in

in pejus indies vergere, adeò ut ventrem potiùs & cuticulam curârint, quàm res ſacras. Unde *Nicet.* in annal. p. 275. καταρωπάτους vocat, θεομισεῖς ἀρχικὰς τραπέζας μεταδιώκοντας, καὶ τῶν ἰχθύων τοὺς νεαλεῖς καὶ πίονας περιχαίνοντας, &c.

c. Obtinuit enim 1. τῶν εἰκόνων προσκύνησις. Unde dolet *Nicet.* in annal. pag. 282. Romanus Conſtantinopolin expugnantes, adorandas conculcâſſe imagines. Eodem etiam loco habebantur *reliquiæ.* De pretioſo vaſorum, menſæ cumprimis ſacræ, apparatu judicari poteſt ex eadem *Nicetæ* θρηνῳδίᾳ, p. 283. 2. Eccleſiæ pro defunctis preces cum iis, quæ ipſorum obitum anteceſſerunt precibus conjunctas aliquid præſtare poſſe, ſtatuunt; *Nil.* de Purg. p. 66.

VI. Reſtat ſtatus Eccleſiæ *Occidentalis* ſeu *Latinæ*, cujus geminum percurremus examen, *Generale* & *Speciale.*

VII. In *genere* obſervandum, artes Romanæ curiæ, impudentiam ejus & tyrannidem, ita creviſſe, ut & ipſi quidem Scriptores Pontificii deploratam Seculi hujus conditionem ſatis deflere potuerint.

Germaniæ facem deſcribit *Abbas Urſperg.* pag. 306. *Naucl.* p. 191. quorum ſuprà meminimus p. 66. Angliam animam quaſi agentem ſiſtit *Matth. Paris* pag. 423. *Temporibus illis igniculus fidei*

cœpit nimis refrigeſcere, ut penè in cinerem redactus vix videretur ſcintillare. Iam enim Simonia ſine rubore perpetrata, uſurarii maniſeſte diverſis argumentis à popularibus & minoribus pecuniam impudenter extorquebant. Expiravit charitas, libertas Eccleſiaſtica emarcuit, religio viluit ſuppeditata, & facta eſt filia Sion quaſi meretrix effrons, non habens ruborem. Quotidie viliſſimæ perſonæ & illiteratæ bullis Romanis *armatæ, in minas ſtatim erumpentes, reditus à piis patribus in victus religioſorum & ſuſtentationem pauperum & hoſpitalitatem peregrinorum collatos ſpretis privilegiis à ſanctis noſtris anteceſſoribus indultis diripere non formidârunt. Fulgurantibus enim ſententiis ſine dilatione raptim poſtulata receperunt. Quod ſi ad refugium appellationis vel privilegiis recurrerent, injuriam patientes & ſpoliatis; ſtatim ſuſpendentes per aliquem alium prælatum autentico Papæ compellente, fecerunt excommunicare. Et ſic non prece, non Canonicè, ſed imperioſa exactione ſimplices ſpoliârunt, iuxta illud Poëticum,* Armato ſupplicat enſe potens. *Vnde factum eſt, quòd ubi ſolebant nobiles & dapſiles Clerici Eccleſiarum cuſtodes & patroni circum.*

cumiacentis patriæ latitudinem ſua opulentia nobilitare, tranſeuntes ſuſcipere, pauperes recreare: ibidem abiectæ perſonæ moribus vacui, verſutia pleni, procuratores & firmarii Romanorum, quicquid pretioſum in terra fuit & utile, abradentes dominis ſuis in remotas terras delicioſè ex Patrimonio Crucifixi viventibus, & ex alieno ſuperbientibus transmiſerunt. Erat igitur videre dolorem præcordialem, genas ſanctorum irrigare, querelas erumpere, ſuſpiria multiplicare, &c. Confer ipſius *Regis* Angliæ literas ad Papam ſcriptas apud eundem p.775. Et p.878. *ô Romana curia ſterilis ſolicitudo, cæca ambitio. Ecce in tuis iniuriis omnes punimur: ut autem brevibus concludatur, univerſalis Eccleſia, quæ à Romana tenetur cura defendi, in multis ſe conqueritur prægravari.* Adde Epiſtolam de extrema expilatione ac ſervitute Angliæ per Papas effectam, ex veteri codice deſcriptam ab aut. *Catal.Teſt.Verit.lib.*16. p.622. Item p.627.& deinc. Librum denique *Durandi* de celebrando Concilio, quo non modo varii Eccleſiæ Romanæ tanguntur nævi, ſed & ratio monſtratur inſtituendæ ἐπανορθώσεως. Epitomen habet *Aut.* citat. p.645.& deinc. Confer Cent. *Bal.*p.308. qui ſcribit, *talem à Chriſto defectionem per Sa-*

tanæ miniſtros hypocritas notari, qualis non fuerit à prima plantatæ per Apoſtolos *Eccleſiæ origine.* Item ferè ex variis prodigiis & portentis obſervavit p. 346.

VIII. *In ſpecie* verò excutiemus *Scholas, Monaſteria & Eccleſiam.*

IX. *Scholæ*, magno in dies numero [a] auctæ, catervatim frequentari cœperunt. Studia [b] Philoſophica, [c] Medica, [d] Juridica, [e] Theologica, [f] Linguarum etiam, cultores quidem ſuos habuerunt, ſed diverſo non modò ſucceſſu, verùm etiam [g] ſcopo, eoque plerumque noxio.

[a] Habemus enim hoc ſeculo initium Academiæ *I. Viennenſis* à Friderico II. an. Chr. 1273. *Buchh. II. Patavinæ* ab eodem an. Ch. 1221. fundatæ, cùm Bononienſe Gymnaſium eo tranſtuliſſet. *Naucl. Centur. Plat.* p. 212. a. *III. Neapolitanæ*, ejuſdem munificentia erecta an. Chr. 1239. quo & Ariſtotelis ſcripta, & Mathematicas artes ex Græca aut Arabica Lingua in Latinam transferri juſſit. *Calv. IV. Palentinæ* Academia a. 1210. inſtituta ab Alphonſo à Ferdinando Rege traducitur Salmanticam ob loci commoditatem, an. Chriſti. 1240. *Marian.* Incidit etiam in hoc ſeculum fundatio *Sorbonæ*, de qua *Geneb.* an. Ch. 1243. Robertus Sorbona, Theologus, primus inſtitu-

tuit & ditavit Collegium Sorbonæ. Valdè ſunt inepti Hiſtorici recentes, qui Robertum hunc è Theologo, Fratrem D. Ludovici faciunt. Confer *Calviſ.* an. Ch. 1253.

[*b*] De A. *Grammatica* conſtat, quòd circa annum Ch. 1212 vixerit *Alexander de villa Dei*, qui Grammaticam edidit carmine leonino, cujus titulus eſt, Doctrinale puerorum, quæ in Scholis regnum obtinuit per annos trecentos, donec tandem ſuperiori ſeculo Grammatica certioribus fundamentis, & regulis tradita fuerat: Annal. Suev. conf. *Buch. & Calv.* De *Ariſtotelica Philoſophia*, quæ ſeculo hoc inter Monachos cum primis triumphavit, nullus ambigendi locus. *Thomas Aquinas*, ordinis Prædicatorum ex illuſtri Comitum Aquini familia, primus omnium Philoſophorum Latinorum non minus incredibili, quàm felici auſu Ariſtotelis Philoſophiam commentariis illuſtravit: *Sixt. Sen.* lib. 4. *Plat.* p. 223. p. 308. Ejus tamen præceptor, Albertus omnium Philoſophorum princeps vocatur, p. 195. *Haymo de Feversham* Anglus à Lelando Ariſtotelicorum Ariſtoteliſſimus vocatur. *Bal.* Centur. p. 316. qui etiam pag. 322. in *Iacobo* Ciſtertienſi ſcribit, *Dominicatos & Minoritas ex ſuo Ariſtotele turgidos, Præmonſtratenſes ac Ciſtertienſes Monachos bubulcos atque ovium tonſores contemptim vocâſſe.* Item: *Seculum hoc ſpinoſis Sophiſtarum argutiis miſerrimè*

fuiſſe obnoxium. *Stephano Langtono* in Philoſophia Ariſtotelica nullus eo tempore habebatur ſecundus; p.273. Eidem ille p.275. diſtinctionem librorum Biblicorum in capita tribuit; qua de re poſt ea. De *Roberto Kilvvarby* commemorat pag.335. *quod cum Cantuarienſem occupâſſet ſedem, ſtultitia inaudita quasdam hæreſes in Grammatica & Logica repererit atq; damnaverit, ut ſunt*; Ego currit; Animal eſt omnis homo: *pœnarum legibus in earum uſurpatores etiam editis. Iſtas quoq; poſtea, nihilo inſolentiores effecti* Magiſtri *noſtri Pariſienſes, communi ſuæ Sorbonæ decreto, tanquam pretioſos Papiſticæ Theologiæ Theſauros, ſuis addiderunt ſententiis.* Cur verò Epiſcopi Pariſienſes, cùm a. Ch. 1209. eò delata eſſent Metaphyſica Ariſtotelis ex Arabica Lingua in Latinã translata, prohibita fuerint, & flammis abolita, non video, niſi quòd fortè cum Arabum ſtudiis nihil commune ſibi eſſe voluerint. Vide *Cal.* C. *Matheſeos* peritiam magnam fuerunt conſecuti: a. *Rogerus Baconus*, Anglus, usque adeò ut Necromantiæ etiam nota ei, ſed injuſtè, inureretur: *Bal.* p.342. b. *Thomas Burgey*, qui reconditam Mathematicam cognitionem habuit. *Bal.* p.347. c. *Michael Scotus*, vulgò Mathematicus dictus; *Id.* pag. 351. d. *Ioh. de Sacroboſco* Anglus, Profeſſor Pariſienſis. *Geneb.* an. Ch.1281. e. Magno cumprimis

mis ſtudii huius deſiderio flagravit *Alphonſus*, Hiſpaniæ Rex, à quo præſtantiſſimi Aſtronomi Hebræi & Mauri, qui tabulas Alphonſinas fecerunt, erant convocati: Expendit in hanc rem ad quater centena millia aureorum. Tempus ita deſcribit, ut dicat effluxiſſe usque ad meridiem diei primi Junii feriæ 7. anni 1252. annos Nabonaſſareos 1999. & dies 240. annos Alexandreos 1562. & menſes octo: annos æræ Hiſpan. 1289. menſ. 5. Diocletianos 967. menſ. 9. dies. 3. annos Hegiræ 649. dies 123. *Calviſ. Faſcic. temp.* p. 81. b. refert ad an. Chr. 1251. Vixit etiam hoc ſeculo occidente *Raimundus Lulius* Catelanus, Monachus Tuneti in Africa, cuius Philoſophiam homines mirabantur potius, quàm imitabantur. In Theologia planè monſtroſus fuiſſe perhibetur. Lapidibus tandem in Mauritania obrutus occubuit. Vide lib. 4. *Geneb.* pag. 684. *Calviſ.* an. Chr. 1300.

[c] Quo nomine commendatur 1. *Petrus Hiſpanus*, qui in Medicina edidit Theſaurum pauperum, *Calviſ.* 1276. 2. *Thaddæus*, natione Florentinus, qui Papam Honorium ægrotantem adire noluit, niſi ſibi darentur in ſingulos dies centum aurei, cumque Honorius convaluiſſet, accepit præterea 10000. aureorum pro honorario. *Id.* an. Ch. 1280. 3. *Hugo de Eveſham*, artis Medicæ per illam ætatem Phœnix: *Bal.* Cent. 4. p. 338.

[d] *Ius* erat tum *Civile*, tum *Canonicum*. Vel utriuſque, vel alterius celeberrimi Doctores &

Profeſſores erant; a. *Bernhardus Dorna* Azonis diſcipulus. b. *Aro*, natione Italus Bononienſis, fons legum, Lucerna juris, claret an. Chr. 1230. c. *Accurſius*, natione Italus, Florentinus, primus univerſi juris Gloſſator, & adhuc ultimus: Licèt anno ætatis 27. cœpiſſet ſtudio legum vacare, ſummus tamen evaſit juriſconſultus. Moritur Bononiæ 1279. *Geneb.* d. *Iohannes Andrea*, Bononiæ, *Faſc. temp.* p. 83. *Calv.* a. Ch. 1298. e. *Iohannes Seneca*, cognomento Teutonicus, primus Gloſſator Decreti Gratiani, an. Ch. 1272. Buchh. f. *Rolandinus* de Romanicis, legum Doctor, pluresque alii, de quibus *Plat.* in Innoc. IV.

[*e*] Ea vel Scholaſtica erat, vel Exegetica, vel Hiſtoria, *Illius* Interpretes famoſiſſimi erant Albertus Magnus Dominicanus, & Ratisbonenſis Epiſcopus, S. Bonaventura, Franciſcanus, Alexander Aleſius. Joh. Valleis Anglus, Gualterus Pictavienſis Epiſcopus. Joh. de Rupella Pariſienſis, Guilelmus Epiſcopus Pariſienſis, ex oppido Arveniæ Aurilaco, Bartholomæus Brixianus, Gilbertus Tornacenſis, Bernhardus Parmenſis Presbyter Compoſtellanus, Hilarius Epiſcopus Aurelianenſis, Jacobus Achonenſis Epiſcopus, Odo Cancellarius Pariſienſis, Henricus Ebredunenſis Archiepiſcopus, &c. *Geneb.* p. 633. *Et* p. 638. Johannes Seneca, cognomento Teutonicus, primus Gloſſator ut vocant, Decreti, Hubertus, Alexander de villa Dei Minorita, Albinus Abbas Ferrarienſis, Adamus de Mariſco

ſco Anglus, Johannes Epiſcopus Boſſinenſis David Germanus, VValricus Argentinenſis Alberti diſcipulus, Theodoricus Turingus, Johannes Bezuntinus Epiſcopus, Adeledinus Sagienſis Epiſcopus Theologiæ Scriptores, *ut ferebant* (*NB.*) *illa tempora*, doctiſſimi. Et pag. 681. Philippus Cancellarius Pariſienſis, Thomas à Cantiprato, Richardus Mediavillanus Minorita Anglus, Albinus Bononienſis, Johannes Valenſis, Guilelmus Arronius, Godofridus ſeu Cujardus Epiſcopus Cameracenſis, Scriptores Theologici. P. 684. Habet Guilelmum Durandum, Gilbertum Magnum Anglum, Ægidium Biturigenſem Archiepiſcopum & alios: *Paginâ verò* 687. Henricum de Gandavo Tornacenſem Archidiaconum, Alexandrum de Villa, Conradum Halberſtadienſem Dominicanum, Johannem Scotum Franciſcanum, Doctorem ſubtilẽ, qui obiit an. Chr. 1308. Johannem Sanctogemi nianum, Petrum de Palude, Renerum Piſanum, Theologiæ Scholaſticæ, ut vocant, acutiſſimos Scriptores. De his, (quorum tamen aliqui Decretorum potiùs, quàm Theologiæ Scholaſticæ ſtrictè ſic dictæ, fuerunt Expoſitores) prolixiùs *Balæus*, *Trith.* & alii.

Exegeticæ Theologiæ Principes erant 1. *Hugo* Cardinalis; de quo prolixè *Sixt. Senenſ.* Bib. S. lib. 4. pag. 254. compendioſius verò *Calviſ.* an. Chr. 1240. & *Geneb.* an. Chr. 1254. *Hugo Cardinalis*

S. Sa-

S. *Sabinæ, antea Barchinonenſis* Monachus, *ſcripſit in univerſam Scripturã commentaria juxta quadruplicẽ ſenſum, utens numerali citatione & numeratione capitum, quam nunc habemus. Primus ex ordine Prædicatorum ad Cardinalatum aſſumtus, primus in capitula libros ſacros diſtinxit. Primus Biblicum indicem, quem vocant Concordantias* (confer *Plat.* in Innoc. IV.) *maiores, cum Conrado Alberſtadio Monacho collegit, coniunctis quingentorum* Monachorum *e diverſis cænobiis operis, atq; omnia Nomina, Verba, Participia, deniq; omnes tam declinabiles, quàm indeclinabiles orationis partes, toto Bibliorum contextu cõprehenſas, in Alphabeticum ordinem digeſſit. annotatis librorum capitibus & capitum lineis. Labore tam utili ſacrarum literarum ſtudioſis, ut* Græci *opera Eutalii* R*hodii Monachi, & Hebræi, ſtudio R. Iſaac Nathan iſtud fuerint æmulati.* Alii tamen de hac re aliter. Vide *anal.* noſt. p. 337. Ipſe *Genebrardus* dubitanter de capitũ inventione locutus ad a. Ch. 1243. ſcribit: *Circa hoc tempus Biblia in capitula, quæ hodie habemus, diſtinguuntur.* Scholaſticorum *videtur eſſe inventum, eorum fortaſſe, qui cum* Hugone *Cardinali Concordantiarum fuêre auctores.*

ctorrs. Nam ante iſta tempora Theologi ſuperiores canon uſurpant, inferiores frequenter, Alexander Aleſius, Albertus Magnus, Divus Thomas, Bonaventura, & cæteri uſq; in hanc diem Scholaſtici. Inventum tam commodum ut hodieq; Iudæi eo frui velint, quod eorum in Parschioth & Haphtaroth partitio ſit nimis prolixa. Diſtinctio autẽ Veterũ partim nulla, partim univerſior & longe pluribus paginis comprehenſa, partim cuique propria & arbitraria, &c. Imò & compendioſè & judicioſè veteres diſtinxiſſe proclive eſt colligere ex iis, quæ habemus in *Anal.* p.335. II. *Stephanus Anglicus*; Rector Academiæ Pariſienſis, primus Scripturam ſacram moraliter exponere cœpit circa hoc tempus. *Calviſ.* ex Trith. a. Chr. 1210. III. *Nicolaus Lyranus*, de quo *Sixt. Senenſ.* lib. 4. pag. 280. Nicolaus Lyranus *tanta divinarum Scripturarum vera, pura, ac germana intelligentia præditus, ut in eis exponendis nullum eruditiſſimorum Theologorum ſui temporis habuerit parem. Edidit in ſingula tam V. quàm N. T. volumina Scholaſtica poſtilla libr. 85. ſtudioſis Sanctarum Scripturarum, ac præcipuè tyronibus ad maiora properantibus non utiles ſolùm, ſed valdè etiam neceſſarios.* Vide & ſequentia laborum Lyrani elogia apud cun-

eundem. IV. *Albertus*, cognomento *Magnus*, cujus labores habes in Bibl. *Sixt. Sen.* lib. 4. p. 194. V. *Thomas Aquinas*, Alberti diſcipulus. Ejus in Scripturam comentaria, Expoſitionibus, Quæſtionibus & opuſculis diſtincta, recenſentur à *Sixt. Senenſ.* lib. 4. pag. 309. Plures peti poſſunt ab eodem.

Hiſtoriæ Theologicæ Scriptores appello, qui vel Sanctorum vitas populariter expoſuerunt, ut *Iacobus* Archiepiſcopus Genuenſis, ex oppido Varaginis, quod in ora maritima Ligurum non longè à Genua ſitum eſt; *Sixt. Senenſ.* p. 255. vel miracula incerta vulgi aut cleri fama tradita conſignârunt; de quibus quid ſentiendum ſit, paulò pòſt videbimus.

[*ſ*] Sed rariores. Linguarum enim, Latinæ etiam peritiam, ipſi ſcriptores Pontificii in Doctoribus ſuis deſiderant primariis. *Degenerabant iſtis temporibus*, ſcribit Lelandus, *à ſua puritate artes, una cum linguæ Latinæ elegantia, perſtrepebatq; in Scholis neſcio quæ Sophiſtica garrulitas*, *Bal.* p. 322. *Thomæ*, inquit *Sen.* lib. 4. p. 308. *ad plenam abſolutamq; totius tam divinæ quàm humanæ eruditionis gloriam, ſolus defuit Linguarum & eloquentiæ uſus, quem eruditi illius ſeculi, utpote ſublimioribus ſtudiis intenti, neglexere.* Erant tamen aliqui, quos ſeculi hujus authores à Linguarum peritia com-

commendant. *Matth. Par.* in Henr. III. p. 808. ait; *Magiſtrum Iohannem de Baſingeſtockes, Archidiaconum Legriæ, Græcis ac Latinis literis ad plenum fuiſſe eruditum*, cujus ſtudio Teſtamentum XII. Prophetarum Judæorum manibus ereptum, Athenis in Angliam fuerit portatum, & ex lingua Græca in Latinam translatum. Eundem etiam figuras Græcorum numerales in Angliam intuliſſe, easdemque familiaribus ſuis declaraſſe, ſcribit *Ibid.* Sic *Iohannes Balbus*, Genuenſis, author Latini dictionarii, cui Catholicon titulus eſt, Latinæ & Græcæ Linguæ peritus dicitur; *Sixt. Senenſ.* p. 257. Hebraicæ linguæ notitiam *Bal.* Centur. 4. p. 325. tribuit *Roberto Dodeforde* Monacho Benedictino. *Rogerum Baconum* tam Græcæ, quàm Hebraicæ Linguæ operam dediſſe annotat, p. 342. *Robertum* Lincolnienſem præſulem, Hebraicè, Græcè & Latinè peritum fuiſſe, ſcribit *Id.* p. 307. Linguam Hæbræam literatũ conſervatricem excuſſam eſſe à *Gregorio Huntington* Monacho, habet idem pap. 310.

[g] De ſucceſſu ſtudiorum vario nihil dicam. Palàm eſt, & meridiana luce clarius apparet, diverſorum ſemper ingeniorum diverſos in literis eſſe progreſſus, ſcopum expendemus, ad quem ſtudiorum iſtorum plerorumque collimârunt cultores.

Et primò quidem de ipſa *Philoſophia*, huius *Seculi*, quæ tam ſuperbè jugo familiæ excuſſo, ipſi

ipſi heræ Theologiæ ſacræ, leges præſcribere cœpit, quid ſani tibi pollicearis? Nugas, tricas, vitilitigationes adeò impudenter ſectatæ ſunt familiæ Monaſticæ, ut ipſe etiam Papa *Innocentius* de ſeculi ſui Philoſophia tale judicium tulerit:

Proſtat & in pretio, pro meretrice ſedet;

cui tamen dicto alium affingit ſenſum *Matth. Paris*, p. 855.

Scholaſtica Theologia ad oſtentationem potiùs, quàm ædificationem, more veterum Academicorum, de difficilimis etiam rebus εἰς ἑκάτερα diſputabat. Hic Rhodus erat, hic ſaltus. Memorabile ſuppeditat exemplum *Matth. Par.* ad a. Chr. 1201. p. 198. *Ipſis quoque diebus quidam Magiſter Pariſienſis natione Francus, nomine Simon cognomento Churina ingenio capaciſſimus & memoria tenaciſſimus, cum per decennium Scholas artium nobiliſſimè rexiſſet, utpote in trivio & quadrivio, id eſt, in ſeptem liberalibus artibus peritiſſimus, ſe contulit ad Theologiam, in qua cum paucos annos deſudâſſet, adeò profecit, quod digniſſimè cathedram aſcendit magiſtralem. Legit igitur ſubtiliter valde, & ſubtilius diſputavit, quæſtiones difficilimas & inauditas ſolvendo, & eleganter dilucidando. Tot habuit auditores, quot ampliſſimum palatium potuit continere. Vna igitur dierum cum nimis profundis rationibus in*

in medium propoſitus de Trinitate, ſubtiliſſimè diſputâſſet, & dilata fuiſſet determinatio uſq; in craſtinum; omnes Theologi Scholares in civitate præmuniti ad audiendum tot quæſtionum inexplicabilium ſolutiones, ad ipſius famoſam Scholam certatim confluxerunt. Determinaverit igitur Magiſter omnes prædictas quæſtiones, & quæ videbantur omnibus inenodabiles, tam dilucidè, tam eleganter, tam Catholicè, ut omnes auditores redderet ſtupefactos. Et poſt determinationem acceſſerunt quidam ejus familiariores, & ad diſcendũ avidiores, poſtulantes à Magiſtro, ut eo dictante, quæſtiones literis commendarent: dixerunt namque, indignum eſſe, & jacturam irreſtaurabilem, ſi memoriæ ſcientiæ deperiret. Quibus ipſe elatus, & maior ſibi ſe, ait oculis ſublevatis, & temerè ſolutus in cachinnum: O Ieſule, Ieſule, quantum in hac quæſtione confirmavi legem tuam & exaltavi: Profectò ſi malignando & adverſando vellem, fortioribus rationibus & argumentis ſcirem illam infirmare, & deprimendo improbare. Et hoc dicto, elinguis penitus obmutuit, non tantùm mutus, ſed idiota & ridiculosè infatuatus, nec poſtea legit vel determinavit, & factus eſt in

 ſibi-

ſibilum & deriſum omnibus, qui hoc audie rant. Hoc igitur miraculum multorum Scholarium ſuppreßit arrogantiam & jactantiam refrænavit. Multos ergo Scholares pruritu hoc laboraſſe neceſſum eſt. Conſtat enim, veritatem tum divinam uſque adeò ſpinoſis iſtis rixis, monſtroſis terminis, & profanis vocum novitatibus labefactatam fuiſſe, ut plerique, Paulo Apoſtolo æternùm valere juſſo, unum Ariſtotelem mala fide expoſitum & peſſimè intellectum jactarent, &c. *Catal.* teſt. verit. lib. 16. p. 592. quæ quidem ſophiſticè diſputandi ratio in Anglia primùm, deinde Pariſiis obtinuit, *Alexandro Minutiano* teſte apud *Bal.* p. 313. Unde & *Arnoldi de villa nova* querela; Quòd Theologi perfidiosè adjunxerint Philoſophorum ſomnia Scripturis ſacris. *Idem* p. 358.

Exegetica hinc magnam paſſa fuit cladē, quòd præter ſenſum literalem alium multi fingerent, anagogicum, allegoricum, & cumprimis tropologicum: quo factum paulatim, ut genuino Scripturæ ſenſu omiſſo & amiſſo, in ænigmata omnia converterentur, &, ut vocârunt, moralitates. Qua de re aliquid dictum eſt in *Theſ. Philol.* p. 243. Interim, non negamus, multa à Scripturæ Seculi hujus Interpretibus dicta eſſe, quæ & calamitatem ætatis produnt, & Eccleſiæ faciem cadaveroſam oſtendunt. *Hugonis* eſt illa gloſſa: *Diabolum olim duas habuiſſe filias, avaritiam & luxu*

luxuriam. Avaritiam elocaſſe Iudais, luxuriam Ethnicis. Caterùm iam clericos utriſq; illorum ſuas ſponſas eripuiſſe, ſolosque velle ſibi proprias utramque habere. Ejuſdem eſt. *Spirituales nullam habere coactivam poteſtatem, et ſi quam ſibi uſurpent, habere eos ab Imperatore.* Super Pſal. 77. verò inquit: *Multi clerici ſunt progenies viperarum. Fœtus enim interficit matrem, quando naſcitur: quia mater crepat, et multi ex quo nati ſunt in Eccleſia, perſequuntur matrem Eccleſiam, et Chriſtum patrem, et quantum in ipſis eſt interficiunt:* In Poſtilla ſuper 2. Johannis citat Bernhardum ita querentem: *Videtur, bone Ieſu, contra te conjuraſſe univerſitas Chriſtianorum, et illi in perſecutione tua primi ſunt, qui in Eccleſia tua videntur primatum tenere, et gerere principatum, &c.* Lyranus Symbolicam & Allegoricam interpretandi rationem à Scholaſticis invectam, non modò improbavit; ſed & expreſsè in verba Matth. c. 16. *Et porta inferi non pravalebunt,* ſcripſit: *A vera fide ſcil. ſubvertendo. Ex quo patet, quòd Eccleſia non conſiſtit in hominibus ratione poteſtatis vel dignitatis Eccleſiaſtica, vel ſecularis, quia multi Principes et ſummi Pontifices et alii inferiores inventi ſunt*

ti ſunt apoſtatâſſe à fide: propter quod Eccleſia conſiſtit in illis perſonis, in quibus eſt notitia vera, & confeſſio fidei & veritatis.

Hiſtoria Theologica cruda planè fuit, inepta & apertè mendax; conſarcinatores ejus, dummodò Papatui conſuleretur, parvi duxerunt, qua fide agerent, quáve perfidia. *Iacobi de Voragine*, quem tantopere commendat *Sixt. Senenſis*, Hiſtoriam Longobardicam (quæ & *aurea legenda* vocatur) quo ipſi Pontificii habuerint loco, diximus in ὁδηγῷ P. 11. p. 158. Eodem etiam carbone à *Melchiore Cano*, celebri Hiſpanorum Theologo, notantur cætera ejusdem commatis ſcripta, de ſanctorum vita & miraculis prodigiosè conficta, ut fusè probavimus *lib. cit.* p. 239. Atque ſic paulatim accidit, ut memoria Chriſti, miraculorum & meritorum ejus, mentibus hominũ excuſſa, ad ſanctos miſera peccatorum ſarcinâ onerata plebs, ſe conferre fuerit coacta. Exinde variæ paulatim pullulârunt controverſiæ, quibus prior & purior ætas vix ſe fatigari paſſa fuiſſet. Cujus rei luculenta aliquot ſpecimina in nimia Papiſtarum *μαγειολατρεία καὶ ἁγιολατρεία*, fusè à nobis deſcripta P. II. ὁδηγῷ, præſertim p. 156. & 266. quo lectorem ablegamus.

Reſtant *jura*, Canonicum & civile, quorum illud Pontificum tyrannide dicam an vafritie? penè fuit ſuppreſſum. Cùm enim viderent, tantum ex publico uſu & receptione Juris Civilis autho-

authoritati ſuæ decedere, quantum Imperatoribus Romanis inde accedit, non modò, ne Jus amplius civile publicis explicaretur lectionibus, operam dederunt, ſed ejus loco Decretales ſuos obtruſerunt. *De Gregorio IX.* ſcribit *Genebrardus* a. Ch. 1241. *quòd jus civile legi vetuerit Lutetiæ & aliis in locis vicinis; quinque contra libros Decretalium eo quo nunc ſunt ordine digeri curârit per Raimundum Barchinonenſem.* Aliorum Paparum, in Decretalibus compilandis Epiſtolis, ſtudium habes apud *Plat.* in Innoc. IV. Alexand. IV. Poſtea tamen *Eudo*, Burgundiæ Dux, Galliæ Regi ſuaſit & *Extravagantes* in ſuo recipi ac magnifieri peteretur. Videbat nimirum, eas leges, ſicut & *Budæus* teſtatur, *nihil aliud eſſe niſi fraudulentos quosdam laqueos & inſidioſa retia, quibus Papa eorumq; Prælati omnes fortunas ac dignitates laicorum tum publicas tum privatas ad ſeſe rapiunt ac pertrahunt.* Conſilium ejus, prudenter ſcriptum, adhuc extare in regiis regeſtis, Carolus Molinæus teſtatur *Catal. Teſt. Verit.* lib. 17. p. 84.

X. *Monachatus*, Pontificis authoritate [a] ſuffultus, noviſque & [b] ordinibus [c] privilegiis auctus, non moribus [d] tantùm, ipſo ſcriptorum Pontificiorum judicio, intolerabilis; ſed & [e] doctrinâ, impiis novitatibus fermentatâ,

notiſſimus fuit. Unde nunquam majorem ſimplicitas Apoſtolica cladem accepiſſe videtur, quàm hoc ipſo ſeculo, quo Monaſtica impudentia, totum pene orbem vel tyrannide oppreſſit, vel ſuperſtitione faſcinavit.

[4] Videt jam ſedes Pontificia, magnam ordinum Monaſticorum curam eſſe & fidem pro authoritate ſua aſſerenda. Omnis conatus eorũ huc tendebat, ut & ſuperſtitiones Paparum tyrannidæ obtruſas, & Monarchiam ejus tot jam fulminibus ſtabilitam, defenderent. Gratiam igitur Papa relaturus, nihil non iisdem indulſit. Si quæ inter Epiſcopos, alióſve clericos, & Monachos orta diſſidia, Romam decidenda ablegabantur, non facilè repulſam hi ab eo judice timere poterant, in cujus gratiam ipſam etiam vitam profundere paratiſſimi erant. *Diebus ſub eiusdem*, ſcribit *Matth. Par.* p. 880. *orta eſt gravis diſſenſio inter univerſitatem Pariſienſiũ Scholarium, & fratres Prædicatores, ibidem conversantes, ubi Prædicatores Domino Papæ devoti, & propter eorum multimoda obſequia, ipſi curiæ gratioſi, in hoc certamine meliorem calculum reportârunt. Data eſt igitur ſententia à Domino Papa pro fratribus Prædicatoribus, & omnibus religioſis, ut legant licenter in*

Theo-

Theologia, non conſiderato numero legentium, &c. Sic an. Ch. 1247. *fratres Prædicatores impetrârunt privilegium à Domino Papa, ne liceat alicui fratrum ab eorum ordine ad alium transmigrare, nec alicui Abbati vel Priori aliquem talem ſuſcipere, cùm tamen ipſi ſuſcipiant transfugas Monachorum;* Id. p. 708. *Cum autem multi moribus, ſcientia, & genere pollentes, ad eorum ordinem à ſeculo convolarent, neque poſtea talem formam* Re*ligionis, qualem ſe inveniſſe ſperabant, reperiebant, ſed pro clauſtro totius mundi latitudinem præſertim cum in principio regulæ ſuæ reprobat* S. *Benedictus, illud genus Monahorum, quod gyrivagum eſt (Prædicatores autem & Minores vagos eſſe, qui omnes provincias peragrare norit,* teſtatur Id. p. 518.) *cæperunt dolere & pœnitere, quod ad talem ordinē intrâſſent, & quærere ſubterfugia contraria.* Et. pag. 851. *Diebus autem ſub eisdem orta eſt diſcordia magna inter univerſitatem Pariſiacam Scholarium & fratres Prædicatores, qui in tantū jam multiplicati ſunt & exaltati, Regum facti Confeſſores & Conſiliatores, ut veteribus & approbatis conſuetudinibus & juribus Scholarium renuiſſent ſubjacere. Congregati igitur*

Scholares collectam fecerunt, & contribuerunt quilibet ſecundum poſſe ſuum. Et cujuslibet communia hebdomadalis abbreviata eſt, ut inde Romanæ curiæ pro parte cleri ſatisfieret: Vnde cornua ſumſerunt fratres memorati. Habebant enim in curia amicos magnæ poteſtatis, ſcilicet D. Fratrem Hugonem *de ordine Prædicatorum, imò ipſum Papam & multos præpotentes.* ſic, cùm *Viterbii inter ſacerdotes Cathedralis Eccleſiæ, & Fratres Prædicatores de corpore Clementis IV. orta eſſet contentio (utérque enim ordo ſanctiſſimum corpus apud ſe volebat (adiudicavit id Innoc. V. fratribus committi debere, &c. Plat.* Innoc. V. Aliud exemplum habet *Matth. Par.* p. 204.

[*b*] Talis eſt ordo 1. *Celeſtinorum*; de quo *Faſt. temp.* p. 82. b. Ordo *Celeſtinorum* inchoatur per virum ſanctum Celeſtinum, qui in Papam electus eſt, &c. 2. *Franciſcanorum*, ſeu Minorum, quem *Franciſcus* a. Ch. 1209. inſtituit, Honorius verò III. an. Ch. 1223. d. 29. Nov. confirmavit: qui quidem ordo ita eſt dilatatus, ut à quibusdã plura quàm 1743. Franciſcanorum Monaſteria recenſeantur. Encomium hujus ordinis pandit *Matth. Par.* p. 203. Brevem Franciſci hujus προσωπογραφίαν, ejusdemque regulam habet *Par.* p. 327. & *Naucler.* 41. p. 212. Id verò ridiculum eſt, quod ajt, *eum, cum aliquandiu pedibus calcea-*

us inceſſiſſet, ſententiæ Dominicæ memor; ui venit ad me & non renunciat omnibus quæ oſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, *abje- ctis omnibus tunicam protritam ſune præcin- ctam induiſſe, atq; mox novum ordinem inſti uiſſe*; quaſi vel calceatum eſſe piaculum fuerit, ut Chriſtus neminem in ſuam admittat familiã, iſi qui, nulla urgente neceſſitate, omnibus nundi commodis renunciâvit. Et ſanè, miran- lum eſt, audax illud hominum genus, cum Chri- ti verbis affingere ſenſum, ſuæque inde ἐθελοπε- ρισσοθρησκείᾳ patrocinium quærere, cujus ibi iec vola apparet nec veſtigium. Neminem Ser- vator ſuis abire bonis juſſit, aut cedere commo- lis, niſi fortè detrimentum aliquod inde cape- ret ipſa fidei confeſſio, aut periculoſum conſci entiæ extimeſcendum eſſet naufragium; Tunc enim præſtat ſaburram illam ejicere, omniaque hujus vitæ commoda ſpernere. Ineptè igitur, quæ συγκριτικῶς Chriſtus protulit, ἁπλῶς à mul- tis Monaſticorum ordinum authoribus intelli- guntur. Sed hæc alius ſunt loci. 4. *Fratrum de pœnitentia*, quæ familia Maſſiliæ in Galliis inſtitui- tur an. Chr. 1251. 5. Novus ordo Monachorum *Saccatorum* in Anglia Papæ authoritate introdu- citur; *Par.* p. 916. *Cal.* an. Ch. 1257. 6. *Flagellan- tium* etiam ſecta circa an. Chr. 1260. exorta fuit. Erant ſuper umbilicum nudi, tecti facie, ne a- gnoſcerentur. Nunc in terram corruebant, nunc

nuda brachia & cœlum elevabant, nullo frigore obſtante. *Chron. Aug.* 7. Ordo *Servorũ Mariæ*, authoritate Philippo Tuſco medico Florentino, incipit a. Ch. 1282. poſteaq; à Pontifice approbatur. 8. *Ordo Monachorum* montis Dei in Alboitz inſtituitur per Alexandrũ Eremitam a. Ch. 1203. Quibus ferè σύγχρονος eſt ordo Beginarum, *à Bege* authore vocatus. *Chron. Belg.* an. Ch. 1207.

[c] *Primùm* enim in Eccleſia peragendis ſacris, audiendisque Confeſſionibus adhibeantur. *Ioh. Vitodur.* M*artinus III. fratres Prædicatores & Minores ſuper confeſſionibus audiendis decoravit, privilegio ſpeciali, ut poſſent hominibus miniſtrare Eccleſiaſtica Sacramenta, ſi plebani, contra confitentes, dictis fratribus voluerint malignari.* Formulam privilegii hujus à Gregorio & Innocentio IV. Prædicatoribus conceſſi recitat *Matth. Par.* p. 672. confer p. 887. Hanc verò ſemel conſecuti facultatem, quàm ſe geſſerint importunè, *Matth. Paris*, quàm meis malo exprimere verbis. Ita ille pag. 404. *Eodem quoque tempore quidam de fratribus Minorum, nec non & aliqui de ordine Prædicatorum, impudenter nimis, ſuæ profeſſionis & ordinis immemores, in territoria aliquorũ nobilium Cœnobiorum ſe clàm ingeſſerunt, ſub prætextu officii ſui adimplendi, et velut poſt craſtinam prædicationem receſſuri, ſed vel infirmi-*

rmitatem, vel aliud quippiam ſimulantes anſerunt: & fabricato ex ligno altari, ſuperſitoq; altariolo lapideo benedicto ſecum alla-, Miſſas clandeſtinas demiſſa voce celebrant, Confeſſiones multorum receperunt, etm parochialium, in præiudicium Presbyteroum. Dicebant namq; ſe talem à Domino Papa ſcepiſſe poteſtatem, ut eis ſcilicet fideles quæ o erubeſcunt Sacerdoti cõfiteri vel dedignanur, quia conſimili peccato conſtringuntur, el timens, quia temulento confiteantur; qui us injungant Minores *pœnitentias & abſolant. Interim ad Romanam curiam miſſo rocuratore feſtino & diligenti contra religioſos, in quorum degebant territorio, conceſſam npetrarunt, cum aliquo beneficio, manſionem. Quòd ſi fortè adhuc eis ſatisfieri non viderentur, in verba contumelioſa comminatoria prouperunt, ordinem alium quàm ſuum reprobantes, aliosq; fore de numero damnandorum fferentes, ne parcere callo plantarum ſuarum, donec theſauros adverſariorum ſuorum, licet multos exhauſiſſent. Vnde in multis cedebant eis religioſi, deferentes propter ſcandalum & propter potentum offendiculum. Erant enim Magnatum Conſiliatores & nuncii, etiam*

etiam Domini ſecretarii nimis in hoc gratiam ſibi ſecularem comparantes. Aliqui tamen in curia Romana contradictores invenientes, obviis rationibus refrenati, confuſi receſſerunt. Dicente eis, torvo vultu, Pontifice Romano: *Quid eſt hoc, fratres? quo prorumpitis? Nonne profeſſi eſtis paupertatem ſpontaneam, ut diſcalceati & inglorii peragrantes vicos & caſtella & loca remotiora prout opus exigit, verbum Dei humiliter ſeminetis? Præſumitis iam invitis Dominis feudorum manſiones vobis uſurpare? iam videtur in magna ſui parte religio veſtra expirare, & doctrina (NB) refutari, &c.* Et pag. 955. ab eadem etiam modeſtia Prædicatores commendat, verbis dignis, quæ ad rei memoriam reciten-tur: *Tempore eodem collata domo quadam cum manſione pertinente Dunſtaple charitative fratribus Prædicatoribus, quidam ſe ex eis inſtanter ingeſſerunt in eundem ſecretius, in enorme medicamentum Prioris & conventus de Dunſtaple. Exemplo edocti fratrum Minorum, qui apud Sanctum Edmundum manſionem malo grato Abbatis & conventus eiusdẽ loci adepti, in non minimam illius domus laſionem, domicilia adeo ſumptuoſa conſtruxerant,*

ut

in oculis intuentium tot ſumtus tam ſubitò
uſi à pauperibus fratribus paupertatem vo-
ıtariam profeſſis, admirationem ſuſcitarent.
emorati igitur fratres repentino & clande-
no impetu aram erexerunt, & ſolenniter,
n expectata quacunque licentia, divina cele-
ìrunt ibidem. Animabant enim ipſos quæ-
ıque voluerant adepta privilegia, & prote-
o Cardinalis fratris Hugonis *non minima.*
ui de die in diem ædificantes collatis ſibi à
am plurimis locis circumiacentibus, de qui-
s Prior & conventus redditus debent perci-
e in magnum eiusdem domus detrimentũ,
brevi ſatagunt ampliare. Et quantum ipſi
ædificiis & ſpatiis latioribus argumentan-
, tantò Prior & conventus in bonis ſuis &
ibus anguſtiantur; quia redditus, quos à
ſnagiis fratribus collatis receperant, ſibi
ncipereunt, & oblationes quæ eis dari conſue-
rant, fratres iam noviter venientes prædi-
ionibus ſuis urgentibus funditus uſurpant.
lem etiam artibus Prædicatores pomœria ſua
ıpud nos dilatâſſe, ut publico Senatus Tiguri-
lecreto limites fuerint ponendi, diximus in
y. noſtri P. III. p.370. Quid igitur mireris
to mox numero familias has Monaſticas cre-
:, ut *Sabellicus*, qui floruit an. Chr. 1484. te-
ſtatus

ſtatus fuerit, *ſuo tempore Dominicani inſtituti fuiſſe cœnobia* 4143. *& in his initiatos ſeu religioſos* 26460. *quorum circiter* 1500. *eſſent Theologicæ Profeſſionis* Magiſtri, *exceptis aliis cœnobiis permultis, quæ in Armenia, Æthiopia & alibi fuere. Franciſcani autem inſtituti tot fuiſſe conventus, ut eorum numerus iniri vix poſſit*; *Bzov.* an. Ch. 1216. S. 6. Atque ſic regimen paulatim Eccleſiaſticum, qui laicorum olim numero & loco erant, obtinuerunt Monachi. Neque verò munia tantùm Eccleſiaſtica Papæ authoritate obire; ſed & Academiarum habenas tenere, easq; iidem pro lubitu moderari cœperunt. Subtiliſſimi Scholaſticæ Theologiæ Doctores, quorum jam præcedunt nomina Monachi erant. Et ne Ciſtercienſes clauſtrales porrò contempti viverent, animum etiam iſti ad intricata illius ætatis literarum ſtudia appulerunt, teſte *Matth. Par.* pag. 742. *Temporibus ſub eisdem Ciſtercienſes* Monachi, *ne amplius forent contemptui fratribus Prædicatoribus &* Minoribus, *& ſecularibus literatis, præſertim Legiſtis & Decretis, novum impetrârunt privilegium. Et ad hoc nobiles ſibi Pariſiis & alibi, ubi Scholæ viguerunt paraverunt manſiones. ut* Scholas *exercendo in Theologia, Decretis, & legibus ſtuderent liberius, ne viderentur*

rentur aliis inferiores. Mundus enim jam in ſuperbiam elatus religionem clauſtralium contemnit & religioſos bonis ſuis contendit ſpoliare. Et ſic propter mundi nequitias rigor ordinis Monaſtici in parte eſt enervatus, &c. Plura de Monachorum ſtudiis haberi poſſunt ex *Bzov.* an. Chr. 1216. S. 11. & an. Chr. 1220. S. 14. *Matth. Par.* p. 593. & 742. quæ duo teſtimonia αὐτολεξεὶ ſtatim exſcribuntur, utpote ex quibus luculentiſſimè patet, non modò Simonem illum *Churnai* (quem vocat *Matth. Par.* vel *Turnacum*, ut eſt apud *Bzov.* an. Ch. 1201. S. 8. vel *Thuruaium*, ut *Bal.* habet Cent. 3. pag. 243.) ſed reliquos etiam Monachos ſtudia ſua non ad ædificationem; ſed ad ingenii oſtentationem, laureolam quærentes in muſtaceo, contuliſſe.

[*d*] Hinc variæ authorum querelæ de Monachorum 1. *Luxuria, laſcivia, vitaq; planè effreni.* In *Chron. Lorch*, habetur, quòd a. C. 1232. Cœnobiũ Lorch cum omnibus Monachis & Vaſallis datum fuerit ArchiEpiſcopo Moguntino, propter Monachos ferociores, qui non agnoſcebãt ſuperiorẽ, & luxurioſiùs vivebant. *Euſtachius* Monachus proditor Regis Angliæ & nequiſſimus proditor appellatur, p. 287. *Matt. Par.* De *Benedictina* familia ſcribit *Matth. Par.* p. 708. *quòd multi moribus, ſcientia, & genere pollentes ad ordinem illum convolantes talẽ formam religionis, qualẽ ſe invenif-*

veniſſe ſperabant , non reperiſſent, ſed pro clauſtro totius mundi latitudinem, cæpiſſe dolere & pænitere; quod ad talem ordinem intrâſſent. In Dania etiam fuiſſe, *ſolo nomine* Mo*nachos*, refert *idem* p.731. Unde & ex Anglia ipſum hunc Matthæum reformatorem dari ſibi petierunt. Huc pertinet miſerabis illa tragœdia Prioris de Th fordia, ab alio Monacho, gulæ & abdominis mancipio, confoſſi, *Idem* pag. 727. II. *Contentionis etiam funem* quis libentius traxerit, quàm ipſi illi funigeri? Hinc orta illa diſſenſio inter Abbatem Monaſterienſem, & ejus conventum, *in totius ordinis Nigri ſcandalum & opprobrium*; *Matth. Par.* p. 743. *Ad eiusdem* (ita idem loquitur l.c.) *quoq; ſcandali augmentationem, ipſo eodem tempore orta eſt diſſenſio inter* Abbatem *de Burgo, VVillielmum & eiusdem loci conventum. De dilapidatione namque & conſanguineorum ſuorum multitudine ſupra modum circumdabatur, ditationes in enorme Eccleſiæ ſuæ damnum correptus, errorem non correxit.* Magna cumprimis ſcandala & odia fuiſſe inter Magiſtros Pariſienſes & Fratres Prędicatores, recitat *idem* pag. 909 Operæ pretium cumprimis fuerit audire *Matthæum* hunc in Theatrum producentem Dominicanos & Franciſcanos de ſanctitatis vitæque religioſæ rigore efflictim digladiantes: *Et ne mundus*

(ſcri-

{ſcribit in Henr. III. p. 592. *turbinibus undique multiplicatis vacare videretur, inter Fratres Minores & Prædicatores controverſia eiſdem temporibus ventilata, multos, eo quod viam perfectionis, videlicet paupertatis & patientiæ, videbantur elegiſſe, movit in admirationem. Aſſerentibus enim Prædicatoribus ſe fuiſſe priores, & in hoc ipſo digniores, habitu quoque honeſtiores, à prædicatione merito nomen & officium ſe ſortiri, & Apoſtolica dignitate verius inſigniri, reſpondent Minores: ſe arctiorem vitam & humiliorem pro Deo elegiſſe, & idcirco digniorem, quia ſanctiorem, & ab ordine Prædicatorum ad ordinem eorum fratres poſſe & licenter debere, quaſi ab inferiori ad ordinem arctiorem & ſuperiorē transmigrare. Contradicunt eis in faciem Prædicatores, aſſerentes, quod licet ipſi Minores nudi pedes & viriliter tunicati, cinctiq; funiculis incedant, non tamen eis eſus carnium etiam in publica, vel dieta propenſior, denegatur, quod fratribus eſt Prædicatoribus interdictum: Quapropter non licet ipſis Prædicatoribus ad Minorem ordinem, quaſi arctiorem & digniorem, avolare, ſed potius e converſo. Sic, ſic igitur, ſicut inter Templarios & Hoſpitalarios*

in ſancta terra, ſic & inter illos humani generis inimico zizania ſeminante, ortum eſt diſcordiæ enorme ſcandalũ, & quia viri literati ſunt & ſcholares, univerſali Eccleſiæ nimis periculoſum in indicium magni judicii præ foribus imminentis. Et quod terribile eſt, & in triſte præſagium, per trecentos annos vel quadringentos vel ampliùs, ordo Monaſticus tam feſtinanter non cœpit præcipitium, ſicut eorum ordo, &c. Redit deinde ad ſumtuoſa illorum ædificia, variiſque fraudes, *ut qui morituris magnatibus & divitibus, quos norunt pecuniis abundare, diligenter inſiſtant, non ſine ordinariorum iniuriis & iacturis, ut emolumentis inhient, & confeſſiones extorqueant, & occulta teſtamenta, ſe ſuumq; ordinem ſolùm cõmendantes & aliis omnibus præponentes: Vnde nullus fidelis, niſi Prædicatorum & Minorum regatur conſiliis, jam credit ſalvari. In acquirendis privilegiis ſolliciti, ut in curiis Regum & potentum conſiliarii, & cubiculari & Theſaurarii, paranymphi, & nuptiarum prælocutores, Papaliũ extorſionũ exequutores, in prædicationibus ſuis, vel adulatores, vel mordaciſſimi reprehenſores, vel confeſſionum detectores, vel incauti redargutores. Ordines*

quoq; authenticos à Sanctis Patribus conſtitutos, videlicet à Sanctis Benedicto & Auguſtino, & eorum profeſſores contemnentes, prout in cauſa Eccleſiæ de Scardebuce, in Minores *turpiter ceciderunt, patuit, ſuum ordinem aliis præponunt. Rudes reputant, ſimplices & ſemilaicos, vel potius ruſticos Ciſtercienſes Monachos: Nigros vero ſuperbos & Epicuros.* Sic Priores & Monachi VVintoniæ, & Abbas & Conventus Glaſtoniæ *per ſuas diſcordias & ambitiones, in toto ordine Monachorum, ſcandalum ſuſcitârunt*; *Matth. Par.* p.953. De diſſidiis *Templariorum* & *Hoſpitalariorum* loquitur idem p.585. præſertim 956. Diſcordiam inter *Abbatem & Conventum* VVeſtmonaſterienſem deſcribit p.790. De controverſia inter Epiſcopos Cantuarienſis Eccleſiæ ſuffraganeos Monachos ejusdem Eccleſiæ agit p.205. Quo etiam novæ Monachorum pertinent conſtitutiones, *quibus ita diſcordes vivebant, ut ex omnibus cœnobiis duo vix haberentur, in norma vivendi concordes*; *Id.* pag.369. III. *Opibus* religioſi, ἀκτημοσύνην voventes, *ita abundârunt*, ut Principibus etiam palmam præripuerint. Unde Henricus III. Rex Angliæ Magiſtro Hoſpitalis Hieroſolymitani, quem Priorem appellant, *cum privilegiorum confirmationem petiiſſet, torvo plane vultu reſpondit: Vos Prælati &*

Religioſi, maxime tamen templarii & Hoſpitalarii, tot habetis libertates & chartas, quòd ſuperfluæ poſſeſſiones vos faciunt ſuperbire, & ſuperbientes inſanire. Revocanda igitur ſunt prudenter, quæ imprudenter ſunt conceſſa; & revocanda conſulte, quæ inconſulte ſunt diſperſa. Et addidit: *Nonne Dominus Papa quandoque, imo multoties factum ſuum revocat? &c.* Matth. Par. Quid, quòd fraudes iis à ſecularibus palàm exprobrentur, proditiones, homicidia, quæ luſus illis erant & jocus, modò ventri conſuleretur? Unde Comitis Attrebatenſis querela: *O antiqua templi proditio! O vetus Hoſpitalariorum ſeditio! O fraus diu occultata, quàm manifeſte nunc prorupit in medium. Hoc eſt quod diu vero præcinimus augurio; & veraciter eſt prædictum, hæc tota terra Orientalis jam diu fuiſſet acquiſita, niſi Templi & Hoſpitalis, & aliorum, qui ſe proclamant religioſos, fraudibus nos ſeculares impedirent. Timent enim Templarii, & formidant* Ho*ſpitalarii, & eorum complices, quod ſi terra viribus ſubdatur Chriſtianis, ipſorum expirabit, qui amplis redditibus ſaginantur, dominatio.* Hinc *eſt quod fideles huc adventantes, & ad negotium crucis accinctos, variis inficiunt potio-*

potionibus, & Saracenis confœderati, diverſis interficiunt proditionibus. IV. De *Avaritia* Monachorum pleni ſuntScriptorum libri. Unde teſte *Matth.* VVeſtmon. anno Chriſti 1241. *Prædicatores & Minores plurimum per mundum erant diffamati, quod pecunia mediante cruce ſignatos in Chriſtianorum perniciem abſolviſſent, ſeu voto levâſſent.* Auro corrupti, Judæorum ſupplicii capitalis reorum, magno ſcandalo cauſſam egiſſe perhibentur; *Par.* p. 893. V. Quàm *negligenter* in demandati muneris functione verſati fuerint, de favore potiùs Principum, quibus proinde palpum ſemper obtrudebant, quàm animarum ſalute ſoliciti, patet ex eo colloquio Epiſcopi Lincolnienſis cũ Johanne de S. Ægidio Monacho, habito apud *Matth. Par.* pag. 846. Hæreticos eo nomine non Monachos tantùm, ſed ipſum etiam Papam appellat; Decret. ſequutus. Vide p. 847.

[c] Nam & in hac quoque malè ſani erant, & impii ſæpe. Unde & Papa coram exprobravit, religione eorum magna tam ſui parte expirare, doctrinamque refutari, vide ſup. p. 365. Sed gravior de ſumma Mendicantium horum audacia, & proterva impudentia movetur querela à *Matt. Par. Ipſis quoque temporibus, videlicet poſt feſtum ſancti Michaelis, ut moris eſt, ſtudiis Scholarum & Scholarium reflorentibus, inci-*

piebant Magiſtri *Theologiæ, præcipuè tamen præcipui Prædicatorum & minorum lectores, diſputare & diſſerere ſubtilius & celſius, quàm decuit aut expedivit. Qui non verentes tangere montes, à gloria Dei opprimendi, nitebantur, ſecreta Dei inveſtigabilia temerè perſcrutari, & judicia Dei, quæ ſunt abyſſus multa, nimis præſumtuosè indagare. Vnde defecerunt, ſcrutantes ſcrutinio, & erraverunt in invio, Deo vindice, cui plus placet firma fidei ſimplicitas ſobria, quàm nimis tranſcendens in Theologia ſubtilitas. Et cum tutius ſit & magis meritorium ſimpliciter à Patribus tradita accipere & credere quàm probata, & ea, quibus humana ratio præbet experimentum, experiri, ſe ſuper ſe extulerunt.* Sed *hæc cum ſcirent Eccleſiarum Prælati, Eccleſiæ & fidei Chriſtianæ præcaventes, Evangelicis & Propheticis authoritatibus innitentes* (cur ergò nobis his pugnare armis vertatur vitio?) *præſumtuoſos auſus eorum refrenando, fidelibus congregatione Orthodoxorum facta, fidei veritatem ſanius propalârunt.* Recenſet deinde ordine errores aliquot ab univerſitate Pariſienſi damnatos, quos inter ſunt ſequentes.

I. Quòd licet divina Eſſentia una ſit in Patre

tre & Filio, & Spiritu Sancto, tamen ut hæc Eſſentia eſt in ratione formæ, una eſt in Patre & Filio, & non una in his & in Spiritu Sancto, & tamen forma idem eſt, quod in Eſſentia divina. II. Quòd Spiritus Sanctus, pro ut eſt amor vel nexus, non procedit à Filio ſed tantum à Patre. III. Quod nec anima glorificata, nec corpora clarificata erunt in cœlo Empyreo cum Angelis, ſed in cœlo aqueo ſeu Criſtallino, quod eſt ſupra firmamentum: quod etiam dicere præſumunt de B. Virgine. IV. Quod malus Angelus in primo inſtanti creationis ſuæ fuit malus, et nunquam fuit non malus. V. Quòd multæ fuerunt veritates ab æterno, quæ non fuerunt Deus. VI. Quod Angelus in eodem inſtanti poteſt eſſe in diverſis locis, et etiam ubiq;, ſi vellet. VII. Quod malus Angelus nunquam habuit unde ſtare potuit, neq; Adam in ſtatu innocentiæ. VIII. Quod qui habet meliora naturalia, plus habebit de neceſſitate ex gratia et gloria. Sunt hæc novæ Theologiæ carcinomata, & Monaſticæ Scholæ παράδοξα; παραδοξότερος verò, & qui fidem, ne dicam pietatem Chriſtianam, ſuperat omnem, eſt ſacrilegus ille, Tabulas N. T. authenticas novo Evangelio abolendi conatus. De quo *Guilel-*

mus de S. Amore lib. de periculis noviſſimorum temporum c. 8. *Vndecim horæ*, inquit, *jam præterierunt* 1254. *anni. Sunt etiam nunc tranſacti* 55. *anni, quod aliqui laborabant ad mutandum Evangeliũ Chriſti in aliud Evangelium, quod dicunt perfectius, melius & dignius, quod appellant Evangelium Spiritus Sancti, Evangelium æternum. Quo adveniente evacuabitur Evangelium Chriſti, ut parati ſumus oſtendere, ex illo Evangelio maledicto.* Item: *Doctrina quæ prædicabitur Antichriſti tempore, videlicet Evangelium æternum, Pariſiis, ubi viget ſacræ ſcripturæ ſtudiũ, à ſuis propoſita fuit, ut publice explanaretur an.* 1255. *Vnde certum eſt, quod jam prædicaretur, niſi aliquid eſſet*, quod eam detineret. Vide *Bal. Centur.* δδηγ. P. 1.

[*p*] Erat illud Evangelium ex *Ioachimi & Cyrilli*, Monachorum, ſomniis conflatũ. Devoluta tandem res fuit ad Pontificem, qui quod multis mortibus expiare debuiſſet, mira arte celavit, hæreſeosque eorum accuſatores exemplo damnavit. Factum enim, ſtudio *Hugonis Barchinonenſis*, Cardinalis Hiſpani, & *Iohannis de Columna*, Archiepiſcopi Meſſanenſis Itali, Dominicani utriusque, ut illud Evangelium novum, una cum Guil. de S. Amore lib. de noviſſimorum temp. periculis Romæ combureretur, adeoque utriusque

que ſimul memoria periret. His ſe blaſphemis, præter *Guil.de S. Amore*, oppoſuit *Ioh. Dritonus. Bal. Cent.* p.314. *Chriſtianus Beluacenſis, Gerardus Sagatellus, Laurentius Anglicus*; *Id.* p.318. & alii.

X. Ut de *Eccleſiæ* ſtatu, qui, ut ante jam monuimus, ſeculo hoc, triſtis [a] fuit, Romanæque curiæ artibus ad incitatas penè redactus, plenius conſtet, caput ejus fictum & commentitium primò inſpiciemus; reliqua deinde Eccleſiæ repræſentativæ membra, ipſam denique examinabimus doctrinam.

[a] Vide ſup. pag. 340. quibus adde 1. *de Columna*, Cardinalis, Legati in Anglia Pontificii Epiſtolam ad Fratrem quendam, cujus meminit *Matth. Par.* p.441. ubi inter alia: *Hæc charitati veſtræ celare non debeo, quod nimis avide vel potius inconſulte, ſe mater immerſit fluctibus, et in fauces luporũ ultronea ſe jactavit, duorum tantùm fuit conſilio, tertio annuente, quin verius greſſu præcedente conſiliũ, & cocis præcedentibus cum tractatu. Hinc eſt, quòd libertas abjicitur, ſervitus inchoatur, ſanctuarii ſydus effunditur, ancillatur patrimonium, ſuperbia exaltatur tonantium, carcer emitur, honor contemnitur, appetitur confuſio, armatur moleſtia, tranquillitas effugatur, non curatur*

ratur de fratrum et exterorum ſcandalo, irriſionibus irridetur, cacus loco dividitur, differuntur negotia, inſtantes protracti ſermonibus diuturna expectantium laſſitudine fatigantur. Bene vobis accidit, quod ab his tormentis abſtracti, abiiſtis ad regionem longinquam, ne videretis mala gentis veſtræ et ſanctorum, ne pulſaremini quotidianis ictibus, crebris punctionibus lacerati. Voluimus reformare ſtatum, ut ſæpe tentavimus, et ecce deformis deſtitutio ſubintravit. In caſſum traduntur conſilia, ubi voluntas non ſiſtitur fræno prudentiæ, ſed impetu agitata, proſilit ad proclivia, nec patitur retardari, &c. De Eccleſiarum Borealium facie triſtiſſima, querentem audi Bzov. annal. Eccleſ. an. Ch. 1223. S. 5. *Cum inquies atque indomitum quorundam ſeptentrionalium ingenium, in certamine libertatis aut dominationis verſaretur, et ex voto univerſa haberet, ſecundis rebus oriri conſueta mala in Eccleſia illorum Chriſtiana pullulabant, mentis libido, animi impotentia, et hinc dira rerum inconceſſarum cupido, ambitio, diſcordia, avaritia ventris vitæq; licentia, cæteraq; peſtes, quaſi contagio omnes et omnia invadentes latius ſæviebant, miſcebant ac fædabant*

abant illa florentiſſima regna. Indidem enim Principes contra ſacros Antiſtites, *Toparchæ contra ſe invicem, cives contra cives conſurgebant, Sacramenta moris et amoris variabant, viros et robora militiæ alternis conſcribebant, ſub ſigna cogebant, in aciem educebant, per vulnera et cædes mutuas, nihil quærentes quàm commune exitium. Ardebat omnis Polonia, Boemia et reliquus Boreas civico incendio, ſacra profanaque temerabantur, tuta omnia intuta, civitates et aſyla vaſtata, plebis innoxiæ ſedes patriæ à ſatellitibus occupabantur, pro mercede ſcelerum, ſepulchra majorum infecta, civili ſanguine innabant, gentes paci deſtinatæ* Martialibus *animis excitatis efferebantur, ab iis præcipuè, qui pacarii audire debebant.*

XI. *Caput* Eccleſiæ (ſic Papam tum appellare placuit) adeo ſæpe [*a*] habuit [*b*] languidum, ulceroſum, & ſcabioſum, ut vix vel Apoſtolicæ puritatis & ſimplicitatis lineamenta aliqua; vel ſucceſſionis veſtigia apparuerint.

[*a*] Addimus hanc reſtrictionem non quòd ullo hoc ſeculo tales fuerint Papæ, quales haberi voluerunt; ſed quia, dum alii nævis & miraculis, in ejusmodi Apoſtolicis viris minimè ferendis adeò

adeo luculenter fuerunt notati, ut ipſos etiam Scriptores Pontificios veritati teſtimonium perhibere coegerit, de his potiùs loqui placeat, quàm cæteris, quorum res ita ſunt obſcuræ, ut pauca de iis commemorentur.

[b] Eamus in rem præſentem. A. In *Electione* Paparum quot, quæſo, Seculo hoc notantur ulcera? *Impias* vis *fraudes*, quibus ad Papalis culminis honorem quidam ſunt graſſati? Habes *Ioh. Vitoduranum* de Bonifacio VIII. teſtimonium perhibentem, quòd *doloſè* intrârit. Vide *anal.* p.46. *Paraleip. Vrſperg.* p.343. *Chriſt. Maſſaum* apud *Bal.* pag.331. *Naucl.* Gen.44. pag.240. qui tamen paulò aliter rem geſtam narrat. Unde & vulgi vox fuit: Intravit ut vulpes, vixit ut leo, mortuus eſt ut canis. *Balduin.* Centur. pag.332. Quòd verò *Genebrardus falſo & temere uſurpatum* hoc fuiſſe vult *à malevolis, & Principum aſſentatoribus*; frivolis ſanè & frigidis nititur rationibus. Etſi enim, ut ille ait, *Platina* hic deſideraremus (quod tamē ea, quæ in vita Celeſt. V. & Bonif. VIII. recenſet, largiri nos non ſinunt) authoritatem, alii tamen, ipſo Platina priores, qualis eſt *Ioh. Vitoduranus*, Bonifacii artes veteratorias, & vulpinam indolem, quâ irrepſit, ſatis graphicè depingunt, quod ne ipſe ſupprimere potuit *Genebrardus* in Celeſt. V. confer. *Bzov.* an. Chr.1295. 2.. *Diſſidiis* ſæpe Electionem Paparum hoc Seculo turbatam eſſe, quis neget? *Bzov.* an. Chr.

Ch.1293. Mortuo Honorio IV. longa fuit ſedis acatio, ob Cardinalium inter ſe concordantiū iſſenſiones: *Onuph.* p.185. Idem repetit p.185. n *Celeſtino V.* De *Martini IV.* electione ſcribit *Bzov.* n. Chr.1281. S.2. & *Naucl.* Gen.43. p.236. *Nicolao III.* inquit; *ex humanis ſublato cùm de ſucceſſore eligendo inter partes ageretur, aſſumti nuper à Nicolao Cardinales, Italicum, ltera vero factio à* Rege *Carolo ſublevata atque impulſa* Gallicum *cupiebat, aliquot menſes certantes cum de Pontifice convenire non poſſent, Viterbienſes infenſi Vrſino generi ex ſuperiori dominatu ſeditione facta ad arma co ierunt, novoſq;* Magiſtratus *pulſis Veteribus creaverunt. Inde furore conclave, quo Patres concluſi erant, irruendos duos Vrſinos Cardinales per vim retractos privato carceri mancipārunt, quod factum dicitur de voluntate* Re*gis Caroli, qui quærebat habere Pontificem Gallicum, & propter hoc audita morte Pontificis Viterbium acceſſit. Demum poſt vacationem ſedis quimeſtrem electus fuit in Papam Martinus IV, natione* Gallus. Plura de ejuſmodi diſſidiis habet *Calviſ.* an.Chr.1243. *Matth. Par.* p.580. *Aven.* p.706. *Plat.* in Clem.IV. p.225. *Onuph* in Greg. X. qui, ut diſcordiis tandem finis imponeretur, *in Conclavi electionem fieri voluit,*

:ntius IV. Gregorius IX. 1228. a. Ch. 1245. d. 16. alii horrendis devotionibus Imperatorem exa-itat, Imperio indignum judicat, abdicat & ex-ommunicat: Mandat præterea, ut Principes Ger-naniæ præcipui in Inſulam quandam Rheni ab-ucantur, ibique relinquantur ſoli, amotis om-ibus navigiis & commeatu, donec de Impera-ore elegendo conſentiant, *Matth. Par.* pag. 648. *alviſ.* Acta hæc ſunt publicè in Concilio Lugdu-enſi, *Bzov.* a. Ch. 1245. S. 4. Sed & antea, a. Ch. 239. *Papa Fridericum ſolenniter excommu-icavit tradens eum Sathanæ in interitu ter-ibiliter poſſidendum*: *Matth. Par.* p. 470. Cau-ås excommunicationis Fridericus diluit, ipſum-que Pontificem non modò turpiſſimæ ingrati-udinis conſimulat, ſed & avaritiæ, *ut cui aurum & argentum curæ potius eſſent quàm fidei au-gmentum*, *Id.* p. 471. Gregorii IX. anathemati ſmum, cujus extat formula apud *Bzov.* an. Chr. 1239. S. 2. publicè in Anglia contra Fridericum promulgatum recitat *Id.* pag. 481. Unde magni utrinque conflictus, Papalibus *ſpem totam in pecuniæ theſauris & rapinis ponentibus*; *Id.* p. 483. Cùm in Gallia idem presbytero cuidam Imperatoris partibus addicto, injungeretur, in concione ſolenni dixit: *Audite univerſi: Ac-cepi in mandatis, ut candelis accenſis & pulſis campanis in Imperatorem Fridericum excom-muni-*

municationis feram ſententiam ſolennem, cauſam autem ignorans, non ignoro gravem controverſiam, & odium inexecrabile motum inter eos. Scio etiam, quod unus illorum alii injuriatur: quis cui, neſcio. Sed illum, in quantum ſe mea contendit potentia, excommunico & excommunicatum denuncio; alterum iſtorum, videlicet ipſum, qui alii injuriatur, & abſolvo injuriam patientem, quæ tam damnoſa eſt toti Chriſtianitati. Fuit Imperator iſte tot Paparum fulminibus impetitus; ut Henricus IV. redivivus meritò dici queat. Quibus calumniis contra Imperatorem certârit Papa, dici nequit: Apoſtaſia ei ubique, exitialis ad Saracenos diſceſſus, ſacrorumque omnium contemptus & violatio exprobratur. Proditionis etiam, veterni, ſummæ in Eccleſiam & Eccleſiaſticos crudelitatis, reique in Oriente peſſimè geſtæ accuſatur. Quin imò, Friderici *fama per orbem ita ſorduit, ut jam peior Herode & Iuda vel Nerone cenſeretur*, verba ſunt *Matth. Par.* p. 736. *Sathanæ progenitum & alumnum*; frequenter excommunicatum, vocat Cardinal. *Renerius* Epiſt. invect. pag. 736. Qua de re prolixè idem *Matth. Par.* p. 333. 488. 645. 648. 736. *Bzov.* an. Ch. 1239. S. 6. 7. an. Ch. 1245. S. 5. At non ipſe modò aliquoties maſculè purgavit Imperator, objecta crimina diluit, ſed in Pontificem ipſum dete-

deteriora retorſit. Vide *Vrſp.* pag. 324. Encyclicam Friderici ad orbis Principes, apud *Bzov.* an. Ch. 1245. S. 2. *Matth. Par.* p. 335. 483. & p. 502. literæ recitantur Imperatoris ad Regem Angliæ, Prolixâ etiam Epiſtolâ hæreſeos notam intolerabilem ſibi monſtrat apud eundem pag. 680. De Roma ipſe ſic ſenſit:

Roma diu titubans longis erroribus acta
Corruet, & Mundi deſinet eſſe caput.

Bzov. an. Ch. 1239. S. 7. Innocentiam Friderici multi in ipſo viderunt Papatu. *Gregorius IX.* ſcribit *Vrſperg.* p. 324. *tanquam ſuperbus primo anno Pontificatus ſui cœpit excõmunicare Fridericum Imperatorem, pro cauſis frivolis & falſis, & poſtpoſito omni ordine judiciario, &c.* Quo *Nicolaus Cuſanus*, & *Egidius Romanus* Fridericum habuerint loco, proximo nempe à Carolo M. docet *Avent.* in Annal. lib. VII. p. 670. ubi originem controverſiæ huius difficilis refert, ad ambitionem Pontificis, *qua Germanum Imperium magis florere*, quàm ipſis expediret, videre non poterat. Alii etiam ſcandalum ex diutina illa colliſione ortum gemebundi deplorârunt. Scribit *Matt. Par.* p. 488. *cœpiſſe ſcandalum oriri per totius mundi latitudinem.* Tartatorum irruptionibus, & inaudita crudelitate (de qua *Matth. Par.* p. 591.) Chriſtianorum Principes territi, arma ad reprimendos hoſtiles impetus, conjun-

xiſſent, *niſi Papa & Imperatoris mutuum diſſidium totius mundi latitudinem perturbâſſet. Vnde diſcordia eorum longè lateque per orbem ventilata, adeo ut ſuperbiendo & iactando dicerent Pagani, Deum Chriſtianis offenſum, qui ſeſe adinvicem impugnant & corrodunt*; *Matth. Par.* p. 592. Habet hoc Papæ & Imperatoris duellum non pauca, quæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſo diligenter ſunt obſervanda. Nos ea ad compendium ponemus. colligimus autem ex tota Hiſtoriæ ſerie. I. Nihil Pontificem Romanum majori egiſſe ſtudio, quàm ut inveſtituras fortiter defenderet, bellum ſacrum continuaret, divitias corraderet, Jus Excommunicationis validum & inviolatum teneret, civilem etiam Magiſtratum, quacunque vellet, libidine coerceret. Hæc Helena illa erat, pro qua tantum ſanguinis fuit effuſum. Hæc una tot diſſidiorum cauſa. Vidit nempe Pontifex, his ſemel ablatis armis, nihil ad vexandos Principes ſupereſſe ſubſidii. Hanc poteſtatem, *qua transferre poſſit pro libitu Imperia, aut de puniendis temporaliter in privatione Regnorum Regibus, aut terra Principibus judicare*, cùm divinitùs Papæ conceſſam negaret Fridericus, ut ipſe fatetur Ep. ad Angl. apud *Matth. Par.* pag. 681. crabrones & locuſtas contra ſe maximè irritavit. Hic futuri incendii

cendii fomes. II. Solenne eſſe, & extremum Papæ aſylum, hæreſeos illos infamia notare, quos plebis furore extinctos vult. Ut Fridericum omnium odio exponeret, ἄθεον illum proclamat, & execrabilis illius blaſphemiæ de tribus Baratatoribus, Chriſto, Moſe, Muhammede, Mundum decipientibus, authorem facit; *Matth. Par.* pag. 494. Confer *Avent.* annal. p. 673. ubi trium contra Imperatorem editorum diplomatum exhibentur compendia; dirarum & conviciorum plena. III. Ipſam verò ſedem Romanam adeò ubique famam jam decoxiſſe, ut nullis artibus, nullisve technis fidem ſibi conciliare potuerit. Nihil equidem cauſæ Friderici majori fuit fraudi, quàm atrox de atheiſmo calumnia, ut quæ ſola multorũ animos ab Imperatore abalienavit. *Et* (verba ſunt *Matth. Par.* p. 495.) *niſi* R*omana avaritia devotionem populorum à Domino Papa plus quàm expediret & deceret, avertiſſet, totus* M*undus hac Epiſtola exaſperatus, in Imperatorem quaſi in manifeſtum hoſtem Eccleſiæ & Chriſti inimicum graviter, & unanimiter inſurrexiſſet. Sed, proh dolor! multi filii à Patre ſuo Papa avulſi ſunt, & Imperatori adhærentes, aſſerebant, quod odium inexecrabile inter eos jam induratum, prædicta jurgia & invectiones excogitatas excitabat, &c.* Et. p. 499. *Diebus etiam illis, videns Dominus*

Papa robur & conſtantiam Imperatoris non-dum enervatam, ſibi & Romanæ Eccleſiæ non dum incurvari, miſit per totam Alemaniam Prælatis, Magnificis & aliàs manentibus, Epiſtolas prolixas commonitorias & præcepit diſtrictè, ut omnes inſurgerent in ſuum Imperatorem, Deo & Eccleſiæ Romanæ rebellem, & eundem magnis convitiis diffamavit. Abſol vit etiam omnes, qui ei fidelitatis iuramento tenebantur aſtricti, perſuadens ut eſſent in infidelitate fideles, in obedientia obedientes. Sed tantum promeruit Romanæ Eccleſiæ improbitas omnibus execranda, quod à nullis, vel à paucis meruit Papalis auctoritas exaudiri. Ità, cùm ad Angliæ Regem Fridericus Apologeticum miſiſſet, *fama Domini Papæ & auctoritas magnam ſubiit ruinam & detrimentum, & ſubortum eſt ſcandalum, & cæperunt viri prudentes & ſancti timere vehementer de Eccleſiæ & Domini Papæ, & totius cleri hono re, & formidare ne Dominus in furore maximo populũ ſuum inſanabili vulnere ſauciaret*; *Id.* p. 504. Quid? quod abdicato jam Friderico, Robertum Regis Galliarum fratrem Imperato rem Papa conſtituit, ut favorem ejus obtineret. Sed ne ſic quidem ſucceſſit; *Quo ſpiritu* (hâc repulsâ abigunt Franci delatum honorem apud

Matth.

Matth. Par. pag. 500.) *vel auſu temerario Papa tantum Principem, quo non eſt major, imo nec par inter Chriſtianos, non cōvictum vel confeſſum de obiectis ſibi criminibus exhæredavit, & ab apice Imperiali præcipitavit? Qui ſi meritis ſuis exigentibus deponendus eſſet, nonniſi per generale Concilium caſſandus judicaretur. De transgreſſionibus ſuis, non eſt hoſtibus ſuis fides adhibenda, quorum Papa dignoſcitur eſſe capitalis. Nobis adhuc inſons, imo bonus fuit vicinus, nec quid ſiniſtri vidimus de eo in fidelitate ſeculari, vel fide Catholica. Scimus autem, quod Domino noſtro Ieſu Chriſto fideliter militavit, marinis & bellicis ſe periculis confidenter opponens. Tantum religionis in Papa non invenimus. Imo qui eum debuit promoviſſe, & Deo militantem protexiſſe, eum conatus eſt abſentem confundere, & nequiter ſupplantare. Nolumus noſmetipſos in tanta pericula præcipitare, ut ipſum Fridericum tam potentem impugnemus, quem tot regna contra nos iuvabunt, & cauſa iuſta præſtabit adminiculū. Quid ad Romanos de prodiga ſanguinis noſtri effuſione, dum modo ſuæ iræ ſatisfaceremus? Si eum per nos & alios devicerit, omnes Principes Mundi conculcabit,*

 ſumens

ſumens cornua jactantiæ & ſuperbiam, quoniam ipſum Fridericum magnum Imperatorē contriverit. Sin autem de fide Catholica diſſentiat, & ipſum, imò etiam ipſum Papam, ſi malè de Deo ſenſerit, vel quemlibet alium mortalium uſque ad internecionem perſequemur. Adeò Gallis iſtis non religioni fuit Papæ improbare temeritatem, ut ne quidem fidei normam ab eo, ſine exceptione, petere, tutum eſſe, haud obſcurè ſignificârint. Sed mittimus *Fridericum II.* excommunicationis exemplum habemus in *Comite Tholoſano*, qui fraude Legatum Pontificis interfecit. Excommunicationis vinculum ſolvit operâ, quàm Papæ contra Albigenſes locavit, *Calviſ.* an. Chr. 1208. III. In *Iohanne, Galliæ* Rege. *Matth. Par.* p. 207. *Calviſ.* an. Chriſt. 1209. Non modo hoc Dionis χεῦ Rex contempſit, ſed & omnia clericorum bona in fiſcum redegit. Idem iterum excommunicatur an. Chr. 1211. Et ſententia Pontificis throno ejicitur; *Matt. Par.* p. 223. Mox tamen Papæ reconciliatur p. 225. & ipſi illi Barones, qui regno ejus inſidiabantur, ſolenniter excommunicantur, pag. 266. 267. IV. Cùm an. Chr. 1228. *Cives Romani* contra Pontificem Gregorium ſeditionem excitâſſent, eamque in Paſchate urbe ejeciſſent, fugientemque Viterbium perſequerentur, ejectum etiam inde Peruſium perfugere coegiſſent, Papa eos excommunicavit, *Matth. Par.* p. 337. V. *Petrum,* Arragoniæ

niæ Regem, qui Siciliæ Regnum contra Carolũ tunc occupaverat, Honorius IV. anathemate percuſſit. *Bal.* pag.330. VI. In *Othonem IV.* excõmunicatione fulminavit Papa: *Naucl.* Gen. 41. p.210. *Bal.* cent. p.234. *Matth. Par.* p.220. *Bzov.* an. Chr. 1210. S.2. 1211. S.5. & an. Ch.1215. S.5. VII. *Manfredum*, hoſtem Eccleſiæ & ſacrorum contemptorem judicatum, anathemate damnavit Alexander IV. *Bzov.* a.Ch.1255. S.5. Sed, cùm diris illis agitatus, multò graviora auderet & patraret in contemptum clavium Eccleſiæ; Papa, ex more Eccleſiæ ad diem 7. April. quo cœnæ Dominicæ memoria recolitur eundem jurium, bonorumque ſedis Romanæ invaſorem pacisque totius Italiæ violatorem, omnisque humani ac divini juris contemptorem anathemate damnatum renunciavit, ſcribit *idem* a. Ch.1262. S.1. Idem iterum *Manfredus*, Tarentinus Dux, & *Vbertus* Pellavicinus excommunicantur ab Urbano IV. *Bzov.* a.Ch.1263. S.22. 23. VIII. Ex õmunicationis ſententiam in Epiſcopi Sylvanenſis occiſores latam habet a.C.1267. S.9. IX. Urbs *Mediolanenſis* ob expulſum Othonem Archiepiſcopum interdicto ſupponitur. *Id.* an. Chr. 1267. S.14. X. *Conradinum* Clemens IV. in Cœna Domini, & dedicatione Baſilicæ S. Petri excommunicat, a.Ch.1267. S.17. Ipſam excommunicationis formulam habes an. Chr. 1268. S.1. XI. *Tridentum* trienni interdicto ſubjicitur an. Chr. 1273. S.4. XII. *Forentiam*, diris devotam,

præterivit Gregorius X. an. Chriſt. 1275. Sec. 14 XIII. *Petrum* Arragonium Martinus IV. excommunicat a. Ch. 1281. S. 10. & 1283. S. 1. XIV. Nicolaus IV. *Siculos* fœdera renuentes, una cum Jacobo Rege diris devovet, an. Chr. 1291. S. 13. XV. *Bonifacius VIII. Vrbevetanos* anathemate damnavit, omnibuſque ſacris interdixit, an. Chr. 1295. S. 14. XVI. Item *Columnenſes* cenſura Eccleſiaſtica notavit, an. Chr. 1297. S. 5. & 1299. S. 11. Imò & *Carolum*, quòd Friderico faveret, an. Ch. 1299. XVII. *Comes Namurcanus*, ob expulſum Epiſcopum Cameracenſem, anathemate puniendus denuntiatur, *Bzov.* a. Ch. 1204. S. 10. XVIII. A. C. 1205. *Adolphus*, Archiepiſcopus Colonienſis, qui Philippo contra Ottonem adhæſerat, ab Innocentio excommunicatur, *Id.* S. 8. XIX. *Vladislaus*, filius item *Otto*, Principes Poloni, Archiepiſcopus etiam Gneſnenſis anathemate damnatur; *Idem* a. Ch. 1207. S. 3. Habemus & alia Excommunicatorum exempla, eorum præſertim, qui ictum hunc non ab ipſo immediatè Archimyſta Romano, ſed ſuccenturiatis Epiſcopis & Archiepiſcopis ſuſtinuerunt. Sic *Guido* Cardinalis *Regem Daniæ* diris, Regnũ interdicto mulctat, *Bzov.* an. Chr. 1268. S. 14. *Cantuarienſis Archiepiſcopus* Decanum & Canonicos Londinenſes denuntiat excommunicatos, *Matth. Par.* pag. 786. & p. 830. Vides, quàm crebrò præpilatis iſtis haſtis Reges & Principes, Magiſtratus, & ipſa etiam plebs (hoc tamen diſcrimine, quod illis

illis Excommunicationis fulmine percuſſis aqua & igni interdiceretur; hi interdicto à ſacris vel planè ſuſpenderentur, vel publico exercitio privarentur; qua de re conſtitutio *Bonifacii VIII.* apud *Bzov.* an. Ch. 1298. S. 10. confer *Anal.* p. 72.) à Pontificibus, ultionis plerunque ſtudio, fuerint objecti! Ut verò uſu omnia vileſcunt, ſic factum paulatim, ut diræ Pontificiæ, quaſi fulgetra ex pelvi contemni à multis cœperint. Videſis *Matth. Par.* p. 831. & *Bzov.* an. Ch. 1203. S. 4. ubi monet, *quòd* Henricus *Dandulus cum ſuis Venetis cenſuras Eccleſiæ, ſive contempſerit, ſive neglexerit.* Huc pertinet Exemplum Friderici, *Avent.* lib. 7. p. 677. & Ottonis, Bojorum Reguli, *Id.* p. 688. Mænardi Tyrollii, *Id.* p. 720. Johannis Regis Angliæ, de quo ſupra. De crudeliſſimo & voraciſſimo tyrannidis Pontificiæ monſtro, Inquiſitione, cuius infeliciſſimum partum Seculum hoc vidit, nonnulla dabimus in Symbibaſi. Conqueritur tandem *Avent.* Annal. lib. VII. p. 670. Friderici demum ætate, excluſo populo, cæterisque ſacrificulis, duntaxat à Myſtis imponi Pontifices cæptum eſſe.

III. Eos etiam, qui inter Papas ſanctitatis & innocentiæ laude eminent, ſuorum amore ita faſcinatos legimus, ut *furtis* eos locupletare, quàm inanes dimittere maluerint. De Nicolao III. ſcribit *Platina*, *ſuos ita eum amâſſe, ut aliunde raperet quod eis daret. Nam quibusdam Nobilibus*

 Ro-

Romanis caſtella vi abſtulit, ac ſuis dono dedit, maximè vero Surianum, in quo & repentina morte fuit extinctus. Addit *Naucl.* Gen. 43. *Simoniam per eos ſatis diſcurriſſe.*

IV. *Perfidiæ* inſuper nimis ſibi quidam luculentam inurebant notam. In gravi illo Papæ & Columnenſium diſſidio, exeunte ſeculo hoc exorto, probavit Papa, minimè ſibi difficile eſſe contra datam fidem agere. Rem narrrat *Naucl.* Gen. 44. p. 241. b. Terram ſanctam, domi occupatus, quanta cura fuerit amplexus, querela *Abbatis Vrſperg.* ad a. Chr. 1228. teſtatur. *Eo & ſequenti anno tractabatur de pace inter Imperatorem & Soldanum, & Gentes ipſorum. Papa vero, captata occaſione de abſentia Imperatoris, copioſum exercitum deſtinavit in Apuliam, & terras Imperatoris in ſervitio Chriſti demorantis, quod nefandiſſimum eſt dicere, abſtulit, & ſibi ſubegit, & cruce ſignatos ne transfretarent, omni ſtudio prohibuit, tam in Apulia, quàm in Lombardia. Quis talia facta, rectè conſiderans, non deploret & deteſtetur, quæ indicium videntur & quoddam portentum, & prodigium ruentis Eccleſiæ?*

V. *Ambitionis* & ingratitudinis exemplum nobis ſiſtit *Platina* in Bonifac. VIII. *Vtcunque eſt*, inquit, *conſtat, hominem ipſum*, (Benedictum Cajetanum, qui poſtea Bonifac. VIII. fuit dictus)

dictus) *magnæ ingratitudinis & caliditatis fuiſſe; quippe qui ambitionis cauſa, & virum ſanctum deceperit, dum eum Magiſtratu ſe abdicare compulit, & captum vitam eremiticam appetentem in arce Fumonis dolore animi ante tempus mori coegerit.*

VI. Quam profana multorum, in receptis etiam Eccleſiæ ritibus & conſuetudinibus fuerit mens, docet *Platina* in Bonifacio VIII. cui poſtquam *pertinaciam* tribuiſſet, *ſævitiam* & odium, quo Gibellinos omnes proſequebatur, ſubjungit *Notum eſt illud certe, quod Porcheto dixerit Genuenſi Archiepiſcopo ad pedes eius die cinerum prodeunti: Nam cùm dici à ſacerdote tum ſolebat:* Memento homo, quia cinis es, *& in cinerem reverteris, dixit*, mutatis quibusdam verbis; Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reverteris, *in eiusque oculos cinerem conjecit, non in caput, ut mos eſt.* *Abrahamus Bzovius*, Polonus, Baronii continuator, nec candore, nec Hiſtorica gravitate (nimis enim credulus eſt fabularum, quarum ſine dubio Baronium ſæpe puduiſſet, æſtimator, & Pontificum impudens aſſentator) cum illo conferendus, id quod *notum* ſcribit Platina, *fabulæ loco exiſtimat quidquid hoc loco à malevolentibus Bonifacii hoſtibus ad elevandam*

viri

viri modeſtiam confictum eſt. Sedulò cavit Baronius, ne quid Pontificis authoritati decederet, circa definitiones & deciſiones capitum fidei. In reliquis ulcus maſculè tetigit, Paparum vitia intrepide caſtigavit. At ne hic quidem facilem deprehendas aut ingenuum Bzovium. Sicco pede tranſit omnia illa, quibus Pontifex Romanus leviter ſtringi poſſet. Quæris, quid ſentiam de eo? Verbo dicam.

Quod facit ad laudem Romæ Tu, Abrame, recenſes,
Quod Romam poſſet dedecorare, taces.
Da veniam Bzovi, bonus es Papiſta, Tuique
Semper amans Papæ, ſed levis Hiſtoricus.

VII. *Morum ſtoliditatem* Johanni XXI. tribuit *Vitoduranus.*

VIII. Ea multorum *impietas* fuit, ut qui cœlorum claves ſibi commiſſas ſomniabant, ne ingredi quidem potuerint ipſi, æternis addicti ſuppliciis. De *Innocentio IV.* morituro, ſcribit *Matth. Par.* p. 868. quòd cùm amici circumſtantes ejularent, ſuumq; variis geſtibus, teſtarentur dolorē, ſublevatis eos oculis ita compellârit: *Quid plangitis miſeri? Nonne vos omnes divites relinquo? Quid amplius exigitis? Et hæc dicens diſtrictum Dei judicium ſubituram animam exhalavit.* Mortuum hunc B. Virgo accuſâſſe ſcribit idem triplici nomine. *Primò* (ſic *author* verba B. Virg. ad Chriſtum facta recitat) *cùm in ter-*

Digitized by Google

ris Eccleſiam fundâſſes, libertatibus eam donâſti, quæ à te ipſo proceſſerunt; hic verò eam reddidit ancillam viliſſimam. Secundò fundata eſt Eccleſia ſalus peccatorum, ut ſcil. lucrifaceret animos miſerorum; hic verò fecit eam menſam numulariorum. Tertio fundata eſt Eccleſia in fidei firmitate, juſtitia, & veritate; hic vero fidem (NB) *& mores fecit vacillare, juſtitiam ſuſtulit, veritatem obumbravit, juſtum ergo judicium redde mihi. Ait autem Dominus: Vade & pro meritis tuis mercedem apprehende: & ſic ablatus eſt.* Eadem etiam viſio facta eſt Alexandro, ut habet *idem* p.875. Illi etiam Pontifices, qui magnam initio adminiſtrationis ſuæ pietatis ſpeciem præ ſe tulerunt, repentè probârunt, quàm ſit ἀσπονδον frequenter bellũ veræ pietati cum ſede Romana. Unde & multorum tepuit fervor, *Matth. Par.* p.869. & 897. & apertè proceres *in Pontificem ſunt invecti, fraudes, aſtutiam, acerbitates, iniuriam, tyrannidem eius commemorando, iniuſtitiæ, impietatisque eum accuſando*; *Avent.* p.666.

IX. Finem huic Aphoriſmo imponerem, niſi execrabilis Paparum argentangina, & deteſtanda eorum avaritia aurem adhuc vellicaret. Tanta curiæ Romanæ δωροφαγία fuit, atque Simonia,

monia, ut Antichriſtum potiùs ipſum Pontificem, quàm Petri ſucceſſorem multi viderint. Initium ab ipſa faciamus *Italia.* Alexander Papa anteceſſorem ſuum Innocentium IV. *Venditorem vocat Eccleſiarum.* *Matth. Par.* p. 875. Idem Papæ vitium in *Germania* carmine exprobravit *Nicolaus de Bibrach* an. Ch. 1290. Vide Cat. Teſt. Verit. p. 676. *Fridericus Imperator inter cæteros* (verba ſunt *Matth. Par.* p. 515.) *Catholicos Reges, literas auro bullatas Anglorum Regi transmiſit, proponens in eisdem Eccleſiam Romanam tanto jam avaritiæ ſuccenſam incendio, & concupiſcentia manifeſta, quòd bonis Eccleſiaſticis non ſibi pro voto ſufficientibus, Imperatores, Reges, & Principes exhæredare, & tributarios conſtituere non veretur.* Cõfer *Avent.* lib. 7. p. 678. p. 680. ubi avaritiæ, libidinis Tyrannidis Pontificum crebra eſt mentio. P. 703. *Vlricus Salisburgenſis Pontifex ſpe ſua deſtitutus, cum non haberet, unde avaritiam Romanenſium expleret, protinus à Legato, quem ſecum Roma deduxerat, devotus eſt.* P. 709. *Romulei vultures, quibus defraudari atq; compilari populus ſolet, & quæ neutiquam DEO immortali cordi fuiſſe exitus probavit, eventus docuit, pleriq; ad conſilium coacti ire, & luxu habitum eſt.* Et paulò pòſt: *Romani Flamines*

mines decimas per ſex annos, extorta per vim pecunia, à Germanis emunxerunt. Et p.720. ajt, *Romanam avaritiam rurſus ad decimas aſpirare.* In *Angliam* transfretare libet? Hui quanta lerna malorum Papalium! *Matthaum Pa-ris* ætati noſtræ aſſervatum dixeris, ut ſexcenta illa emungendi pecuniam compendia eidem innoteſcerent. Cùm *Matthaus* p.268. Johannis Angliæ Regis Tyrannidem gemibundus expreſſiſſet, Apoſtrophe Rhetorica ad Papam converſus ita infit: *Et quid de Te Papà? qui pater ſanctitatis, ſpeculum pietatis, tutor juſtitiæ & cuſtos veritatis toti mundo deberes lucere in exemplum, tali conſentis, talem laudas & tueris? Sed hac cauſa exhauſtorem pecuniæ Anglicanæ, & exactorē Nobilitatis Britannicæ tibi inclinantem defendis, ut in barathrū Romanæ avaritiæ omnia demergantur.* Et p.602. *Dum autem in Syria tot mundi turbinibus genus humanum exagitaretur, in Anglia etiam & eius confiniis*

Sævit in humanis divina potentia rebus.

Romana *enim curia, rubore depoſito, tempore novi Papæ noſtri Innocentii IV. ſecus quàm ſperavimus non deſinebat per proviſiones quotidianas redditus impudenter extorquere, &c.* Vide ſeqq. Legato Pontificio Epiſcopi Angli reſpon-

ſpondent in Concilio: *Toties bona Eccleſiæ Romanæ exhauſit importunitas, ut nullo modo amplius tolerarent*, p. 481. Et p. 501. *Perſuaſit Dominus Papa, & per Prædicatorum & Minorum miniſterium provocavit multiformibus argumentis, ut ſibi pecuniam undecunque abraſam in detrimentum Imperatoris acquirerent. Et facti ſunt eo tempore Prædicatores et Minores Regum Conſiliarii, & nuncii ſpeciales, ut ſicut quondam mollibus induti in domibus Regum erant, ita nunc qui vilibus veſtiebantur, in domibus, cameris & palatiis eſſent Principum.* Plura de Legatorum in Anglia importunitate habet idem p. 506. qui, ut pecunia illos emungeret, poteſtatem à Papa obtinuit, *cruce ſignatos abſolvendi.* Exemplar literarum inſerit pag. 507. Sed neque his Papa acquievit; *Dignum cenſuit extorquere quintam partem bonorum in redditibus ultramarinorum clericorum beneficiatorum in Anglia, ad ingerendum gravamen Imperatori*, Id. *Per eoſdem dies*, ſcribit p. 515. *venit in Angliam nova quædam pecuniæ exactio, omnibus ſeculis inaudita & execrabilis Miſit enim Papa, pater noſter ſanctus, quendam exactorem in Angliã, Petrum Rubeum, qui excogitata muſcipulatione*

ne infinitam pecuniam à miſeris Anglicis edoctus erat emungere. Intravit enim religioſorum capitula, cogens & ſeducens eos ad pecuniam promittendam, & promiſſam perſolvendam, exemplo aliorum Prælatorum, quos mentitus erat gratanter perſolviſſe. Dixit enim: Ille Epiſcopus & ille, Ille Abbas, & ille jam libens ſatisfecit, quidnam vos ignavi tam moramini, ut grates cum muneribus amittatis? Fecit etiam prædictus Impoſtor jurare, ut hoc genus pecuniam extorquendi nulli hominum infra dimidium annum facerent manifeſtum, quaſi eliciens hoc ex ſingulorum primitiva profeſſione, &c. Vide ſeqq. Et alibi, præſertim p. 522, p. 529. Et p. 535. *Eodem tempore, promittente & procurante Papa Gregorio adeò invaluit Romana Eccleſia inſatiabilis cupiditas, confundens faſq;, nefaſq;, quod depoſito rubore velut meretrix vulgaris & effrons, omnibus venalis & expoſita, uſuram pro parvo, Simoniam pro nullo inconvenienti reputavit, ita ut alias affines provincias, imò etiam puritatem Angliæ ſua contagione maculârit.* Cujus rei exemplum mox ſubjecit. P. 547. *Labentibus autem dierum illorum curriculis, & ludente fortuna in mortalium mutabilitate, non adhuc*

huc ceſſavit avaritia Romanorum *inviſitabilis. Quia poſt receſſum Legati, remanſerunt in Anglia duo Papales clerici, quaſi vices Legati ſupplentes, exactores indefeſſi, ſcilicet Petrus cognomento* Rubeus, *& Petrus de Supino, autenticum Papale retinentes procurationes exigendi, interdicendi, excommunicandi, & pecuniam variis modis à miſera Eccleſia Anglicana extorquendi: ut talibus rapinis Eccleſia* Romana *ſecundum aſſertionem eorum, quæ damnificabatur multiformiter, reſpiraret.* Iidem exactores, quos in Anglia, Scotia & Hibernia corraſerint theſauros, habes p. 554. De Martino, novo pecuniæ Anglicæ extortore, quē à rapacitate *Mattinum* appellabant, ſcribit p. 594. Confer pag. 620. 622. ubi monet, *habuiſſe eum novam & inauditam poteſtatem, ampliorem, quàm ullus unquam ante eum Legatus.* Ajt, *fuiſſe qui dicerent, ipſum habuiſſe multas ſchedulas non ſcriptas, tamen bullatas, ut in eis quicquid ei placeret, ſcriberet.* Adeò impudens fuit, ut optima quæq; dari ſibi imperaret, *quòd cùm feciſſent ipſe Martinus remiſit eis quæ ei miſſa fuerunt, aſſerens ea eſſe in ſufficientia, ut meliora ſibi ſub pæna ſuſpenſionis & anathematis tranſmitterent. Vnde miſeri Anglici acer-*

biorem

biorem quàm olim ſubierunt filii Iſrael, ſe doluerunt in Ægypto Britannica tolerare ſervitutem; p. 626. *Et* p. 636. *Ipſis quoque diebus, Domino Papa procurante, ſed tamen diſſimulante, quidam Cardinalium, qui ſolius erant amatores pecuniæ, chartam quandam Domino* Regi, *ſub ſpecie multæ amicitiæ transmiſerunt*. In Lugdunenſi Concilio graves Papæ expoſitæ ſunt querelæ, de iniquiſſimis Italorum exactionibus, *ad quas Papa nes oculos elevans, nec vocem, verbo non reſpondit*; Id p. 646. In Epiſtola ad Papam Innocentium ab univerſitate Angliæ ſcriptâ hæc inter alia habentur verba: *Ecce per vos & prædeceſſores veſtros, nullam conſiderationem habentes, quod præter ſubſidia ſupra dicta jam ditantur in Anglia Italici, quorum eſt jam numerus infinitus, Eccleſiis ad ipſorum religioſorum ſpectantibus patronatus, qui* Rectores *Eccleſiarum dicuntur, præfatos religioſos, quos deberent defendere, relinquentes penitus indefenſos, nullam curam animarum gerentes, ſed lupos rapacißimos gregem diſpergere, & oves rapere permittentes. Vnde verè dicere poſſunt, quod non ſunt boni paſtores, quoniã oves ſuas nõ cognoſcunt, nec paſtorum notitiam oves habent, &c.* p. 647. Prolixum gravaminum Regni Angliæ,

& querelarum Catalogum idem recitat, p. 677. Ingenuè fatentur, tot Papæ ſanguiſugis, & nefariis crumenimulgis, *nec iura, nec pauperum ſuſtentationem, nec hoſpitalitatem, nec divini verbi prædicationem, nec animarum curam cordi fuiſſe.* Id. Et quamvis ſupplicibus aliquot libellis Angliæ Rex ſubditos ſuos Pontifici & Cardinalibus commendârit; adeò tamen nihil profecit, ut novis potius, & indies creſcentibus, vexarent tributis. Clero etiam militaria ſtipendia imperabantur, exemplo planè inuſitato: Et ut ne authoritate regia inſoliti hi conatus exprimerentur; ſub excommunicationis pœna ſilentium illis fuit injunctum; vide p. 680. *Cum aurifriſia* (ſic vocat author) *Papa in Anglia parari cognoſceret, Verè hortus noſter delitiarum eſt, inquiebat, Anglia. Verè puteus inexhauſtus eſt.* Unde & Bullis ſuis miſſis has quoque redimere merces in animum induxit; *quaſi*, ut habet author, *pro nihilo poſſent acquiri.* Non multò poſt, audacia duce, Prælatis Angliæ demandavit, *ut in Anglia omnes beneficiati in ſuis beneficiis, reſidentiam facientes tertiam partem bonorum ſuorū conferrent*; Id. p. 604 cui tamen decreto Anglia maſculè reſiſtit: Flebili etiam voce, totiusque cleri conſenſu Rex, ut tandem intolerabilibus illis & frequentibus Papæ exactionibus modus pone-

poneretur, fuit compellatus. Literis rem egit apud Pontificem & Cardinales, ſed offa objecta, & umbratili privilegio ineſcatus, animadvertere non poterat, *ſe verſutiis Romanorum ſubdolè verborum involucris muſcipulatum*, Id. p. 699. Quod eventus mox & importunus fratrum aliquot Minorum (quos *Pedellos ſuos & telonarios* magno cum ſcandalo Papa conſtituit, Id. p. 704.) adventus in Angliam, alia ſcutica flagellandam, probavit; Id. p. 700. 704. 605. Ex Johannis cumprimis cujuſdam exemplo diſces, quibus artibus, qua tyrannide, quo intolerabili faſtu & aſtu Roma Eccleſiam Anglicanam preſſerit. Aut ſacris carere debuit, aut nummis: Adeò audacter ſævitum in illos eſt, qui, ad votum & nutum Harpyiarum, bene onuſti non ſtatim comparuerunt. Idem author pag. 729. non modò conqueritur, *multiplicata eſſe cum augmento gravamina, quæ à Romana curia in regnum diatim Angliæ miſeræ confluxerunt*; ſed & duobus exemplis, quàm injurioſè Papa, Simoniæ prætextu, Inveſtituras Imperatoribus ademerit, ipſe Simoniacus impudentiſſimus. Cùm Abbatem S. Ædmundi à ſe electum Monachi, Romam profecti, confirmari petiiſſent, noluit electionem Papa habere ratam. *Tandem cùm triſtes Monachi receſſiſſent, revocavit eos Papa dicens: Cum miſeri miſericordia indigeant,*

ex mera gratia noſtra, vobis ad præſens, ne confundamini, ipſum dictũ concedimus, illi ipſum cœnobium beati Ædmundi liberè ac liberaliter conferendo. Verum tamen reſpiciat in octoginta marcis, & reſpondeat illi mercatori, quem illi aſſignabimus, cui in tantum obligamur. Lincolnienſis Epiſcopus, edictorum Papalium ſtrenuus executor, cùm videret, quosdã pecunia ab iis ſe exemiſſe, Romæ, inſpectante Papa, exclamâſſe dicitur: *O pecunia, pecunia, quantum potes, præcipue in curia Romana*, Id. p. 747. De *Manſueto* Minorita in Angliam à Papa miſſo, ut vota, pro pecuniâ mutaret, abſolveret excommunicatos, falſidicos & perjuros juſtificaret, Matth. Par. p. 935. agit.

Plures de miſero Eccleſiæ Anglicanæ ſtatu querelas habet idem p. 775. 882. 904. 908. 919. Fuerunt autem à Papa, ejuſque officialibus varia pecuniæ aucupia excogitata. Præter ordinaria illa longoque jam uſu probata, nova quædam acceſſerunt. *Nova*, inquit *Matth. Par.* pag. 684. *in curia Romana inolevit conſuetudo, ut cum bellum inter aliquos Nobiles moveretur, unã partium ad eam confugientem, excommunicando alteram, & illos abſolvendo, potenter foveret: ut qui per illã reſurgeret, omni tempore ipſi teneretur obligatus. Quod in David, Principe North-*

Northvvalliæ fuerat manifeſtè comprobatum. Similiter & alia deteſtabilis, ut ſcilicet, ſi quis clericus multis & opimis reditibus abundans, in Epiſcopum fortè eligeretur, ex indulgentia Papali, intermeantibus interceſſoribus & muneribus, tam redditus prius obtentos, quàm Epiſcopatum licenter cupiditatis brachiis amplexetur. Nec non & alia nova ſunt ſuborta in curia memorata, quorum memoria ſanctorum corda lachrymabiliter cruentârunt. Et p.685. *Eodem tempore cùm audiviſſet Dominus Papa, qualiter quidam in Anglia opulenti clerici nuper quoq; quidam improvisè obiiſſet inteſtatus, ſtatutum ſuper hoc novum & inauditum, non ſine manifeſta cupiditatis nota, ſuſcitavit in Anglia promulgandum, ut ſi clericus ex tunc decederet inteſtatus, ejusdem bona in uſus Domini Papæ converterentur.* Quod negotiũ Fratribus Prædicatoribus & Minoribus præcepit diligenter exequendum. Acceſſerunt *Caurſini*, Tranſalpini, manifeſti uſurarii, quos Papa ſuſcitavit & protexit, Id.p.404 p.795.p.849. Unde & Papæ *mercatores* dicuntur, & *ſcambiatores*. Prætextu etiam recuperandæ terræ ſanctæ, multos Papa obtinebat theſauros. *Dominus Papa*, ſcribit *Matth.Par.p.386.occaſionem ſumens à prædicta*

Imperatoris perſecutione argumentoſas extorſiones præcipuè in Anglia excogitans & multiplicans, Legatos ſub ſpecie ſimplicium Nunciorum, poteſtatem tamen habentes legatorum, undiq; deſtinavit, qui multifariam exegerunt pecuniam, nunc prædicando, nunc ſupplicando, nunc præcipiendo, nunc comminando, nunc excommunicando, nunc procurationes exigendo, per regnum Angliæ infinitos extorres reddiderunt & mendicantes. Et ut efficacius theſauros omnium emungerent, & pecuniam quaſi ad ſuccurſum terræ ſanctæ undiq; colligerent, cuius tamen pecuniæ voluit ſuos, quos ad hoc ordinaret, eſſe collectores & diſpenſatores, nec tamen inde unquam ſenſit Eccleſia promotionem, ſcripſit Dominus Papa omnibus Chriſti fidelibus in hæc verba elegantiſſima, quæ ad corda hominum lapidea viderentur penetrare, niſi facta humilitati ac juſtitiæ luce clarius adverſantia ſequerentur. Gregorii Papæ Epiſtolam ex ipſo habere potes authore p. 386. Quid verò obſtitit, quo minus ſua quicquam ferè effecerit Epiſtola Pontifex? Avaritia Romana de qua author p. 388. Quid? quòd ipſe Pontificis legatus, Magiſter Otto, literas Clero Populoque Angliæ recitavit, *in quibus Papa allegavit ſcandalum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & opprobrium vetuſtiſ-*

ſtiſſimum, notā ſcilicet concupiſcentiæ, quæ radix dicitur omniū malorū, & in hoc præcipuè, quod nullus poteſt aliquod negotium in curia Romana expedire, niſi cum magna effuſione pecuniæ & donorū exhibitione, Matth. Par. p. 316. Quàm verò ſubdolè, & fraudulenter idem Legatus Anglos circumvenire, eoſdemq; novis pecuniæ aucupiis emungere, ſub ſpecie tamen pietatis & officii Papæ debiti, tentârit, luculento probat exemplo. Duas ſibi Papa ſponte, ex qualibet Cathedrali Eccleſia, præbendas aſſignari vult, ne malis deinceps artibus ſuas ſibi facere deberet.

In his verò turbis, quid animi, fuiſſe credis illis, quibus Romanorū fraudes, impoſturæ, exactiones omnem penè religionis curam excuſſerunt? Mira hic & varia animorum divortia. Fuerunt, *qui* Pontificis ſimpliciter poſtulatis *reſtiterunt*. Cùm, Papæ nomine, Magiſter Stephanus, decimas in Anglia exigeret ad oppugnandum Fridericum, phaleræ non deerant; nec ſpecioſus petitionis prætextus; Eccleſię cauſam agi. Unde & nonnullos in ſententiam ſuam pertraxit, vel excōmunicationis metu territos, vel verborum lenociniis delinitos. *Cæteri verò Comites, Barones, ac Laici omnes, planè ſe decimas daturos contradixerunt*: Par. pag. 349. Publica etiam, paulò pòſt, authoritate fuit cautum, ut ne ulli Papæ Legati, bullis onerati, & exactio-

 nes

nes minitantes intromitterentur; *Id.* pag. 638. Quod adeò tulit ægrè, ut, lethaliter licèt Eccleſia Romana ubique afflicta fuerit, & per amaſios vulnerata *Matth. Par.* pag. 693. interdicto tamen mox repulſam ulciſci voluerit. *Ib.*

Alii, ne pudenda detegerent Ecclesiæ Romanæ, *ſilentii ſupparum objecerunt. De proterva & iniurioſa rapacitate* Martini*, honeſtius & tutius eſſe, ob reverentiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, arbitror ſilere, quàm aures offendere audientium, & mentes fidelium talia narranda perturbare*, ſcribit *Matth. Paris.* p. 638.

Alii hac ſibi ratione Papæ gratiam paratam animadvertentes, ne vel immorigeri viderentur Eccleſiæ filii, vel tepidi ſedis Romanæ aſſeclæ, promta pecuniæ oblatione certârunt, ceu videre licet exemplo Abbatis Cluniacenſis & aliorum, de quibus *Matth. Par.* p. 642.

Aliis *Excommunicationis* terror obedientiam imperavit. Archiepiſcopus Cantuarienſis, *provinciæ illius Epiſcopos auctoritate Apoſtolica ſuſpendit, eo quòd conſentire noluerunt novæ & inauditæ contributioni, quam à Papa impetraverat.* Id. p. 711. Quid verò Epiſcopi? *Contra Papalem auctoritatem & mandatum non valentes nec volentes recalcitrare, licet inviti, tandem cum ſumma mentis amaritudine conſenſerunt, ut abſolvi merentur.* Ib.

Alii

Alii γυμνῇ κεφαλῇ Papam agere, per fas & nefas omnia corradere, *impetu infrunito & totis ritibus pecuniæ inhiare videntes, manifeſtam non modò Romanæ Eccleſiæ avaritiam deteſtabantur*, Id. p. 683. ſed & graviſſimis querelis infelicitatem temporum ſuorum poſteritati mandâbant. Audiamus Regem Angliæ: *Proh dolor, ut quid mundi languor amplius protelatur, quonam exulârunt pax & juſtitia, de quibus Rex ſermonis ac prædicationis ſuæ ſumſit exordium? Vbi nam libera electio? Pax Eccleſiæ, quàm inviolabiliter iuravit Rex tenere in coronatione ſua primitiva?* Heu, *heu, modò contemptis regni naturalibus, viris ſanctis, literatis & religioſis, intruduntur alieni, honore quolibet indigni, literarum & Idiomatis* Anglicani *penitus ignari, confeſſionibus & prædicationibus omninò inutiles, nec compoſiti, nec moribus informati, pecuniæ extortores, animarum contemptores. Quondam ſancti viri, religioſi & literati ſpiritu Sancto cooperante & revelante ad cathedras, licet renitentes, trahebantur, quas per fas & nefas aulici, tribunales vel barbari occupant violenter.* His, quæſo, paſtoribus, quem polliceri tibi poſſis gregem? Urgent nos ſubinde adverſarii, à quibus Majores noſtri, doctoribus, cùm

ſacrificuli omnes eſſent, ſedi Romanæ addicti, ſalutarem hauſerint doctrinam? Tu mihi dic, Papaliſta, quibus compendiis, ſi ordinariam ſpectes œconomiam Eccleſiaſticam, ad vitam æternam aſpirare licuerit iis, quorum doctores erant tam nefarii ſeductores? Diris & imprecationibus Rex ſermoni finem imponit: *O Deus! ultionem Domine, quando exacues ut fulgur gladium, ut cruore talium inebrietur. Matthæus Par.* p. 775. *Idem author* anni 1255. περιοχὴν exhibiturus, hæc inter alia facit verba: *Tranſiit igitur ille annus* Romanæ *Eccleſiæ & Papali curiæ, ſi devotionem populi reputet, virulentiſſimus. Expiravit enim, quæ conſuevit haberi, devotio habita à Prælatis & populo penes matrem noſtram Romanam Eccleſiam, & patrē & paſtorem noſtrum, dominum videlicet Papam: Etſi illa curia fideles Chriſti multoties usq; ad amaritudinem Spiritus cruentaverit, nunquam tamen ſicut hoc & ſequenti anno lethaliter tam univerſos Chriſti ſervos & ſingulos ſauciavit. Coguntur enim inſontes Idololatrare, & quaſi* Apoſtatæ *veritati, quæ Deus, abrenunciare. Et præter hoc, quod etſi intolerabile ſit, tamen intolerabilius reputatur, bonis temporalibus violenter deprædantur. Quæ autem inconvenientia annus iſte*

An-

Angliæ præſentavit, præſenti pagina duximus inſerenda: Caſſantur ſanctorum privilegia, Indulgentiæ, nec reputantur, & hoc non ſine injuria eorundem. Poteſtatem habet Papa in his quæ operantur in ædificationem, non in his quæ (NB) ad ruinam, ſecundum Epiſcopum Lincolnienſem Robertum. *Pro trienn io commutatus quinquennium, in promiſſione decimæ ſubitò & tacitè, quia promiſſa ſit per triennium. Novum ſuper terram. Conſueverunt ſemper Laici Prælatis decimare, tantum nunc Prælati laicis decimare coguntur. Conceſſa fuit decima in ſubſidium Terræ ſanctæ, cogimur transferre eam in ſubſidium Apuliæ contra Chriſtianos. Conceſſa fuit decima, ut Regi in terram ſanctam peregrinanti particulatim, ſecundum proviſionem diſtribueretur: non uti nunc de obligatione injuſtiſſima, graviora ſubigere cogimur, multipliciter mentiri, falſo profecto juramento, quod cælitus prohibetur in utroq; Teſtamento. Concedere cogimur terminos ſolutionis, quos nullo modo tenere poſſumus, ut incidamus in laqueos uſurariorum, quos ſocios eorum novimus & participes. Datur poteſtas perſonis prorſus indignis ſuper nobiles Eccleſias, & eorum prælatos*

latos excellentes. Venduntur prælati ut boves, & aſini, ecce ultima conditio ſervitutis. Ecce venditiones ejiciendi à templo, flagellandi, &c.

Alii tot Papæ injuriis irritati, vel planè ab eo ſeceſſerunt, vel hæreſeos eum poſtulârunt, Matt. Par. p. 697. *Cum verò dierum iſtorum fluenta prolaberentur, tepuit devotio fidelium, & filialis affectus charitatis, quem quilibet Chriſtianus adverſus patrem noſtrum ſpiritualem, videlicet Dominum Papam, gerere teneretur, non ſine animarum periculo, læſus deperiit, imo & in odium execrabile & maledictiones occultus eſt converſus. Videbant enim omnes & ſinguli, & videntes ſentiebant ipsũ Dominum Papam pecuniæ & pecuniarum rapinis in multorum damnum & depauperationem inſatiabiliter inhiare. Nec credebant jam multi ipſum poteſtatem B. Petro conceſſam cælitus, videlicet ligandi & ſolvendi obtinere.* qui penitus à Beato Petro diſſimilis *probabatur.* Et p. 738. *Hæc pagina* (Excommunicationis diplomata contra Fridericum intelligit) *auditu horribilis, cum ad multos perveniſſet, medullas auditorum penetrando contra Fridericum erexiſſet, niſi Papales ejusdem Friderici adverſarios, avaritiæ, Simoniæ & uſuræ, aliorumq; vitiorum*

tiorum maculæ coinquinaſſent. Qui inter cætera deliramenta cruce ſignatos impudēter excogitant, nunc ſub pæna excommunicationis ad Terram ſanctam, nunc ad Imperiū Romaniæ, nunc innuendo ut ſuper Fridericum inſurgant & transmittantur, elaborant. Et quod deteſtabilius judicatur, Prædicatores & Minores facientes ſuos telonarios, viatica cruce ſignatorum quovis extorquent argumento. Confer p. 494. Lincolnienſis Epiſcopus, ut ex gravi morbo decumbens, tempus falleret, mutuis illud cum clericis quibusdā transegit colloquiis, *quibus dolens de jactura animarum per Papalis curiæ avaritiam, ſuſpirans ait: Chriſtus venit in mundum, ut animas lucraretur, ergo ſi quis animas perdere non formidat, nonne Antichriſtus merito eſt dicendus? Idem, non modo dixit, hæreticos eſſe, qui conſanguineis ſuis indignis, ætate & ſcientia inſufficientibus, curam committunt animarum, neq; magnatum peccata audacter redarguunt; ſed ipſum etiam Papam, niſi ab hoc vitio ceſſet. Item dicit Decretalis; quod ſuper tali vitio videlicet hæreſi, poteſt & debet Papa accuſari.* Id. p. 791. *Hoc vero huic libro duximus inſerendum, ut legentibus innoteſcat, quot angariis, & iniuriis nos*

nos miſeros Anglos exagitat curia Romana. *Perpendens enim huius literæ tenorem, multiplicem poterit conſiderare contemptum; injuriam & oppreſſionem. Sed ut Apoſtoli ad impleatur ſententia comminatoria;* Niſi prius venerit diſceſſio, non revelabitur filius iniquitatis. *Ecce cauſa, ecce materia; quare recedunt corda, etſi non corpora, à Patre noſtro Papa; qui in vitricalem exaſperatur auſteritatem, & à matre noſtra Eccleſia* Romana, *quæ in novercalem deſævit perſecutionem.* Vide plura ſup.p.389.

Alii magnificis lactati promiſſionibus, Pontificum conatus juvabant. Mox tamen & ipſi opibus deartuati ludibrium aliis debebant. Vide *Matth. Par.* p.864.

Alios tot in Eccleſia graſſantia mala de novo vitæ genere cogitare coegerunt. Exemplum habet *Matth. Par.* pag.776. in *Roberto Epiſcopo Lincolnienſi*, qui cum in curia Romana pluribus diebus *cum multarum expenſarum inutili profuſione ſtetiſſet, & domum reverſus materiam confuſionis Eccleſiæ univerſali cominus imminere vidiſſet, Epiſcopatum ſuum deſerere voluit:*

Alii curiæ Romanæ exemplo quamlibet audendi, ac pecunias congerendi licentiam ſibi ſumebant. Vide *Matth. Par.* de Caurſinis, p.795.

Alii

Alii omnis calamitatis Eccleſiaſticæ cauſam *in pertinacem Eccleſiæ Romanæ ſuperbiam & inſatiabilem cupiditatem rejiciebant*; *Id.* p.558. Alii alia hac de re judicia, quæ enarrare omnia non licet, edebant.

Tu jam abi, eumque, qui tot ulceribus ſcatet & Apoſtematibus, humanis infirmitatibus & erroribus exime. Crede, inquam, Pontificem Romanum *Chriſtianorum eſſe Monarcham, à Deo aſſumtum, Mortalium ſupremum, Chriſti in terris vicarium, Petri ſucceſſorem, primæ ſedis præſulem, Catholicæ Eccleſiæ primatem, Conciliis jure divino prælatum, Authorem, Præſidē, Præfinitorem, confirmatorem, Moderatorem, judicem, Conciliorum; qui nec fallatur, nec fallere ſciat; nec à quoquam hominum iudicari potis, à quo nulla provocatio, ad quem in rebus fidei provocatio, qui depoſiti Apoſtolici ſervator, doctrinæ à Chriſto & Spiritu Sancto traditæ dictator, ſcripturæ Sacræ cuſtos & cognitor; ſcripturæ Interpres, Conditor dogmatum, Doctor orbis, iudex controverſiarum de fide*, Hæreticorum *ultor, innocens ab hæreſi, Impollutus, & à peccatoribus ſegregatus, cenſor librorum, Antiſtes Sacrorum, Claviger cælorum, Ianitor regni cæleſtis, iudex cæli in iudicio terreno ſupremus, Fons ſacerdotii, Prin-*

ceps Paſtorum, Legislator, totius Eccleſiæ curator, judex Epiſcoporum, ad quem in cauſis Eccleſiaſticis ultima provocatio, Religionis vertex, R*omanæ Eccleſiæ & urbis* Anti*ſtes, cum curia ſpirituali & temporali, à qua urbi maxima felicitas, patrimonii Apoſtolici juſtiſſimo titulo poſſeſſor, atq; pater familias, Chriſtiani Imperii columen, Imperii, Chriſtianorum Servator,* V*nctor* Re*gum,* A*rbiter orbis, vindex ſcelerum, Eccleſiaſticæ libertatis aſſertor, orbis Chriſtianorum Pacarius, Chriſtianorũ defenſor, Indeficiens.* Hæc, inquam, omnia, quæ clauſtralis ille gloſſogaſtor, *Abrahamus Bzovius* in ſuo Pontifice Romano, noſtra demum ætate, orbi obtruſit, quæq; aliam longè, ſed fucatam profectò, & ementitam nobis fingunt faciem, quàm certiſſimus temporum teſtis, Hiſtoria credere ſinit, magno & præſentiſſimo animæ periculo, ab aliis & doceri publicè, & credi paſſim, dole.

XII. Tale fuit *caput*: Reliqua corporis membra capitis naturam ſequuntur & conditionem. Unde nihil in ipſo facilè [a] Papa obſerves, quod, in reliqua ſua membra largiter non diffuderit.

[a] Si enim cleri univerſi ſuſcipiamus anatomiam offert ſe nobis.

I. *Ava*

I. *Avaritia*, Huc pertinent a. exempla illa Legatorum Pontificiorum, de quibus ſupra actum eſt. b. Sacerdos ille Cantuarienſis, de quo *Bzov.* an. Ch. 1278. S. 24. Unde querela Concilii Londonenſis: *Auditu horribili audivimus & relatis quod quidam, ſcilicet miſeri ſacerdotes, dum forſan in beneficium vicariæ vel ad firmam, ſeu quacunq; alia quæſtus cauſa, proventus ex altari aut ex pænitentia venientis recipiunt non aliter admittunt ad pænitentiam confitentes, niſi prius ab ipſis in ſinu avaritiæ ſuæ quippiam reponatur. Sicq; faciunt de aliis Sacramentis*: *Matth. Par.* p. 434. Vide *Bzov.* an. Ch. 1222. S. 2.

II. *Negligentia* & ſocordia in officiis peragendis Sacris. *Bzov.* an. Ch. 1227. S. 10. *In Italia Epiſcopi & Archiepiſcopi id temporis negligentiores fuerant aliquantum in exercendo officio paſtorali.* Et an. Ch. 1241. S. 20. *Per id quoque temporis in Belgio, cuidam Prælato à multis annis rem Eccleſiaſticam non rectè adminiſtranti, Petrus Apoſtolorum Princeps vultu ſeveriore apparuit, librumq; tenens apertũ, eam ſententiã expreſſam legere cõpulit; Mortificas animas, quæ non moriuntur, & vivificas quæ non vivunt. Cumq; ille perterritus, nollet ulterius legere vultumque ac oculos averteret,*

 Apo-

Apoſtolus Petrus inſtitit, & , ut gloſſam ad marginem libri aſcriptam legeret, coegit. Legit ergo coactus: Quando reduces animas ex inferno, quas per tuum deſtitutas exemplum æterno ſupplicio tradidiſti? &c. Sic an. Ch. 1248. S. 12. *Eodem anno Pariſiis, mirum, mirum valde accidiſſe memoratur, Synodus Epiſcoporum indicta celebratur, & Clericus quidam verba ad Patres facere compulſus erat. Anxio quid diceret, apparuit Satanas, & iſta, ut iuſſu divino, in conceſſu diceret, verbis diſertis aſſeveravit, & ſigno quodam adiuncto approbavit. Dices eis; iſtud, nec aliud. Principes inferiorum tenebrarum, Principes Eccleſiarum ſalutant:* Lætitia ſumma perfundimur, & gratias ingentes vobis habemus, quia per negligentiam Eccleſiæ Prælatorum, & ipſi ad inferna devolvuntur, & plures animæ, eis ſubditæ damnantur. Et an. Ch. 1299. S. 15. *Aliqui Epiſcoporum vicarios, ſeu quos vocant, ſuffraganeos pro ſe objiciebant; aliqui vero Prælatorum, cum nec ipſi divinis miniſteriis intereſſent, nec pro ſe ſub miniſtros ſufficerent, lanam tamen & lac ſeu fructus ex ovili Dominico ſibi deberi contendebant.* Confer an. Ch. 1217. S. 5.

III. *Superbia & faſtus.* Hic nævus cumprimis conſpicuus fuit in Archiepiſcopis & Epiſcopis

φιλο-

φιλοπρωτεύουσι. Lis, quæ hoc nomine inter Eboracenſem & Cantuarienſem Archiepiſcopum mota pridem fuit, & an. Ch. 1072. deciſa, occaſione Legati Pontificii in Anglia recruduit. *Ingreſſus Legatus (retinebo verba* Matth. Par. pag. 432.) *Eccleſiam, coram majore Eccleſia, Pontificalibus ſe induit, ſcilicet ſupercilicio, & deſuper cappa chorali, pellibus variis furrata, & mitra. Et præcedentibus Archiepiſcopis Cantuarienſi & Eboracenſi eum, cũ proceſſione ſolenni, cum cruce & cereis accenſis, & cum Letania ſedem ſuam aſcendit per gradus pomposè, ut dictum eſt, præparatam, & jam pompoſius tapetis & pallis redimitam: collocante ſe à dextris domino Cantuarienſi & Eboracenſi à ſiniſtris: propter quod orta eſt inter eos diſſenſio, ſcilicet de ordinatione ſeſſionis. Et appellatum eſt ex parte Eboracenſis, pro jure ſuo, quod ſibi vendicant. Lecto igitur ſolenniter Evangelio, ſcil. Ego ſum paſtor bonus, ſicut moris eſt, dictisque collectis propriis ab ipſo Legato & cantato: Veni creator Spiritus, appellatoq; ab Eboracenſi, ut dictum eſt, ſederunt juxta Legatum duo Archiepiſcopi, Cantuarienſis à dextris, Eboracenſis à ſiniſtris. Quibus dixit Legatus, volens ipſam controverſiam pacificare, neutrius tamen juri derogando: in bulla Domini*

Papa ſtat imago Pauli à dextris crucis in medio bullæ figuratæ, & Petri à ſiniſtris. Nulla tamen inter tantos ſanctos eſt orta unquam contentio, ambo enim ſunt in coæquali gloria. Verum tamen propter Petri clavigeri dignitatem, & Apoſtolatus Principatum nec non & Cathedralem dignitatem, cum prioratu vocationis, meritò à dextris crucis eius imago collocanda videtur. Sed quia Paulus credidit in Chriſtum, quem non vidit, à dextris figuratur. Beati enim qui non viderunt, &c. Sic Dominus Cantuarienſis, totius Angliæ primas, & qui præeſt antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ Eccleſiæ Cantuarienſi, nec non & Londonenſi, quæ eſt Sancti Pauli, non ſine ratione à dextris eſt collocandus. Volco, Sacerdos Franciæ, quẽ *Thaumaturgum* appellant Pontificii, monuiſſe dicitur Angliæ Regem, Richardum, ut filias ſuas tres nuptum locaret, ſuperbiam, cupiditatem & luxuriam. Rex monitis obſecuturus comitibus ſuis dixit: *Do ſuperbiam meam ſuperbiæ Templariorum, cupiditatem meam Monachis de ordine Ciſtercienſi, & luxuriam meam prælatis Eccleſiarum.* *Bzov.* an. Ch. 1198. S. 22.

IV. *Luxuria & intemperantia.* Bavarus, ex Monacho Strachovienſi, Olmucenſis Epiſcopus, *virgulæ & ventri totus deditus, helluo, prodigus*

digus, luxuriæ ſordibus inquinatus; Bzov. an. Ch.1201. S.9. Et an. Ch. 1266. S.10. *Ea tempeſtate plurimi ex clero in* Galliis *dignitatis ſuæ obliti, turpem & in omne flagitium profuſam vitam ducebant*. Adde quæ de Canonicis Pariſienſibus habet an. Ch.1202. S.16. & an. Ch.1214. S.5. Scribit *Avent*.lib.6.p.663. Pauperes Lugdunenſes, & Italos humiles, duo fuiſſe Monachorum genera *in ſacerdotum luxum avaritiam, ſuperbiam, libidinem, cæteraque vitia, ingenioſa & diſerta*. Et pag. 989. *in tanto rerum tumultu (ut fieri ſolet) licentia armorum, partim metu, partim audacia, partim tempore atq; tædio, paulatim labente diſciplina, Monachi, Myſtæ, fœminæ ſacratæ, diſſoluta ſeverioris caſtimoniæ iugo, populariter vivere cæperunt*. Et. p. 699. *Sub idem tempus Alexander IV. Pont. Max. pacis atq; morum, quam armorum, atq; belli ſtudioſior, literas Archimyſtæ Iuuavenſi, cæteriſque Bojariæ Epiſcopis mittit, quæ adhuc extant. In hisce ſacerdotes ambitionis, ſtupri, inceſtus, negligentiæ, inſcitiæ, avaritiæ, luxus accuſat, obteſtatur, precatur, minatur, conqueritur, deplorat ſtatum temporum*. Vos, *inquit*, ſacerdotes corruptela atque communis pernicies Chriſtianæ religionis eſtis, copia rerum vos corrumpit. Publice in conſpe-

ctu omnium, maximo gregis Chriſtiani detrimento, ſcorta alitis, nihiloſecius tamen perfricata fronte ſacrificare audetis. Hujuſcemodi autem ſacris Deus, cuncti ſuperi, ad iracundiam provocantur myſteria Dei profanantur, fames, peſtilentia animorum pergliſcit. Per vos igitur nomen Dei malè audit, devoratis enim pauperes, exeditis, occiditis. Veſtro ſcelere pietas rareſcit, flagitia crebreſcunt, ſacra polluntur, populus decipitur. Deus igitur qui homines pro liberis habet, vos ſicuti corruptos & vitioſos, delicatè atq; luxurioſè patitur vivere, quia non putat emendatione ſua dignos, neq; vos perinde ac bonos quos diligit caſtigat ultra, & aſſiduis laboribus ad uſum virtutis exercet: Vos caducis atq; mortalibus bonis corrumpi atq; depravari ſinit. Vobis ſi quippiam boni facere videamini, hic mercedẽ tribuit. Ex quo intelligimus, vos Deo nequaquam curæ eſſe: quoniam cum peccatis non iraſcitur, & corruptelam veſtram patitur longius procedere, nec plagis atq; verberibus emendat. Opes, regna, potentiam, honorem, ſplendorem vobis largitur, ut rerum proſpera felicitate corrupti in luxuriam labamini, Dei præcepta contemnatis, terrenis atq; fragilibus his bonis enervati abs diſciplina legis, veritatiſque curſu aberratis. Philoſophi profani, à religione noſtra alienis, nec cæleſti lumine illuſtrati, melius quàm vos ſentiunt atque præcipiunt. &c. Mænardus Tyrollius à Nicolao Papa devo-

devotus, injuriam ſibi fieri vociferatur, edicto publico obnunciat; Crimina objecta ita diluit: Equidem (ita me Deus amet) bellum non infero, ſed propulſo, nihil unquam mihi magis cordi fuit, quam pacem cum quovis hominum, maximè cum Epiſcopis conſervare, niſi boni patres, ut cæteri mortalium, copia rerum corrupti, nobis immeritiſſimis ultro arma, prava libidine dominandi intuliſſent, noſque terris avitis ſpoliare conati fuiſſent. Arma ſumpſi, caſtella hoſtibus patriæ ademi, quo mihi ac popularibus ocio frui absque armis liceat. Quod ſi quiſpiam vas, atque præs fuerit, ne metuere perfidiam & lupos habeam, neve de cætero hujuſcemodi nobis à faſtuoſis illis Archi-ſynagogis (nam paſtoribus dicere religio eſt) contingant actutum omnia reddam. Aliter nunquam committam, ut tam ſtultus videar, ut è manu manubrium mihi eripi patiar, aut memet ultrò, atque meos ludibrio effœminatis Antichriſtis, atque prodigioſis Eunuchis eſſe ſinam. Nemo magis Chriſtianã concordiam labefactat, non ſacris literis interpretandis aut ediſcendis, ſed liberis dant operam, Liberum amant, divitias congregant, regna, gloriam, dominationem avidiſſimè appetunt. Pro hisce nobiſcũ ſanguine ovium decertant, Chriſti paupertatem, comitum ejus ſimplicitatem non ſolùm non æmulantur, ſed irrident quoque, atque antiquare conantur. Si Antichriſti non ſunt, quid aliud obſecro ſunt? Eſt ne iſthuc paſcere

Dd 5 oves?

oves? amare gregem? regna, opes, aliena appetere, pro gloria, dignitate digladiari, oviculas opprimere, occidere belligerari, Chriſti præceptũ invertunt, donanti tunicam & palliũ vi auferunt. Quis tam ferreus, ut verius dicam, tam ſtolidum pecus fuerit, ut ſuperbiam, faſtum, perfidiam, fraudem, flagitia, ſcelera, luxum, avaritiam nebulonum æquo animo ferat? Pejores Turcis, Saracenis, Tartaris, judæis ſunt, plus his omnibus Chriſtianæ ſimplicitati officiunt, libertatẽ Chriſti ſanguine partam excindere conantur, dominationem arripiunt. Cùm noſtri ſervi ſint, ipſi dominari contra jus genitum, adverſus leges, auſpicia, & oracula divina, dominos ſibi ſervire volunt. Scitum eſt vulgi proverbium, ſacerdotes ſuperſtitionum præſtigiis caliginem oculis offundere mortalium, & ceremoniis, carminibuſq; caſſis, veluti Mandragoræ ſoporiferæ poculo mentem mutare, & humanis animis, atq; ſenſibus ſtuporem propinare, &c. Hæc ex *Avent.* lib. 7. p. 720. Ludovicum Palatinum, oratione ad Principes habita, ſacrificulis *avaram ſuperſtitionem* tribuiſſe: *Idem* refert p. 722. P. *Paulus Venetus*, Hiſt. Inquiſit. p. 17. *Circa an. Ch.* 1200. *omnia bellis & ſcandalis plena fuere, & vita non admodum religioſa cleri.*

V. Sed neque *tyrannide* vel Epiſcopi, vel reliquus clerus, qua tum in ſe mutuo, tum in alios ferocierunt, continere ſe poterant. Exemplum habet

habet *Matth. Par.* p. 944. in quodam clerico ab e-
ecto VVintonienſi indigniſſimè tractato. De
Archiepiſcopo Cantuarienſi in clerum Londi-
nenſem prodigiosè ſæviente agit p. 754. *Diebus
quoq; ſub eisdem*, ſcribit idem p. 789. *Epiſcopus
Lincolnienſis viſitationem fecit in domibus re-
ligioſorum in diœceſi ſua conſtitutis. In qua ſi
quis omnes tyrannides, quas exercuit, recita-
ret, non ſeverus, ſed potius auſterus & inhu-
manus cenſeretur, &c:* Confer. p. 755.

VI. Pilo multi tractando, & vibrandæ bipen-
ni aptiores videbantur, quàm ſtylo. Hinc querel-
a Ottonis, reguli Bojorum apud Aventinum
lib. 7. p. 688. *Quid vultis?* (inquit) *vos* (Epi-
ſcopi) *mihi priores bellum indixiſtis, ego coa-
ctus ad* Romanum *Epiſcopum provocavi, juſ-
ſuq;* Gregorii *Pont. Max. armis mea tutatus
ſum.* Hoc *mortuo, Romanum Epiſcopum Anti-
chriſtum eſſe prædicâſtis, egoq; deſerta primarii
ſacerdotis ſecta, ad Imperatorem defeci: Vos
ſuaſiſtis, vobiscum pacem inij. Nunc rurſus
bellum vobis placet, magis varii atq; mutabi-
les eſtis homine triviali. Cur ſic inepti ludifi-
camini Chriſtianũ populum veſtra puerili ſen-
tentia? Æquum, iniquum eſt. Quod modò fas
erat, modò nefas eſt. Nolo, volo, quod dictum,
indictum eſt, quod modò ratum erat, modò ir-
ritum*

ritum eſt. Mendacio creditis, iniquitati conſentitis. Vento fortunæ circumferimini, aut nunc, aut antea errâſtis. Pacem inire cum optimis Principibus ſuaſiſtis, parvi libenter, veſtris Conſiliis pacem, atque fidem ſervabo. Repugnantia *nunc docetis, atq; more magis verſutorum atq; argutorum hominum, quàm ex æquo atq; bono poteſtati reſiſtere.* His *à quibusdam beneficiis collocupletati ſumus, ingratiſſimos eſſe iubetis: decernite vos, quidnam æquum ſit. Hominibus ne diſcordiarum fallacibus fabris, an Chriſto cõcordiæ authori obtemperabo? Qui gladium acceperit, gladio pereat. Qui ſitis, opera veſtra oſtendunt: opes: potentiam, divitias, honorem, voluptates, munera concupiſcitis, appetitis, adamatis, pro hiſce victi cupiditate, peius Turcis, Saracenis armis decertatis. Diſcordia creviſtis, oves non paſcitis, gregem diſciſſum devoratis; non licet Chriſtianis per vos ſervare pacem. Ego ſuperis faventibus obturabo animum, mente obſtinata Thyeſteas Veſtras preces, diraſq; deteſtationes nauci faciam. Ad Chriſtum Servatorem noſtrum provoco, qui tales Phariſæos nobis vitandos prædixit & veſtris inominatis verbis ſe bene precaturum pollicetur. Quemadmodũ*

DEVS

DEVS immortalis, ne comparandus quidem ad mortales eſt, ita dum à vobis condemnamur, à Chriſto Domino Deoq; noſtro, qui vobis veſtros mores probè cantavit, abſolvimur. A quo ſacrilegum hoc genius hominum manus ſceleratas, impias abſtinebunt, qui ne Chriſto quidem authori noſtro pepercerunt, &c. Et *Abbas Vrſp.*a. Ch.1254. *Albertus Teutonicus, ob amplitudinem doctrinæ* Magnus *dictus, qui tantæ modeſtiæ fuiſſe dicitur, adeoq; lectionum appetentiſſimus, ut* Ratisponenſem *Epiſcopatum abnuerit, quem tumultu & armis gubernare interdum opus erat, ut nunc etiam apud* Germanos *mos eſt, quorum plerique Epiſcopi enſe & milite rem ſuam tutantur*; Et an.Ch. 1262. cùm perpetuis ſe, Epiſcopus & cives Argentinenſes diſſidiis conficerent, ipſe etiam *Epiſcopus fortiſsimè, manu propria, inſtar ſtrenuiſsimi militis pugnavit, duobus equis, quibus inſederat, interfectis*, Id. pag.337. *Bzov.* an. Chr.1236. S.13. *Ridiculum quiddam hoc anno accediſſe memorant. Nam Theobaldus, Montisfaliſci præſul, ubi per Nuncios diu à Volnienſi populo contendiſſet, uti ſe eius diœceſi ſubmitterent, atque hac ratione nihil proficeret, per vim ad id compellendos ratus eſt.*

Ita-

Itaque mediocri equitatu inſtructus Vulſinum acceſſit, ſed à Vulſinienſibus per jocum exceptus hoc præter repulſam aſſecutus eſt, ut præciſis omnium equorum caudis, nihil ſatius duceret, quàm magno dedecore accepto, ad ſuos reverti.

VII. *Beneficiorum* etiam *pluralitas* ita invaluit, ut Thomas dicere ſolitus fuerit, *medietatem miniſtrorum Dei reſecatam per hoc genus avaritiæ*; *Vrſperg.* pag. 328. Unde an. Ch. 1238. Pariſiis contra eum diſputatum fuit, *& concluſum ab omnibus quod nemo ſine periculo mortalis peccati tenere poſſit duo beneficia*; *Id.* ibid. & *Bzov.* an. Chr. 1228. S. 16.

VIII. *Falcem* inſuper ſuam libenter *in Politicam miſerunt meſſem*. Adolfus, ſacrificulorum vulgò Rex, der Pfaffen König / dicebatur, quòd tribus Germaniæ Archimyſtis ſummam rerum commiſiſſet: *Avent.* annal. lib. 7. p. 722. Richardus Cantuarienſis Epiſcopus Romam profectus propoſuit Papæ, *quod Epiſcopi quidam ejus ſuffraganei, neglecta paſtorali cura, ſedeant ad Saccarium Regis, laicas cauſas ventilantes, & judicia ſanguinis exercentes*; *Par.* pag. 357. Confer. p. 882.

IX. Ipſi *Cardinales, partim ægrotantes, partim*

tim cum amicis & parentibus ſuis latitantes, diſperſisque locis, & animis diſſipati, extincto charitatis inter eos igniculo, ſimiles facti ſunt arenæ ſine calce, ne domus Dei, cæmento murali ædificata, proſperum caperet incrementum. *Matth. Par.* pag. 565. Atque hi cardines fuerunt Eccleſiæ, *rubro* propterea hoc ipſo Seculo ab Innocentio IV. *pileo* donati, ut parati eſſent pro libertate Eccleſiaſtica vitam ſuam exponere, *Onuph.* p. 162. *Cal.* a. Ch. 1244. *Bal.* Cent. p. 287. *illo præſertim tempore, quo Fridericus contra omnes Eccleſiaſticos ſæviret*; *Bzov.* an. Ch. 1245. S. 1.

X. *Diſſidiorum* & *rixarum* nullus erat inter clericos finis. *Modò* contendebant de πρωτοκαθεδρίᾳ, vide ſup. p. 424. Confer *Avent.* p. 734. *ubi Vangionum atque Aichſtatenſis Epiſcopi tumultum concitârunt pro conſeſſu atque ordine ſubſelliorum litigantes*; *Modò* de jure inveſtituræ, electionis & vocationis Eccleſiaſticę; ut Rex Angliæ, & Epiſcopus Lincolnienſis; Epiſcopus item & Capitulum Lin. *Matth. Par.* pag. 551. 552. qui controverſiam hanc vocant *damnoſiſſimam & indecentiſſimam.* Inter Archiepiſcopum Cantuarienſem, & electum VVintonienſem. *Id.* pag. 30. quod valde memorabile eſt exemplum. Inter Cantuarienſem & Capitulum Lincolnienſe, 850. inter Abbates S. Albani, & VVeſtmonaſterii

ſterii, p. 900. Inter Monachos Conventrenſes, & Canonicos, *Id.* pag. 472. In electione Epiſcopi Dunelmenſis; *Id.* p. 320. *Modò* de privilegiis Monachalibus, ut inter Richardum Dunelmenſem Epiſcopum, & Monachos, *Id.* p. 299. Inter Cantuarienſem Conventum, & Epiſcopum Lincolnienſem; *Id.* p. 581. Quæ quidem lis Romæ tandem fuit deciſa, *Id.* p. 585. *Modò* de prærogativis quibuſdam peragendorum Sacrorum. Sic inter Eccleſiam Dunelmenſem & Eccleſiam S. Albani orta eſt diſſenſio, ſuper viſitatione facienda in Eccleſia parochiali, quæ eſt in Monaſterio Monachorum de Thynemua, &c. *Id.* p. 703. Litis compoſitionem habes p. 705. *Modò* de terminis & limitibus territoriorum, ut inter Epiſcopũ Elyenſem, & Abbatem Ram. *Id.* p. 900. *De limitibus in Mariſco* (loco planè inhoſpito) *ſtatuendis*; *Id.* p. 900. *Modò*, de aliis vel ignotis, vel leviſſimis rebus, ut inter Epiſcopum Bathonienſem, & Abbatem Glaſtonienſem, *Id.* pag. 889 Inter duos Canonicos Londinenſes, qui cùm de lana ſemper litigarent caprina, à verbis tandem devenerunt ad verbera, uſque adeò, ut alter alterum è medio ſuſtulerit, non ſine magno ſcandalo; *Id.* p. 901.

X. πληκτὰς eos fuiſſe, & *vinipotores*, commemorare nihil attinet. Ludus hæc erant & jocus. exempla vide apud *Matth. Par.* p. 755. 351.

XI. Tota denique cleri *vita ſcandalorum plena*

na erat. Scandalum ortum in Cœnobio Glaſtonienſi *per intruſum quendam, qui quoſcunque poterat convocabat nebulones ac gyrivagos in læſionem honoris Monaſtici*; *Matth. Par.* p. 907. *Idem* de Cantuarienſi refert pag. 777. quod ex enormi facto, Londini in Eccleſiis Canonicorum S. Bartholomæi patrato, *infamiæ & ſcandali fœtore ſepulchro totius Regni infecerit latitudinem*. Unde tot contra Cleri ſcandala querelæ & ſcripta, cujusmodi ſunt 1. ſeptem libri *Semidialium Eliæ*, cognomento *Rubri*, Tripelavienſis, Angli, quibus vitia Cleri acriter perſtringuntur. Vide *Catal. Teſt. Verit.* lib. 17. p. 678. 2. *Planctus* Bernhardi Weſterrodi, quibus graviter admodum inſectatur malitiam cleri. Objicit autẽ eis præcipuæ ſummam vitæ turpitudinem & officii neglectionem; *Catal. Teſt. Verit.* lib. 16 p. 643. 3. *Exemplar Mythologiarum Æſopi* ac ſimilium, cum figuris, quod extat in Bibliotheca Fuldenſi, & alibi: *Id.* pag. 644. 4. Opuſculum abbreviatum *Roberti Galli*, qui vixit circa annum 1290. quo in Sacrificulos, & Pontificem ipſum, tanquam Antichriſtum, invehitur. Verba ejus recitantur *lib. cit.* p. 682. 5. *Gilbertus* Monachus, cujus meminit ex Huſſo *idem auth.* p. 678. Quid verò, *inquias*, his te fatigas? quid hæc ad rhombum? intempeſtivè in hanc rem diſſoluta cleri vita allegatur. Aut cur non vides, quod manticæ eſt? Omnes ne Evangelii veſtri Miniſtri, ἀξίως τῷ εὐαγγελίῳ

 πε-

περιπατοῦσι; Reſp. 1. Hiſtoriam ſcribimus quæ vitia etiam τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων notare jubet. 2. Ipſi his notis adverſarii, ſine ratione tamen, religionem noſtram denigrare & exoſam reddere maximè conantur; Vide Conſult. *Leß.* pag. 96. confer *Hiſt. Eccleſ.* ſup. p. 190. & dc. Cur ergo nobis firmiſſimis rationibus munitis talionis lege agere vetitum ſit? 3. Jactant ubique Doctorum ſuorum ſanctimoniam, uſque adeò, ut in Notarum etiam Eccleſiæ veræ numerum eam referant. *Leß.* l. c. p. 29. Opera etiam, neſcio quæ, ſupererogatoria venditant & vendunt, non cogitantes & vitam ſuam variis vitiis coinquinatam, & pluribus ſe Deo officiis defœneratos, quam quibus defungi poſſint. 4. In ſe deinceps deſcendant, & trabem priùs oculis ſuis eruant, quàm de feſtucis noſtris, quas nec negamus, nec elevamus, ſint ſoliciti.

XII. Ad ſumma honorum faſtigia ſæpe fuiſſe evectos, qui aut Linguæ vernaculæ erant ignari, aut ne inter apia quidem Theologica, exemplis probat *Matth. Par.* p. 341. 358.

XIII. Reliquum eſt examen *doctrinæ*, cujus etſi operoſa eſſe poſſet tractatio, duabus tamen eam commodè proponimus partibus, quarum *prior* oſtendet, ab ipſis etiam Romanæ Eccleſiæ Doctoribus varia hinc inde [a] in uſum vere fidelium, Apoſtolicæ antiquitatis & ſinceri-

veritatis ſparſa fuiſſe ſemina ; *poſterior*, pleniorem [*b*] Pontificum & Pontificiorum Apoſtaſiam in ſcenam producet atque theatrum.

[*a*] Ergo ex *Durando*, natione Vaſcone, Gallo, Epiſcopo Mimatenſi habere, poterant, *veritatem potius ſacrarum literarum, quàm ullas conſuetudines, quantumvis longas, ſequendas eſſe; Reges & Papam commodiſſimè reformare poſſe, ſi veteres leges ſacrarum literarum, Conciliorum & Cæſarum ſervarent, novasq; in contrarium inſtitutas diſtinctiones & abuſus tollerent; limitandam & reſtringendam eſſe Superiorum, etiam Papæ, poteſtatem, ne ſibi nimiam licentiæ ſumant; Primatum Papæ à Gregorio M. fuiſſe profligatum; utile videri, ut in Concilio matrimonium ſacerdotibus concedatur, cum planè fruſtra & incaſſum hactenus ſint ad caſtitatem coacti, cumq; Græci Sacerdotes ius matrimonii habeant, idque etiam Apoſtolorum tempore in uſu fuerit;* pluráque id genus alia, quæ occurrunt in libro de *modo celebrandi Concilii Generalis*: cujus Epitomen habet *Catal. Teſt. Verit.* lib. 16. p. 645.

Ex *Thoma de Aquino*, diſcere poterant, *liberum arbitrium ſemper ſervum eſſe aut gratiæ, aut peccati; nos non per opera, ſed per fidem, adeo-*

que per ſolam fidem, juſtificari; Ab æterno Deum propoſuiſſe, quod quosdam permitteret deficere, quibusdam auxilia appoſuiſſe, ne deficerent, ut in utrisque manifeſtaretur virtus gratiæ, & defectus naturæ. Inniti fidem noſtram revelatione Apoſtolis & Prophetis facta, qui Canonicos libros ſcripſerunt: non autem revelatione, ſi quæ fuit aliis doctoribus facta: Ex allegorico ſenſu non trahi argumentum; Illum eſſe adorandum, qui ſolus per ſe eſt immortalis, & à quo alii; Eccleſiam ſanctam item eſſe, quod congregationem fidelium, & quemlibet Chriſtianum eſſe ſicut membrum illius Eccleſiæ; Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ; tradi ſacramentum Euchariſtiæ ſub duplici ſpecie Id. lib. eod.

Ex *Alberto Magno* haurire poterant, *Animam etiam convertere, & ſapientiam præſtare quicquid in V. Teſtamento continetur; non fieri remiſſionem peccatorum niſi per gratiam; Sacramento Cœnæ nos ſibi Chriſtum univiſſe, & ſic Spiritui vitæ conjunxiſſe, ut Spiritu vitæ omnes vivificemur; unam eſſe Eccleſiã, uno Spiritu S. vivificatam, motam, ſanctificatam, & communicatam; Eccleſiam utiliter radicatam eſſe in Sacramentis & doctrina Prophetarum*

Ex

Ex ſcriptis *Alexandri de Ales*, qui doctor *irrefragabilis* vulgo dictus, Pariſiis floruit an. Chr. 1240. tenere poterant; *Eccleſiam perſeverare in bonis uſque ad finem* Mundi; *Corpus Eccleſiæ nunquam fuiſſe* ἀκέφαλον, *ſed ſemper habere Chriſtum caput ſecundùm divinitatem, & ſecundùm humanitatem*; Id. p. 665.

Ex diſcipulo ejus, *Bonaventura* (qui & *Euſtachius* dictus erat) ratione Tuſco, invaleſcenti Scripturarum contemptui opponere poterant, ſequentia: *Scripturam* Sacram *ſibi debito modo eſſe perfectè authenticam, quæ non per humanam inveſtigationem ſit tradita, ſed per revelationem divinam. Ideo in ipſa nihil contemnendum tanquam inutile, nihil reſpuendum tanquam falſum, nihil repudiandum tanquam iniquum vel irritum, eo quod Spiritus* Sanctus, *eius auctor perfectiſſimus, nihil potuit dicere falſum, nihil ſuperfluum, nihil diminutum.*

Ex Ægidio Romano promtum erat diſcere, *non ſic exponendam Scripturam, ut illa ſit ſententia ſcripturæ, quæ eſt noſtra, ſed magis è converſo, ut illa ſit noſtra, quæ eſt ſacræ Scripturæ. In tantum quidem nos debere in pretio habere ſcripturas alias, in quantum famulantur Scripturæ ſacræ. Vbi autem ei contradicunt, non de-*

bere eas nos tenere, ſed repellere; opera noſtra bona non debere appropriari nobis, & non eſſe propria nobis, ſed magis eſſe ipſius Dei, juxta illud, quod dicitur in Evangelio; Sine me nihil poteſtis facere. Ita ex aliis alia, & ſaniora habere poterant, quicunque ſuperſtitionum & impietatum Romanarum pertœſi, in ipſo Eccleſiæ Romanæ gremio recumbebant. Confer quæ ſupra citata ſunt ex *Hugone* Gloſſatore, & *Lirano*, pag. 355.

[*b*] Qua de re aliquid in genere dictum eſt ſupra p. 352. ſed propius accedere, & fortius ulcus hoc premere, negotii nos cogit momentum atque pondus. Dicimus ergò, variè peccatum fuiſſe contra *Scripturam Sacram*, officium ejus & dignitatem, idque tum *directè*, tum *indirectè*.

Directè Scripturæ authoritas impugnata eſt: A. à Monachis illis, Evangelii æterni, quod primus ſparſit *Iohannes Parmenſis*, fabris. Ejus inter alia paradoxa ſequentia erant: 1. *Doctrinam Abbatis Ioachimi excellere doctrinam Chriſti, & conſequenter V. & N. Teſt.* 2. *Evangelium Chriſti, & non Evangelium* Regni *ac proinde non ædificatorium.* 3. *Novum Teſtamentum.* 4. *Evangelium Chriſti neminem perducere ad perfectum.* 5. *Adveniente Evangelio* Spiritus *Sancti, ſive clareſcente opere Ioachimi* (*quod ab eo dicebatur Evangelium* ater-

æternum, ſive Spiritus Sancti) evacuatum iri Evangelium Chriſti, &c. Bzov.an.Ch.1258. S.8. Præter hæc, nonnulla alia à Rhapsodis iſtis novo Evangelio fuiſſe inſerta, quæ ἀκαιίϛου erant κόμματος, quæque Papæ tum doctrinam, tum mores vellicabant, dignitatemque ejus & faſtum arietabant (quo etiam, dubio procul, nomine, Pontifices ad hoc tectè abolendũ commentum fuerunt procliviores) facilè concedimus. Cætera, infeliciſſimi otioſarum ſpeculationum erant abortus, quas meritò tot Monachorum, qui ſuis ſe ſuaviludiis ſupra communem hominum, ipſius quin etiam Chriſti, ſortem efferre ſtudebant, clauſtris, ferimus acceptas. Unde & ſequentes ejus κακαγγελίου flosculi: *Chriſtus & Apoſtoli ejus non fuerunt perfecti in vita contemplativa. Activa vita uſque ad tempus* Abbatis *Ioachimi fructuoſa fuit, ſed nunc fructuoſa non eſt. Contemplativa verò vita ab ipſo Ioachimo fructificare cæpit, &c.* ὦ θηρία κακὰ, ϗ γαστέρες ἀργαί. Vide *ſup.* p.377.

B. A *Cyrillo*, de cujus nova Apocalypſi ſic loquitur *Balæus*, Cent.III.p.279. *An.Dom.* 1234. *Cyrillus* Gr*æcus, tertius Carmelitarum præſes generalis, obiiſſe fertur.* H*unc dicunt, tã Moſis, quàm Iohannis Evangeliſtæ exemplo, novam Apocalypſin è cælis accepiſſe, Dei ipſius*

 digi-

digito in argenteis tabulis Græcè ſcriptã, ſuper futuro Eccleſiæ ſtatu. Et per hanc nitebantur impoſtores quidam priorem illam Iohannis auferre, vel potius delere & in nihilum redigere, in ea ſæculi cæcitate. Quoniam erant tunc In Italia, Germania, Francia, & Anglia multi, qui Romanam credebant Babylonem eſſe, ac meretricem illam magnam, & Papam eſſe Antichriſtum, ex priore Apocalypſi.

Indirectè Scripturam ſacram, ejusq; Majeſtatem labefactârunt. 1. Ea Pontificum decreta, quæ Lectionem Bibliorum in lingua Vernacula laicis prohibebant. *Innocentii III.* ſententia contra Metenſes deſiderio ſcripturarum tractos, ſub finem præcedentis Seculi, an. Ch. 1199. lata, hoc, ſine dubio, ſeculo, adhuc valuit. Vide *Bzov.* an. citato. Iisdem ſanè armis pugnatum tum eſt contra VValdenſium doctores, quibus noſtros, Reformationis tempore, Majores adorti ſunt Papæ ſatellites & Hyperaſpiſtæ.

2. Factum hoc eſt Scriptis & ſyſtematibus Scholaſtica Methodo elaboratis, quæ ut ut ſuam etiam habeant laudem, nunquam tamen cum Scripturæ Sacræ, quæ ſola norma eſt fidei noſtræ & vitæ; diſpendio aut contemptu introduci debuiſſent. Talis eſt Theologia *Thomæ*, quæ etſi capitibus multis religionis Chriſtianæ manca ſit & mutila, recepta tamen non modò fuit in Scho-

icholis oraculi inſtar, ut alibi diximus; ſed mi-
raculo etiam confirmata. Cùm enim Doctor
ille in ſacello S. Nicolai duobus cubitis à terra
in Oriente elevatus fuiſſet, crucifixi forma, vo-
calis facta, dixiſſe fertur: *Bene de me ſcripſiſti Thoma: quam ergo recipies pro tanto labore mercedem?* Bzov. an. Chr. 1270. §. 15. & 1284. §. 19. Confer *anal. noſtra* pag. 320. *Voet. Diſp.* Sect. t. 1. p. 19.

3. Prava tandem conſuetudo, quæ ſuperioribus jam ſeculis irrepſit, ſua in dies ſumſit incrementa. Miraculorum & viſionum prætextu, ſacra ſcripturæ de ponte penitus fuit præcipitata. Ne, quæſo eandem hic iterum, ut eo melius τὴν ἐνέργειαν τῆς πλάνης habeas perſpectam, mecum reciprocâſſe ſerram pœniteat. Graviſſima erant verba Apoſtoli ad Gal. 1. v. 8. ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς, ἢ Ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ἡμῖν, παρ᾽ ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔςω. Accedebant apertæ fraudes, & agyrtarum manifeſtæ impoſturæ. Unde & *Innocentii III.* ingenua confeſſio, *quod frequenter Angelus* Satanæ, *ſe in lucis Angelum transfiguret, & quidam faciant opera ſua bona, ut videantur ab hominibus; quidam etiam coruſcent (NB) miraculis, quorum tamen vita merito reprobatur; ſicut de Magis legitur Pharaonis, & etiam Antichriſtus, qui electos (NB) etiam, ſi fieri poteſt,*

inducet miraculis ſuis in errorem, &c. Bzov. a. Ch. 1199. S. 8. Apparitionibus etiam crebris Satan iis illudebat, quos extra hunc teli jactũ conſtituiſſe debebat decantata ſanctitas. *Gertrudis certe* (utor *Bzovii* verbis an. Ch. 1201. S. 10.) *fæmina ſancta & religioſa, & propter revelationes DEI, quibus illuſtrabatur, notiſſima. multo tempore, quia minus circumſpecta fuit, pro Angelo lucis Angelum tenebrarum ſuſcepit. Solebat enim Diabolus Phantaſtica circumfuſus claritate, per quandam cellulæ feneſtram, ad illam intrare, futura prædicere & de interrogatis inſtruere. Ad eam ſi aliquis veniſſet, volens cognoſcere ſtatum alicuius amici ſui defuncti, ſive alicuius alterius rei certitudinem, illa inducias usque in craſtinum diem petebat, Angelũ ſuum conſulebat, à quo ſæpius decepta falſa pro veris reſpondebat.* Hæc nihilominus tamen ætas, toties, & monita, & icta, ſapere non potuit. Lepidis viſionum & miraculorum narrationibus ita aures ejus demulcebantur, ut Scripturæ potiùs quàm novis illis commentis repudium miſerit, Vin' exempla? Ab ipſa ſtatim ſepultura Eccleſiaſtica exordiamur. Ut conſtaret omnibus, quàm penetrans eſſet Exterminii fulmen in innocentes etiam conjectum & quantum intereſſet terræ mandari conſecratæ, fingunt

gunt nobis *Lincolnienſem*, Eccleſiaſtica ſepultura, Pontificis decreto, ſpoliatum, nocte, ipſi *Innocentio*, apparentem, redimitum, Pontificalibus, vultu ſevero, intuituque auſtero ac voce flebili, ipſũ Papam in lecto aſtatum, ictuque impetuoſo, cuſpide baculi, quem bajulabat, paſtorali, pungentem, additis verbis: *Senebalde Papa miſerrime, propoſuiſti ne oſſa mea in mei & Eccleſiæ Lincolnienſis opprobrium extra Eccleſiam projicere? Vnde hæc tibi temeritas? Dignius foret ut tu, à Deo ſublimatus & honoratus Dei Zelatores, licet defunctos, coleres. Nullam poteſtatem in me habere te Dominus à modo patietur. Scripſi tibi in ſpiritu humilitatis, & dilectionis, (NB) ut errores tuos crebros corrigeres. Sed tu monita ſalubria ſuperbo oculo & faſcinanti corde contempſiſti. Væ qui ſpernis, nonne contemneris?* Matth. Par. p. 855.

Purgatorii etiam alium nobis viſiones hoc ſeculo dederunt locum, Auctore S. *Juliano*, qui ruſtici cujusdam Angli, *Thurcilli*, S. Jacobum *devotè adorantis* animam (corpus enim, *vitali flatu* præditum *in lecto reliquerat*) Matth. Par. p. 207. in baſilicam deduxit, *in cujus parte Orientali erat Ignis quidã purgatorius permaximus inter duos muros conſtitutus: murus enim unus à patre ſeptentrionali conſurgebat &*

& alter ab Auſtrali, ab invicem amplo ſpatio in latitudine diſtantes: qui in longitudinem diutius protendebantur verſus orientem usq; ad ſtagnum quoddam multa capacitate ampliſſimum, in qua immergebantur animæ per ignem purgatorium tranſeuntes. Eratq; aqua ſtagni illius incomparabiliter ſalſa & frigida, ſicut educto illi poſtmodum eſt oſtenſum. Reſtabat deinde pons magnus aculeis & ſudibus per totum affixus, quem pertranſire quemlibet oportebat, antequam ad mentem gaudii perveniret. In quo monte gradatim ſita eſt tam grandis Eccleſia & ſtructura mirabilis, quæ capere ſufficeret (ut ſibi videbatur) omnes habitatores orbis. Conduxit ergo beatus virũ eductum per ignem præfatum omnino illæſum, usq; ad ſtagnum jam dictum, incedentesque pariter per viam, quæ medias inter flammas, à Baſilica protendebatur. Hæc *enim aliqua lignorum materia igni memorato fomitem miniſtravit, ſed flamma quædam aſſurgens, ſicut in clibano vehementer ſuccenſo cernitur, per totum illud ſpatium æqualiter diffundebatur, quæ animas nigras & maculoſas, ſecundùm modum culparum brevius aut diuturnius exurebat.* A*nimæ verò, quæ ignem evaſe-*

vaſerant, in ſtagna illo frigidiſſimo ac ſalſiſſimo, ad nutum D. Nicolai, qui (NB) huic purgatorio praerat, deſcendebant: quarum quadã usque ad verticem, quadã usq; ad collum, quædam ad pectus usq; & brachia, aliæ ad umbilicum & renes, quædam ad genua & nonnullæ vix usque cavillam pedum immerſæ fuerunt. Poſt ſtagnum reſtat tranſitus pontis, qui eſt ad atrium ante faciem Eccleſiæ prædictæ, in occidentali parte. Pontem autem hunc quædam animæ laborioſè nimis & tardè, quædam levius atq; velocius, nonnullæ verò liberè & ocyus pertranſibant, nullam moram in tranſitu vel anguſtiam ſentientes. Nam quidam ignem tardius tranſeuntes, annis multis in eo morabantur. Et qui (NB) nullis ſpecialium miſſarum ac Eleemoſynarum ſuffragiis adiuvantur, vel nullis miſericordiæ operibus erga pauperes ſtuduerunt peccata redimere dum vivebant, hi nimirum cum ad Pontem præfatum pervenerint tranſire cupientes ad requiem deſtinatum, nudis pedibus per ſudes & clavos praacutos & ponti affixos, nimis anguſtioſè incedunt, & cum vehementem doloris cruciatum in plantis pedum diutius ſufferre nequeunt, manus ſuas ſuper clavos quaſi adnitentes

tes deficiendo imponunt. Quibus illico perforatis ex vi doloris & anguſtiæ, ventre ac toto corpore ſimul ſuper clavos volutantes paulatim ad Pontis inferiora repunt, horribiliter cruentati, & ex omni parte transfixi. Sed cum ad atrium Eccleſiæ jam dictæ pervenerint, felicem introitum ibidem præſtolantes, omnium vehementiam cruciatuum minime recordantur. Habes τοπογραφίαν ἀτόπȣ πυρὸς καθαρτηρίȣ. Dubitas, his aliquos carceribus detentos fuiſſe? En Richardum Anglorum Regem, Stephanum Cartuarienſem Archi-epiſcopum, & capellanum unum, qui ſuffragiis cleri purgatorium an. Ch. 1232. exiviſſe dicuntur. *Bal.* Cent. p. 281. quòd Dominicani audientes aſſiduè per illos dies è ſuggeſtu Evangelii loco declamabant, ut horribilis ejus flammæ terror ipſorū promoveret quæſtum; *Id.* p. 295. Et ne nutantibus ullus remaneret ſcrupulus, viſionibus etiam probandum erat, quid ſuffragia poſſint pro defunctis, quodque uno anno vel mille annorum pœnas redimere facile ſit. Exemplum ex *Cæſario* habet *Bzov.* an. Ch. 1198. S. 17. Sic, cùm *Bertrandus*, Monachus frequenti⁹ pro vivis rarius pro mortuis ſacrificium offerret, nec à ſuo propoſito dimoveri potuiſſet, hac niſus ratione; *Mortuorum animæ, ſi perpetuis cruciantur pœnis, nullam à nobis qui ſuperſtites ſumus ex-*

pectant

pectant opem ; ſin temporalibus, quia divina gratia non carent, inde eruentur. Verùm, ut in ordinem pertinax hic *Bertrandus* redigeretur, nocte, quæ ſecuta, horribili ſpectaculum quieſcentiei contigit. *Vidit enim, plus decies, mortuum quendam ſepulchrũ ligneum ſecum trahentem, ſibiq; obſtrepentem, ac impetum minaci vultu in ſe facientem, & ſepulchrum; quod dixi; quatientem.* Neq; verò homines tantùm teſtes eſſe decebant magnorum & exquiſitorum ignis purgatorii cruciatuum: brutis etiam, multis, ſenſuque omni deſtitutis veſtigia per viſiones, imprimi debebant. Exempla habet *Bzov.* aliquot an.Ch.1219. S. 16. & deinc. Unum tantùm recitabimus. *Dominicanus cum Minorita pactum inierat, ut quis prius moreretur, alteri poſt mortem appareret. Mortuus Minorita poſt dies aliquot apparuit ſtipulatori menſas ſternenti, ſeq; ignem expiatorium circumgeſtare affirmavit. Dubitabat ille cum Minorita ad cruciatus ſui indicium, manũ menſæ ligneæ craſſæ admodum impreſſit, eamq; ſatis altè cõbuſſit. Superſunt adhuc in menſa veſtigia manus inuſtæ, & ad perpetuam rei memoriam clatro ferreo obtectæ.* Vide etiam *Matth. Par.* pag.332. & *Thoſſinian.* Hiſt. Franc. l. 1. & ex eo *Bzov.* an. Chr. 1230. S. 20. de Helena Paduana. Pro-

Propter viſionem, Julianæ Virgini oſtenſam, Urbanum IV. *feſtivitatem S.S. Corporis* in dioeceſi Leodienſi primò publicam eſſe juſſiſſe, *teſtatur* Bzov. an. Chr. 1230. S.16. Vidit nempe virgo hæc (ſit tamen fides penes authorem, vel fabulatorem veriùs, *Iohannem Dieſtemium Blarum*, Priorem S. Jacobi Leodienſis: nobis præter verba ab illis mutuare nihil curæ eſt) *ſemper ſuo aſpectui inter orandum ingeri mirabile ſignum, ſcilicet lunam quaſi in ſuo ſplendore, cum aliquanta tamen ſui orbicularis corporis fractione. Et videns mirabatur & timebat, neſciens quid hoc ſignificaret. Tum didicit divino reſponſo ſignificari in luna præſentem Eccleſiam & in fractione defectum unius ſolennitatis, quàm Deus in Eccleſia ad augmentum ſacræ fidei voluit.* Hoc aliis communicare juſſa, tergiverſata diu fuit, tandem verò Eccleſiæ quibusdam Antiſtitibus viſionem narravit, *qui omnes auditis, intellectis & diligenter examinatis præfatis revelationibus, uno ſpiritu pronunciarunt, efficacem rationem in lege divina inveniri non poſſe, quare feſtivitas præfata fieri non deberet.* Et ut ne novæ ſolennitati officium deeſſet, clerico cuidam in mandatis dedit, ut ſuam hic locaret operam; illa interim limam correctionis adhibente, tanto cum ſtupore, ut ſummi illius ætatis

tatis Theologi fateri fuerint coacti, *opus hoc non ab homine, ſed à patre luminum deſcendiſſe.* Ita ſibi blandiebantur ſcenæ hujus actores. Alii tamen, ad eorundem errorum præcipitia abripiendi, maſculè reſtiterunt. *Et factum eſt*, ſcribit author, *verbum hoc in ruinam & poſitum eſt in ſignum cui contradiceretur. Multi ſiquidem Eccleſiaſtici viri vehementer ex adverſo inſurrexerunt, & valido conamine eam impedire conati ſunt, dicentes: Quorſum perditio hæc?* Sed *Hugonis*, Cardinalis authoritate multis ſilentium fuit imperatum, & obſequium: coactum tamen. Leodium enim cùm veniſſet, multiplicem novæ ſolennitatis fructum, pro cōcione expliciturus, *tum majoris Eccleſiæ Canonici ad Cardinalis exhortationem atq; præceptum, quamdiu ipſe Cardinalis in his partibus agebat, præfatam ſolennitatem in ſua Eccleſia celebraverunt. Verum, id non ex devotione aut obedientia, ſed vel ex ſimulatione aut timore, ut exitus probavit, fecerunt. Siquidem Cardinalis ſeſe in urbem recepiſſet, præfati Canonici ipſam ſolennitatem fieri prohibuerunt.* Et quia periculum fuit, ne in ipſo hic ſtatim partu ſuffocaretur abortus (factum enim erat, *ut poſt obitum Iulianæ, nulla Eccleſia, præter Canoniam B. Martini præfatam*

ſolennitatem celebrare curaverit) novi miraculi acceſſione opus erat. *Sacerdos igitur quidam Bolſenam veniens (quod eſt oppidum non longè diſtans ab urbe veteri, in qua Papa Urbanus IV. tunc cum curia reſidebat) dum celebraret* Miſſam, *inter verba conſecrationis dubius in fide, vidit carneis oculis hoſtiam in forma pietatis, & de ea ſanguinem fluere in calicem.* Hoc ergò miraculo Pontifici ſacerdos pleniorem anſam dedit feſtum corporis Chriſti quotannis celebrandi, idque in toto terrarum orbe, feriâ quintâ poſt octavas Pentecoſtes; officium verò Pontificis juſſu de feſto hoc compoſuit Thomas de Aquino. Præmii loco à Papa columnam argenteã obtinuit. Hæc breviter ex *Blaro* Alii aliter. Vide *Hoſp.* de feſt. Chriſt. p. 74, *Geneb.* Urb. IV. *Bal.* 290. & 324. ubi de variis circa feſti huius originem ſententiis agit. Repetit occaſionem inſtituti Feſti, & Urbani conſtitutionem *Bzov.* an. Chr. 1264. S. 3. Vitodur. in Urbano IV. & Clem. IV. qui etiam, ut ille ajt, *ſub precepto diſtrictè feſtum corporis Chriſti fecit per Eccleſiam ſolenniter celebrari.*

Imagines etiã *crucifixi, ſanctorum, &c.* ſecundum quietem devotionem, & cultum ſui excitare debebant. *Comiti Cantiæ, Huberto, quadam nocte,* dum ſopitus alto ſomno in ſtratu quieſceret, *apparuit Dominus in cruce pendens cru-*

cifi-

cifixus, ſicut manibus artificum ſolet inſculptus effigiari, & ait, cum interim videris meam effigiem, parce mihi in illa, & defer ac venerare. In craſtino igitur, dum iter ageret, obvium habuit unum Presbyterum attonitum, & cruentem indutum alba, ſtolam habentem, & manipulum & crucem magnam cum crucifixo in humero bajulantem, & dixit Presbyter voce clamans lachrymabili: Domine, libera Eccleſiam meam cui deſervio à ruptariis, qui patriam iſtam depopulantes, eam bonis omnibus ſpoliaverunt. Et reſpiciens Hubertus, vidit imaginem illam in cruce pendentē per omnia conſimilem illi quam vidit nocte præterita, & deſcendens de equo, adoravit eam. Monachi cumprimis in armis contra ſemet acriter pugnabant. Prædicatorum familiam B. Virgo *ſuam* appellat, ſi vera ſunt quæ de Tancredo ſomniante refert *Bzov.* an. Chr. 1233. S. 18. Alibi fatetur, hunc ſe ordinem à filio ad ſuſtinendum Reip. Chriſtianæ ſtatum impetrâſſe, an. Ch. 1207. Ne vero hac parte inferior haberetur Franciſcus, aut familia ejus jacturam pateretur, ipſe animam agentibus, habitum ſuū offert, quod Brenno, Hieroſolymitanorum Regi factum fuiſſe, ſcribit *idem* an. Ch. 1238. S. 4. Viſione etiam, multos ex Franciſci aſſeclis cœlieſ-

li eſſe incolas probandum erat; vide an. Ch. 1230. S. 13. Sed ad *miracula*, quæ Pontificii hoc maximè Seculo crepant, accedendum. Hos equidem ſcopulos lubenter præterveherer, niſi ſubinde iidem in alto hoc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pelago recurrerent. Repete interim, quæ ſuper Seculo dicta ſunt & confer quæ Chriſt. *Bind.* habet de Theol. Schol. p. 213. & dein. Miraculis, contar *Scripturæ authoritatem*, defendunt *cultum imaginũ.* Effigies vultus Domini, quæ Veronica dicitur, ab Innocentio de Eccleſia S. Petri verſus hoſpitale S. Sp. bajulata, ſe per ſe gyrabat, ut verſo ſtaret ordine, ita ſcil. ut frons inferius, barba ſuperius locaretur; *Par.* p. 279. Plura de hac Veronica, ſeu ſudario Veronicæ, quomodo Romã pervenerit, quæ miracula patrârit, quis diverſorum erga hoc ſudarium Pontificum cultus fuerit, &c. recenſet *Bzov.* in annal. a. Ch. 1216 S. 16 & deinc. De imagine Mariæ miraculosè oleum ſalutare deſtillante, in Sardenai propè Damaſcum collocata & culta, loquitur *Matth. Par.* p. 202. & deinc. Ex unico de cæteris feres judicium. *Accedit,* ſcribit author, *in carcere militum Chriſtianorum in caſtro Damaſceno, quod miles quidam extraheret de armario ſuo fiolam unam, in qua poſuerat de oleo illo, quod de iconia Dei Genitricis apud Sardenai diſtillat. Sed cum diligenter fiolam illam inſpexit, in qua oleum repoſuerat lucidiſſimum & velut aquæ fontis per-*

perſpicuum, apparuit in ea oleum incarnatum, ſed in duas partes diviſum. H*arebat namq; ima pars olei in inferiori parte fiolæ, & altera ſuperiori. Miles autem accipiens cultellum ſuum, voluit conjungere partem ſuperiorem cum inferiori, ſed continuo ut acies cultelli oleum illud incarnatum tetigit, videntibus capellanis, militibusq; captivis & cæteris univerſis guttæ ſanguinis inde cunctis admirantibus effluxerunt.* Subiicit deinde imaginis hujus, Hieroſolymis, in officina emtæ, ortum & cultũ. Sed quæras, unde ſalutare hoc oleum deſtillârit? *Imago admirantibus cunctis cæpit paulatim mamillas carnis emittere, & mirabiliter carne veſtiri. Vnde hucusq; à mamillis deorſum carne videretur induta, à quo liquor ille inceſſanter diſtillat.* De cruce Chriſti in Angliam à ſacellano quodam inope Conſtantinopoli delata, & pro aſylo Monaſterii vendita, refert idem p. 307. *quòd in Bromholm cænobio, cæperint divina miracula celebrari ad laudem, & gloriam vivificæ illius crucis* (de qua ſacellanus affirmaverat *cum juramento, quod indubitanter fuerit ex ligno illo in quo Salvator Mundi pependit*) *ubi mortuis vita, cæcis viſus, claudis greſſus reſtituitur, leproſis caro munda donatur, obſeſſi à dæmonibus liberantur, & quicunq; infir-*

mus cum fide ad lignum prædictum acceſſerit, incolumis & ſanus recedit. Frequenter autem adoratur, & colitur crux *præfata non modò à gente Anglica, verùm etiam ab hominibus de regionibus longè poſitis, &c.* Addit *Bzov.* an. Ch. 1203. S. 18. *fidem hinc Catholicam in Oriente multum fuiſſe ſolidatam.* Alia imago B. V. lapide petita, ſanguinem non modò emiſit; ſed & ipſa *veſtimenta ſua ſcidit, ſcil. ornatum lapideum, & monile ex eodem lapide diſrupit, & pectus uſq; ad mamillas denudavit*; Bzov. an. Ch. 1202. S. 19. Simile eſt, quod habet *id.* an. Ch. 1205. S. 9. Huc pertinet apparitio crucum prodigioſa in parietibus templi Toloſani, *Id.* an. Ch. 1210 S. 8. Imago Mariæ *Neapolitana*, quæ à miſericordia nomē habens ab aleatore fuit vulnerata, ita ut vulnus ſanguineum in facie habeat; *Id.* an. Ch. 1269. S. 4. Imago apud *Lucenſes* miraculoſa, cui à Roſa nomen inditum, *Ib. propterea quòd inſolito tempore roſa, B. V. aſpectu fuerit producta. Claudi,* inquit *idem,* an. Ch. 1292. S. 9. *erigebantur, contracti ſanabantur, dæmonia ab energumenis exibant, & multæ præterea infirmitates, multæ calamitates à mortalibus, ope B. V. Florentinæ, apud iconam ejus depellebantur. Initio aliquantum contradixere F. Prædicatores & Minores, &c. Cum in propoſito*

poſito quidem ſuo, de vita adeunda Monaſtica, nutaret, & ante crucifixi imaginem oraret, quaſi veniam petens ab eo diſcedendi ad matrem ſublevandam, vidit è Chriſti latere perfoſſo manantem cruorem, ſimulq; hanc vocem audivit: Ego te carius nutrivi quàm mater tua, quare non me deſerere debes propter matrem tuam; Id. an. Ch. 1230. S. 6.

Pro *patrocinio* & *invocatione ſanctorum* mira reperias θαυματεργίας certamina. Videamus quædam, quibus interceſſio, & cultus B. Virginis magis magisque commendabatur. Quidam locum B. V. ſacrum viſitaturus in hoſtes incidit, *qui oculos ei radicitus evulſerunt & manus præciderunt. Mater verò, ut ægrè filium dimiſit, ſic B. V. tutelæ eundem commiſit, cuius mox auxilio & oculi redditi & manus reſtituta,* Bzov. an. Ch. 1210. S. 9. clericus Miſſam in honorem B. V. dicturus ab Albigenſibus lingua privatur, mox tamen ei B. V. *ad altare apparens & carnem in linguæ formam figuratam in manu tenens reſpondit oranti: Quia propter fidem filii mei & honorem mihi exhibitum lingua tua privatus es, aperi os tuum. Quod cum feciſſet, digitis ori ejus immiſſis radici linguæ præciſæ eandem carnem coniunxit,*

& univit atq; diſparuit; *Id.* an.Ch.1211.Sec.11. *Adelbertus*, de quo idem fusè ex Trithemio S.12. ob negligenter penſas decimas purgatorii pænis addictus (quibus, cùm vix unius horæ ſpatio torqueretur, plus tamen quam 400. annos cruciari ſibi videbatur; adeo rigidi & exquiſiti loci illius, quem fusè deſcribit, ſunt dolores) *de ſalute etiã ipſa periclitaretur, proferenda enim mox erat contra eum æternæ damnationis ſententia, niſi beatiſſima D. genitrix &* S. *Maximinus una cum Sanctis Angelis miſericordiam judicis interpellaſſet.* Quid, quòd ipſis ſe B.V. torneamentis imiſcens, victrix evaſit, ut *VValtheri de Birbach*, Miſſam interim de S.Maria ſibi cantari facientis, & famam defenderet, & nomine ejus laureã deportaret; *Id.Sec.*13. operâ S. Mariæ *de Heiterſpach* vinculis ſe & compedibus liberatum gloriabatur *Theodoricus* miles, *Id.* a.Ch.1219. S.20. *Ægidius* Rodericus Vallandarius, necromantiæ addictus & Diabolo *οἰκείᾳ χειρὶ* mancipatus, hiſce laqueis expedire non poterat, *niſi B.V. quam peculiari veneratus erat affectu, & in quam magnam collocaverat fiduciam, meritis*; *Id.* a. Ch. 1230. S.9. Huc pertinet gemina illa ſcala, de qua *Bzov.* ibidem, S.12. *In Franciſcanis annalibus*, inquit, *legitur, Leoni, uni ex Franciſci familiaribus viſionem hujusmodi aliquando fuiſſe objectam: Erat magna planities, & in ea ſpe-*

cies

cies quædam iudicii mox futuri. Magna aderat hominum multitudo: Angelorum tubæ perſonabant, deniq; binæ ſcalæ è ſummo cælo uſq; ad terram demiſſæ, altera candido colore, altera purpureo. Huic autem purpureæ imminens viſebantur ex alto Chriſtus, vultus habitu ſevero atq; ſubirato. At Franciſcus paulo infra ipſum fratres ſuos evocabat, ut fidenter aſcenderent. Nam Dominum ita velle, eosq; invitare. Cum autem illi per ſcalas audenter efferrent, alius de tertio, alius de quarto, vel decimo, alii de ſuperioribus ac penè iam ultimis gradibus procidebant. Qua ſuorum clade magnopere commotus D. Franciſcus eos voce magna admonuit, ut ad ſcalam alteram candidã accurrerent, illic nihil fore periculi. Itaq; cum ad eam acceſſiſſent, Mariam ei incumbentem videbant, quæ eos blandiſſimè intuens, ſtudioſè etiam iuvaret, exciperetq; ſingulos, ita ut nullo negotio ad unum plurimi in cælum evaſerint. Albertus Magnus, magno præcipuè cultu & veneratione caſtiſſimam Dei genitricem colens, monetur ut Prædicatorum ſe Collegio addicat. *Id.*

Quemadmodum verò *varia* cultus Mariani *ſpecies* ſuperſtitione hominum creverunt; ita nec ipſis ſua deeſſe iidem volebant miraculo. De Ro-

ſario fusè à nobis actum eſt in ὁδηγῷ P.II.p.221 & deinc. quibus addi poſſunt alia. Refer *Bzov.* an.Ch.1219. S.12. libidinoſum quendam *per roſarium virtute Dominici Pariſiis concionantis fuiſſe ſanatum:* S.13. narrat, *Petrum, virum Principem Cæſar auguſtanum miraculosè converſum, quotidiana roſarii demurmuratione dignum fuiſſe æſtimatum, quem* DEI *Mater indulgentiſſime habitum, mortis hora præmoneret.* Alia id genus miracula ad probandum Roſarii inſtitutum recitat *Id.* a.Ch.1213. S.10. orationem *Salve Regina* tempeſtates diſpellere, & procellas ipſius B. Virginis authoritate ſtabilire nititur ſacerdos ille apud eundem S.21. Huc pertinet miraculoſa illa totiesque repetita translatio Ædis Lauretanæ, de qua *Bzov.* an. Chr.1250. S.2.1201.S.9.1294.S.43.1295.S.15.1296.S.14. Compendium habes in ὁδηγ. P.II.p.305.

Sed & *aliorum ſanctorum* crebra ad ſuperſtitionem excitandam, jactant miracula. In Anglia celebris hoc nomine erat *Edmundus*, de quo *Matth.Par.* p,527. *quod ipſo ſtatim exequiarum die, tribus inclaruerit miraculis, quod meritis eius* author tribuit. Et p.536. *Circa illa tempora ſolenne nomen & præclara memoria beati Ædmundi, Cantuarienſis Archiepiſcopi, & ſanctitatis eius miracula partes cisalpinas glorioſis*

rioſis præconiis feliciter repleverunt, ita ut inauditis miraculis, quæ Deus pro ſuo operari dignatus eſt, Apoſtolorum tempora viderentur renovari. Eadem penè repetit p. 607. Ceſsâſſe tamen paulatim miracula, poſtquam Monachi non modò brachium ſancti illius *dextrum auſu temerario* abſcidiſſent, ſed & corpus ipſum balſamo condire cœpiſſent, ſcribit *idem* p. 752. Sic de *Richardo* narrat, *quod operatus ſit miracula manifeſta ad tumbam eius*, p. 840. Eodē nomine innotuit *Robertus*, Lincolnienſis, *Id.* p. 875. 877. Mortuos excitatos, cæcis viſum reſtitutum ad Mauſoleum *Albani*, commemorat. pag. 916. Ejusdem meritis inundationes aquarum in Anglia fuiſſe coërcitas habet p. 924. *Sebaldus* Archiepiſcopus Eboracenſis aquam convertit in vinum; *Id* p. 939. De aliis Thaumaturgis loquitur p. 626. Huc pertinet exemplum illud, cujus meminit *Vitoduranus* p. 29. b. *Paulo ante an. Ch.* 1300. *quidam nauta tempore hyemali navem mercimoniis valde onuſtam de Conſtantia Lindaviam ducens, cum attigiſſet caſtrum dictum* Waſſerburg / *& dies declinata eſſet ad veſperum, propter algorem inſolitum, & intemperiem aeris intolerabilem ibidem applicuit, & dum neminem haberet, cui rerum navis cuſtodiam vigilem committeret, & ipſe in propria perſo-*

perſona frigus horribile permanendo in navi, ſuſtinere non valeret, navem cum rebus B. Georgio, patrono in Eccleſia parochiali ſita, intra muros caſtri prædicti, fideliter commendavit. Cùm autem nauta à navi diſceſſiſſet, & ad domum unam ad calefaciendum, & ad recreandum illic ſitam ſe contuliſſet, quidam ruſticus videns nautæ abſentiam, & rerum navis copiam, navem intravit, & ſaccum unum, frumento refertum, ut eum tolleret, & domũ portaret, ſuper ſuos humeros poſuit, & cum unum pedem extra navim locâſſet, altero adhuc intus remanente, immobilis fit contra omnem voluntatem ſuam, uſque ad diluculum permanſit, quem nauta ſic inveniens irato animo arguit, & furtum ſibi objiciendo, ad judicium trahere conabatur, ut illic apud iudicem accuſatus, pœnas furti, & tentati exſolveret, propter quod fur terrore concuſſus nautæ voce lachrymabili ſupplicavit, ut ſibi ignoſceret, &c. Ipſe verò cæptum iter complens navigando ſalvis rebus ſuis Lindaviam pervenit, quia cuſtos ſuus B. Georgius, *mirificus, ſicut ab ea popoſcerat, ipſas integras conſervavit.* Inſignem victoriam Cremonenſes de Mediolanenſibus præſenti Martyrum *Petri* & *Marcellini* ſubſidio deportâſſe refert *Bzov.* an. Chr. 1212. §. 22. Victori-

ctoriam, quam cruce ſignati contra Toloſanos & Petrum Arragoniæ Regem obtinuerunt B. V. acceptam ferunt; *Id.* an. Ch. 1213.

Ut *confeſſionis auricularis neceſſitatem* plebs Eccleſiaſtica videret, miraculis erudienda erat. Videamus exemplum ex *Vitodurano* noſtro p. m. 28. b. *Mulier quædam in VVallſtat devota fratribus Minoribus defuncta, ſed nondum ſepulta, revixit, & erigens ſe ſuper feretro, in quo adhuc iacuit, veſtimentis funeralibus inſut ſea, pulturæ iam tradenda, coram multis hominibus præſentibus in ſtuporem verſis ingentem, narravit ſe ferè fuiſſe damnatam, propter quoddam delictum ſuum in confeſſione non detectum, quia ipſum confiteri erubuit, ſed per interventionem S. Franciſci, cuius fratribus benefica fuerat, liberatam, reſuſcitatamque, & vitæ reſtitutam, quo uſque peccatum abſconditum in confeſſione ceremoniario fratri minori faciendum, tunc non longè à loco illo conſtituto edixerit.* Aliud exemplum habet *Matth. Par.* p. 209. Principis cujusdam Angli, qui quod absque confeſſione & Dominici corporis perceptione obiiſſet, in equinam formam fuit transformatus.

Quæris quid *aqua luſtralis* poſſit? En miraculum ex eod. *Matth*. p. ead. Fatetur *Dæmon, ob-*

vium

vium ſibi factum Diaconũ cum aſperſorio aquæ benedicta, qui aqua illius aſperſione ita præcipitanter eum effugârit, ut clamorem emittens, ſaltum fecerit ab Eccleſia uſque ad pratum, quod fere per duo ſtadia ab eadem Eccleſia eſt ſeparatum.

Miſſa, totique apparatui ejus theatrico inſervire debuerunt miracula. Virginem monialem ſanctitate ſua meruiſſe, ut Miſſarum ſolennia à cœleſtibus ſpiritibus celebrata audierit, habet *Bzov.* a. Ch. 1257. S. 15. Ut transmutationem ſuam ſeu Transſubſtantiationem obtineant, tradunt; hoſtiam *vel* in ſpeciem ſpecioſiſſimi infantis converſam fuiſſe, *Id.* an. Ch. 1260. S. 10. *vel* ſanguineo colore divinitus tinctam, a. Ch. 1284. S. 8. *vel* etiam Corporalia, ut vocant, ſanguine delibuta, a. Ch. 1240. *vel* denique vini ſpeciem in verum, vivum purumq; cruorem mutatum; an. Ch. 1230. S. 3. S. 5. 6. Miracula etiam Deo ſuo panaceo multa adſcripſerunt. *Eadem tempeſtate*, ait an. Chr. 1214. S. 6. *cum Albigenſium hæreſes ubiq; graſſarentur (NB.) virtute S. S. Euchariſtiæ ſuffuſæ ſunt aliquantum. Quidam ex illis maligni, virtute Diabolica ſuffulti, nonnulla ſigna & portenta oſtendebant, atque illis & hæreſin ſuam corroborabant, & multos fidelium à fide ſubvertebant. Inter hæc, ſuper aquas ambulabant, neque ſubmergi metuebant. Cernens*

hoc

hoc aliquis ſacerdos fide Catholicus & vita religioſus, ſciensque vera ſigna cum falſa doctrina convenire non poſſe, corpus Dominicum ad flumen, in quo illi populis oſtenſuri erant virtutes, detulit, omnibusq; audientibus dixit: Adjuro te Satanas per eum, quem in manibus fero, ne in hoc flumine ad huius populi ſubverſionem per iſtos homines tantas exerceas phantaſias. Dixit: illi tamen ſicco veſtigio decurrerunt: cum ſacerdos Zelo divini honoris motus, pene projiceret in undas ſacrum quod geſtabat Dominicum corpus. Mira Chriſti potentia. *Mox enim, ut ſacramentum tetigit elementum, phantaſia ceſſit veritati, & Pſeudoſancti illi, quaſi plumbum deſcendentes in profundum ſunt ſubmerſi, pyxis vero cum Eucharistico pane ab Angelo elata eſt, & in altare delata.* Huc pertinet eluvies illa, Friſiæ illata, propter percuſſam à pugile pyxidem. Id enim ipſum B.V. revelâſſe dicitur hunc in modum: *Propter injuriam filii mei in ſacramentum ejus factam ſubmerſa eſt Phriſia, & adhuc amplius plagabitur. Moxq; adjecit Mater miſericordiæ; Leva oculos tuos contra mare, quod cùm illa feciſſet, contemplata eſt pyxidem à pugile percuſſam in ſummitate fluctuum natantem,*

quæ

quacum in tantum approximâſſet ut poſſet agnoſci, ait; Ecce corpus filii mei, in loco enim ubi diſperſum eſt, ædificanda eſt Eccleſia, & debet ei tanta exhiberi reverentia, quemadmodum ſepulchro Dominico. Hoc *etiam noveris; quod ambo mortui ſunt, pugil ſcilicet & ſacerdos; ſed pugil, eo quod ſine contritione obierit, ſepultus eſt in inferno; Sacerdos verò adhuc in Purgatorio detinetur.* Alibi hoſtia ſuper pavimentum lateribus ſtratum decidens ita penetravit, ut veſtigia, quemadmodum fieri ſolet, cùm molli ceræ ſigillum imprimitur apparuerint; *Bzov.* an. Ch. 1218. S. 16.

Sed & *dies feſti* magnum hac ætate à miraculis incrementum acceperunt & robur. Epiſtolam ajunt cœlitus Hieroſolymis delapſam; in qua ſequentia etiam Deo tribuuntur verba: *Hoc dico vobis: Morte moriemini propter diem Dominicum ſanctum & alias feſtivitates Sanctorum meorum, quas non cuſtodiviſtis; Bzov.* an. Ch. 1201. S. 11.

Ad *Monachos* & *Monachatum* ubi ventum eſt, miraculorum nullus eſt numerus. Ordine autem acturi de Monachorum primò Patriarchis loquemur *Franciſco* & *Dominico*, deinde de cæteris etiam, iiſdem ſuccenturiatis. Quid majorem *Dominico* & *Franciſco* conciliare, & ipſum Papam ad ordinis cõfirmationem (quam petentibus eis ali-

liquam diu denegavit *Bzov.* an.Chr.1215. *S.6.*)
xcitare potuiſſet authoritatem, quàm viſio illa,
qua ipſe Pontifex *in Baſilica vidit ſecundùm*
pparitionem Chriſtum ira ingenti ſuccenſum
ropter intoleranda hominum flagitia à Patris
lextera ſurrexiſſe, & tria jacula manu tene-
e, ut uno eorum ſuperbos, altero avaros, tertio
ibidinantes deleret, virginum verò primice-
iam, & totius orbis R*eginam, Divam Dei*
arentem ſe illi oppoſuiſſe ac rogaſſe, ne genus
umanum tanta clade conficeret: ſe enim ha-
ere viros, qui flagitioſorum mores emenda-
ent. Matris autem virginis precibus ac ver-
is motum ſubſtitiſſe, quæſiviſſeq; ubinam eſ-
ent, qui iram indignantis averterent, & mo-
es perditorum in melius confirmarent, Divã
Matrem Mariam par Sanctorum, ſcil. Domi-
icum & F*ranciſcum oſtendiſſe, dixiſſeq; hos*
ſſe per quos convulſa in terris & collapſa pie-
as reſtitueretur, atque extemplo Deum vindi-
em delinitum, manum ad feriendum paratam
ontinuiſſe, iacula depoſuiſſe, ſententiam revo-
âſſe, humanoque generi reconciliatum fuiſſe.
zov. an Ch.1216. S.10. Plura de *Franciſco & Do-*
inico, eorumque vita & miraculis ſcripſimus in
oſtro ὁδηγῷ P.II. p.266. & deinc. Confer de
Dominicanis *Bzov.* a.Ch.1211. S.10. a. Ch.1220.

 S.8.

S 8. a.Chr.1221.S.9.11. & 13. ubi vita ejus breviter ita deſcribitur 1. *antequam naſceretur, forma catuli faculam accenſam ore bajulantis & univerſum mundum eadem illuſtrantis & inflammantis præſignatus, præmonſtratusque eſt.* 2. *Natus & ſacro fonte ablutus ſtellam fronte geſtare viſus eſt.* 3. *Infans ex culla exiliens in duram humum membra reclinabat.* 4. *Ad os pueri aliquando apes convolavere & favos attulere.* 5. *Palentiæ dans operam ſtudiis, tempore famis omnia ſua divendidit, pretiumque egenis diſtribuit.* 9. *E manibus Didaci, Oxomenſis Epiſcopi Canonicorum habitum induit.* 7. *Cum Didaco & duodecim* Abbatibus *omni pompa & equitatu demiſſo contra Albigenſes profectus, multos eorum convertit.* 8. *Libello fidei Catholicæ ter in flammas injecto, totiesq; illæſo exiliente fidem Catholicam confirmavit.* 9. *Irriſiones & mortem ab hæreticis intentatam forti animo ſuſtinuit.* 10. *In prælio contra hæreticos cruce prælata, & ipſo quidem illæſo, illa jaculis confoſſa cruce ſignatos mirum in modũ animavit.* 11. *Matronis hæreſi infectis, Dæmonem cui ſervierant, in horribili forma oſtendit.* 12. *Nautæ naulum importunè exigenti, nummum cœlitus*

tus demiſſum impendit. 13. *Poſtulans ordinis inſtituti ab Innocentio III. confirmationẽ, Lateranenſem ſuſtinens Baſilicam apparuit.* 14. *Chriſtum peccatoribus iratum, & minas orbi intentantem, Diva Virgine illum & Sanctum Franciſcum oſtendente placuit.* 15. A *Divo Petro baculum, à* S. *autem Paulo librum apertum iturus ad prædicandum accepit.* 16. *A Deiparente* Reginaldo *apparente habitum novi ordinis ſuſcepit.* 17. *Divam Virginem duabus* Sanctis *puellis comitatam fratres dormientes aſpergentem aſpexit.* 18. *Eandem cæli* Reginam *multitudinẽ fratrum & ſororum ſub pallio ſuo latitantium oſtendentem vidit.* 19. *Ab eadem inſtitutum* R*oſarium quindecim myſteriorum redemtionis noſtræ obtinuit.* 20. *Tres ampliſſimos Epiſcopatus ſibi oblatos humilis Dei famulus reſpuit.* 21. *Quadraginta circiter naufragantes peregrinos à morte eripuit.* 22. *Vnicum cujusdã viduæ Romanæ parvulum à morte ſuſcitavit:* 23. *Architectum quendam ruina oppreſſum ſuis precibus ad vitã revocavit.* 24. *Cardinalis nepotẽ ex equo dejectum & interfectũ multis inſpectantibus ſuſcitavit.* 25. *Centum fratribus panes, Angelorũ manibus miniſtrari promeruit.* 26. *Signo crucis edito à ſe & ſocio*

ſocio imbrem repulit atque circumcirca pluvio cœlo ſiccus ambulavit. 27. *Dæmonem in forma ſimiæ ſibi apparentem, ad tenendum candelam coegit.* 28. *In aëra orans elevatus, è tecto grandem à Satana in ſe dejectum lapidem evaſit.* 29. *Cinctus catena ferrea ter in ſingulas noctes proprium corpuſculum caſtigavit.* 30. *Angelo revelante extremum vitæ diem cognovit.* 31. *Ab hac vita emigrans in ſplendido throno ad cœlum efferri viſus eſt.* 32. *Vita functus multis miraculis vitæ ſanctitatem demonſtravit.* Miracula Dominicum Canonizatum ſubſecuta recenſet an. Ch. 1234. S. 2. His notis inſignitum hominem quis non fuerit miratus? Sed ſeculi vitium fuit, populo, quas confinxiſſent Monachi, obtrudere fabulas, vix levi veritatis tectorio obductas. Eundem nobis ſiſtunt *Franciſcum.* Compendium miraculorum habes apud *Bzov.* an. Chr. 1222. S. 13. confer an. Chr. 1220. Sec. 16. 17. 1224. S. 7. de ſtigmatibus Franciſci. Et an. Ch. 1226. S. 9. ubi mors ejus deſcribitur. *Ad eius ſepulchrum,* ſcribit, *præter cæcos, ſurdos, mutos, claudos, aliisq; neceſſitatibus afflictos, ipſius meritis curatos, complures mortui ſunt ſuſcitati.* Thaumaturgis etiam annumerat 1. *Antonium de Padua* Bzov. a. Ch. 1231. S. 2. 2. *Hyacinthum* an. Ch. 1233. S. 3. S. 16. an. Ch.

Ch. 1239. S. 13. an. Ch. 1241. S. 3. præſertim a. Ch. 1257. S. 10. & 12. ubi inter alia: *Triginta & octo extant viſiones & apparitiones diverſa, quibus ægri & morientes ſunt ab eo creati & ſublevati. Innumerabiles Chriſtiani variis de cauſis afflicti, non ſemel ſolum, ſed ſæpiſſime voto facto, voti compotes affecti ſunt: Propter hæc & alia Petrus Ortizius in ſolenniſſima celebritate D. Hyacintho apud Cæſaraugustam ſtatim à Canonizatione ipſius celebrata, hæc canebat:*

Chriſtus hoc nunquam legitur dediſſe
Signa, ſed raris decoraſſe rarum.
Ipſe communi modo lege fulſit
Prodigiorum
Numinis ſplendor, radiumque lucis
Gloriæ lucem referendis æquè
Hunc ſibi præfert radiare paſſus
Luce majore.

3. *Raynaldum*, Epiſcopum Nucerinum; Bzov. an. Ch. 1225. S. 13. *F. Iohannem Vincentinum*, Prædicatorem, Id. a. Ch. 1233. S. 10. 5. *Guidonem Confeſſorem* ordinis Minorum a. Ch. 1233. S. 26. 6. *Monetum Bononienſem, Laurentium Anglum, & Didacū Lombardum*, primos Dominici ſocios; a. Ch. 1235. S. 14. 7. *Iordanem* Magiſtrum ordinis Prædicatorii, Id. a. ſeq. S. 2. 8. *Petrum Veronenſem*, ordinis Prædicatorum; Id. an. Ch. 1241. S. 16. 9. *Pe-*

tram Scendram, Catalanum; *Iſnardum* Vicentinũ, & *Guallam* Bergomenſem, De *Petro Scendra* refert Bzoz. an.Ch.1244.S.9. *quòd tredecim cæcis lumen reſtituerit, ſurdis quatuor auditum, ſex claudis greſſum, quinque contractis uſum membrorum, ægrotos deploratæ valetudinis viginti quatuor ſolo Chriſti nomine ad vitam reduxerit*. 10. *Hermannum* Prædicatorem, Hyacinthi ſocium Id.an.Ch.1245.S.14. 11. *Epiſcopum Mindenſem*, Dithmarum, qui aquam in vinum converterat, anno eodem S.18. *Vlricum Friſacenſem*, Dominicanum an. Ch.1236.S.3. 13. *Iohannem* cognomento *Bonum*; an. Chr. 1249. S.10. Cæteros mitto, qui catervatim *à Bzovio* & aliis hoc ſeculo exhibentur, Thaumaturgos. Muliebri etiam ſexui plura adſcribuntur miracula, quã ullo antea ſeculo. De *Hedvvige*, Poloniæ Duciſſa, vide Bzov. an.Ch.1243. De *Luthgarde* an.Ch. 1246.S.1. De *Humiliana* Florentina an. Ch.1246. S.21. De *Clara*, & *Agnete* ſororibus a.Ch.1252.S.11. 12. De *Roſa*, an.Ch.1254.S.11. *Monachatum* in genere, ejusque reditus & privilegia ſi ſpectes, quot quæſo in ejus gratiam conficta legas potius, quã facta, miracula? *Modò* liberalitas Prædicatoribus exhibita, divinitus compenſatur, Bzov. an. Chr.1221. S.16. *Modò* adverſarii Dominicanorum & Franciſcanorum puniuntur & pereunt, an. Ch.1275.S.4. *Modò* ipſa B. Virgo Ciſtercienſibus defenſatricem ſe præbet, an. Chr.1209.

S.8

S.8. *Modò* Franciſcanorum Litaniis commotam, converſio ad filium dixiſſe: Fili exaudi eos; 1254. S. 1. *Oblationes* etiam & Miſſæ pro defunctis miraculis confirmabantur. *Rogerus de Thony* vir nobilis defunctus jam, redire debuit ad vitam, ut fratrem ſuperſtitem doceret, Miſſis ſe & Eleemoſynis juvari poſſe. Vide *Matt. Par.* p. 332. Hic ſibi ſalutem ſpopondit *ob unum munus vel munuſculum in honorem B. V. collatum*. Confer. ſup. p. 450.

Reliquiarum etiam cultum promoverunt miracula. Sumamus exemplum domeſticum *Felix Schmid*, ſeu Fab. Hiſt. Suev. lib. 1. p. 130. *Electus autem Rodolphus in* Regem, *tradita ſunt ei inſignia imperialia cum Imperii reliquiis: quæ omnia tranſtulit in caſtrum ſuum* Kiburg / *ubi hodie capſa bene ferrata eſt, in qua aliquandiu concluſa manſerunt. Vnde incolæ illius comitatus eandem capſam viſitant, & capita imponant ægra, dicuntque ſanata Dei virtute fieri.* Sacconienſes (Seckinger) incendio fuiſſe deletos, *quòd reliquias Fridolini irreverentiâ affeciſſent*, ſcribit *Bzov.* an. Chr. 1272. S. 18. additque, *Fridolinum indignationem ſuam duobus ante annis pulſationibus, quas multoties in ea arca, in qua eius reliquiæ conditæ erant, faciebat, oſtendiſſe.*

Sed & *Proceſſionum* beneficio, contra ſiccita-

tem, pluviam impetratam, commemorat a. Ch. 1262. S. b.

Ipſi denique *Papæ*, ne minores Apoſtolis viderentur, miraculis claruiſſe dicuntur. Talis eſt *Cæleſtinus* V. Bzov. an. Chr. 1294. S. 3. quem tamen ſedes illa ſubdolis & verſipellibus vertumnis à longo tempore aſſueta, ferre non poterat, ſed Bonifacium mox ſuſcepit, qui decretali conſtitutione oſtendere fuit conatus, *Cæleſtini renunciationem non fuiſſe injurioſam*. Vide apud *Bzov.* an. Ch. 1295. Sed ſatis de miraculis hujus ſeculi. His verò ſive viſionibus, ſive miraculis hominem verè Chriſtianum ab orthodoxia dimoveri non debere, rationibus probavimus ſatis luculentis in ὁδηγῷ P. II. p. 252. & 288. Confer *Chriſt. Binderi* Theol. Scholaſt. p. 209. & 243.

II. *Doctrina* de *Deo*, quam profanè à multis publicè fuerit tradita & expoſita, colligi poteſt ex iis, quæ diximus ſup. 375.

III. *Cultus Dei*, in ipſas porrò translatus eſt *creaturas* 1. *Beatam* & immaculatam *Virginem* θεοτόκον Mariã, cui aſſerebatur cultus ὑπερδουλείας, *Thomas* P. 3. Q. 25. Art. 5. 2. *Crucem* Chriſti, cui vindicabant λατρείαν, cultus ſpeciem, quæ ſoli debetur Deo *Id. Ib.* art. 4. 3. *Imagines*; de quarũ tamen cultu varii ſunt Scholaſticorũ conflictus. Vide *Peſant.* in l. cit. Thomæ, & ὁδηγὸν P. III. p. 63. 2. *Reliquias Sanctorum*: Thom. lib. cit. art. 6. Exemplum hujus cultus vide apud *Matt. Par.* p. 532.

32. de crucis Chriſti adoratione. Atq; huc pertinent a. *Canonizationes* 1. Stanislai, Cracovienſis Epiſcopi, & Petri ordinis Prædicatorum, Geneb. in Innoc. 4. Bzov. an. Ch. 1253. S. 1. 2. Ædmundum Cantuarienſem Papa in Sanctorum numerum referre volens impeditur, Matth. Par. p. 611. Poſtea tamen conatus ſucceſſit; Bal. Cent. p. 288. 3. Dominici, Bzov. an. Ch. 1234. S. 1. 4. Odonis Nevarienſis Carthuſiani, Id. an. Chr. 1240. S. 15. 5. Petri Veronenſis, an. Ch. 1251. S. 4. *Matth. Par.* pag. 833. atque ab hoc magnus ille Theologus Vermilius, *Petrus Martyr* appellari debuit. Martyris enim loco Petrus ille à Papiſtis habebatur. 6. Thomæ, Aquinatis, an. Ch. 1274. S. 10.

b. *Reliquiarum inventio.* 1. Bzov. an. Ch. 1219. S. 19. Petri temporis Alexandrinæ Eccleſiæ præfuit B. Athanaſius de duro monte Patriarcha, cui ſecundum quietem S. Johannes Baptiſta apparuit, eique tum ſuas, tum aliorum plurimorũ ſanctorum reliquias revelavit. 2. Columna, in qua Chriſtus Hieroſolymis deligatus, & flagris cæſus fuit, quam Damiatâ, quæ & Æliopolis dicitur, à Cardinale Columna allatam, etiam hodie Romæ venerantur; Id. an. Ch. 1220. Sec. 21. 3. Imago B. V. æri inſculpta. quæ 510. annis delituit; Id. a. Ch. 1223. S. 12. 4. Vas quoddam aureum, quo portio ſanguinis Chriſti continebatur; Id. an. Chr. 1257. S. 18. 5. Crux ab Angelo Monacho oſtenſa, quæ templo locum dedit; Id an. Chr. 1263. S. 17. 6. Reliquiæ S. S. Martyrum in

in puteo reconditorum monitu B. M. Virg. per devotam matronam detectæ; *Id.* an. Chr. 1269. S. 10. 7. Corpus B. *Mariæ Magdalenæ* per Carolum Principum Salernitanum, poſtea Regem Siciliæ, inventum. *Id.* an. Ch. 1270. *S.* 19.

Earundem *tranſlatio.* Sic Conſtantinopolin tranſlatam, magnoq; ære, à Gallorum Rege redemtam ſcribunt *Coronam ſpineam*, *Matth. Par.* p. 527. Ex Syria, Hungariæ Rex Andreas attulit Protomartyris *Stephani Margaretæq;* virginis capita, dextrasque Apoſtolorum *Thomæ* ac *Bartholomæi*, atque unam ex *hydriis*, quibus aquam in vinũ Chriſtus in Cana Galilææ commutavit; Lantbertus verò Brugenſis Antiſtes Conſtantinopoli partem brachii D. *Antonii* deportavit; *Bzov.* an. Ch. 1231. S. 18. Magiſtros templi Hoſpitalis, cum teſtimonio quàm plurimorũ ſigillorum videlicet Patriarchæ Hieroſolymitani, Archiepiſcoporum quoque & Epiſcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum, & Magnatum de terra Sancta, miſiſſe quandam *portionem Sanguinis Dominici* in Angliam, in quodam vaſe criſtallino, ſcribit *Matth. Par.* p. 713. Sed & *Edmundus* Confeſſor ab Anglis tranſlatus eſt ad Gallos; *Id.* p. 710. A. Ch. 1221. S. 19. corpora *Modeſti* & *Viti* Juvaniam, cum magna ſolennitate & frequentia populi avecta ſunt, *Bzov.* De tranſlatione *Dominici*, legatur id. an. Ch. 1233. *S.* 5. *Elizabethæ* elevationem habet idem, & *Calviſ.* an. Chr. 1236. Tranſlationem *Danielis*, gente Hebræi, Martyris

tis Patavini, deſcribit an. Ch. 1295. S. 29. Hinc pro defunctorum obtinendis corporibus diſſidia vide ſup. p. 360. Illi etiam ſanctorum nomine habiti, diuque culti fuerunt, quos exhumatos poſt Papa in favillas redigi juſſit. Exemplum recitat *Plat.* in Bonifacio VIII. Et tandem *novi cultus* tum B. Virgini, tum reliquis etiam Sanctis delati. *Illius* honori multa decrevit Gregorius ex *Bzov.* a. Chr. 1239. S. 8. *Interim cũ & ſcriptis & armis Friderici Gregorius exagitaretur, decrevit ut illa præcellens & dulcis Hermani Contracti Monachi Antiphona,* Salve Regina, *certis divinæ rei horis adderetur, & campanæ ad Chriſti corporis & ſanguinis confectionem pulſarentur, & laudes Virginis Mariæ ſpeciali oratione in matutinalibus celebrarentur, & ſalutatio ejusdem Dei parentis, tum diluculo, tum crepuſculo, dato ſigno campanæ, ab omnibus genu flexu ter repeteretur, & indulgentia plenaria à Cruce ſignatis cõtra Fridericum euntibus obtineretur.* His dies feſti reſtituuntur 1. *Bonif. VIII.* feſtũ ordinat S. Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, Gregorii. Faſc. temp. p. 83. a. *Gereb.* ait; *Eum inſtituiſſe duplex majus ut vocant, in* Feſtis 12. *Apoſtolorum* 4. *Evangeliſtarum, &* 4. *Doctorum Eccleſiæ.*

IV. Peregrinus ad locum de *Eccleſia*, quẽ Theologia

logia Papiſtica variè infecit a. aſſerendo; *Omnes Chriſti fideles de neceſſitate ſalutis ſubeſſe Pontifici* Romano, *qui utrumque gladium habet, & omnes judicat, & à nemine iudicatur*; Eſt hoc decretum *Bonifac. VIII.* contra eos, qui vel dubitant, vel fortè credunt, vel etiam aſſerunt, non eſſe de ſalutis neceſſitate ſubeſſe ſummo Pontifici. *Extrav. Comm.* lib. 1. de majoritate obed. c. 1. p. m. 195. Ergo ne illis, quorum vitas, mores & res geſtas ſup. p. 382. & deinc. deſcripſimus, ſalutis curam denegâſſe, mortem merebitur æternam? O cæca hominum pectora! Adde, in pomæriis Imperii, & juris dictionis dilatandis majus eorum fuiſſe ſtudium, quàm regni Chriſti. De Bonif. VIII. dictum eſt ſup. p. 384. Confer *Faſcic. temp.* p. 83. a. Papa Gregorius primus hoc ſeculo auſus eſt abſolutum orbis dominium ſibi arrogare; qua propter urbe pulſus eſt, *Calviſ.* an. Ch. 1234. Ne Romanæ quidem Eccleſiæ, nedum univerſalis, ſpe munerum alibi detentus, curam gerere volebat. Hinc querela *Matth. Paris* p. 838. *Papa inhians emolumentis adventantium, & ſinum muneribus aperiens vagus extitit & inſtabilis, ciſmontanis ſe præſentem exhibendo.* Et p. 852. *Significabant inſuper* Romani *Papæ, quod quam plurimum mirabantur, quod huc illucq; velut inſtabilis & profugus diſcurrebat, & relicta Roma ſede*

ſua

ſua Pontificali, & ovibus ſuis, de quibus redditurus eſt ſummo iudici ſtrictiſſimam rationem, lupinis rictibus deſerit lacerandam, ſoli pecuniæ inhiando. Illi, ſub ſalutis conditione, parere neceſſe eſt, *qui ignoratione rerum gerendarum inæqualitate plus detrimenti, quàm honoris & emolumenti Pontificatui attulit? qui multa, ſtoliditatem & levitatem præ ſe ferentia, egit?* *Faſcic.temp. Plat.* in Joh.2. Ille ne, *qui intravit ut vulpes, vixit ut leo, mortuus eſt ut canis*, quod de Bonifac. ſcribunt (vide ſup.p.382. Confer *Faſcic.temp.* p.83.a.) Pontificii, caput ſit Eccleſiæ univerſalis?

V. *Sacramentorum* numerus non tantùm eſt auctus, ſed & novum Transſubſtantiationis, errori jam ante obtruſo, acceſſit vocabulum: orta hinc eſt panis adoratio, *Theodorus Bibl.* apud *Bal.* p.296. *Vſque ad Innocentium IV. articulus fidei non fuit, neque lex Eccleſiæ, ut homines adorarent panem, & vinum in Euchariſtia.* *Perkinſ.* in ement. Cathol. pag.334. *Innocentius III. an.Ch.*1215. *modum converſionis determinavit, quo ad nomen ipſu m Trans ſubſtantiationis, quo ad rem verò Leo IX. in conventu* Romæ *habito*, an. Ch.1049. Confer *Buchholz. Geneb.* p.626. Transſubſtantiationis *vocabulum auctoritate illius Concilii in Eccle-*

ſia

ſia receptum eſt. Cleri Deificantis auctoritas fuit aucta. *Audite fratres mei*, ſcribit *Franciſcus* ad ſui ordinis ſacerdotes apud *Bzov*. an. Chr. 1226. S. 10. *Si B. Virgo Maria honoratur, ut dignum eſt, quia Deum portavit in ſanctiſſimo utero ſuo: Si B. Iohannes Baptiſta contremuit, & non audebat tangere Domini verticem: ſi ſepulchrum in quo per aliquod tempus iacuit ſic veneratur, quantum debet eſſe ſanctus, & iuſtus, & dignus, qui jam moriturum, ſed in æternum victurum & glorificatum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, contrectat manibus, corde & ore ſumit, & aliis ad ſumendum præbet? Videte dignitatem veſtram ſacerdotes, &c.*

VI. *Magiſtratus* ſua per Pontificis tyrannidem excidit authoritate. Ipſe enim utrumque ſibi vendicavit gladium. Clero etiam immunitatem ſibique ab obedientia ſeculari aſſeruit. Utrumque magno ſtudio egit *Bonifacius VIII*. De *priori* loquitur decretum modò citatum. *Poſterius* aliquot confirmant leges, pro clericorum immunitate latæ. Vide *Bzov*. a. Ch. 1295. an. Ch. 1297. S. 9. 10. a. Ch. 1299. S. 10.

VII. Gratuitæ *Iuſtificationis* ſpes multis periit opinione 1. *Purgatorii*, cujus flammæ nonniſi ſuffragiis ſuperſtitum extingui poterant, teſte Carolo Monacho apud *Bzov*. an. Chr. 1283. S. 8. Lancem etiam lepidè nobis fingunt, cui Paulum

præ-

præficiunt, qua hominum opera ponderata, vel cruciatibus Purgatorii eum eximunt, vel, denuo iisdem addicunt, de qua *Matt. Par.* p. 208. 2. *Meriti*, cujus variæ erant ſpecies, prçſertim σκληραγωγία Monaſtica, cujus exempla recitat *Bzov.* a. Chr. 1208. S. 8. in Bona, Virgine: an. Chr. 1213. S. 22. in B. Maria Oegniacenſi: an. Ch. 1224. S. 10. in Gualtetio Confeſſore. an. Chr. 1222. S. 27. in Verdiana Virgine Florentina: an. Chr. 1223. S. 6. in Jacobo Creſcentio & aliis, quorum Jejunia, cilicia, lachrymas humiſternia ad cœlos usque evehuntur; quibus tamen ipſi Turcarum Religioſi haud multum ſunt inferiores. Vide *Hiſtoriam Orient.* p. 306. Confer Spec. Arab. *Pocock.* p. 374. & *Arch. Coſm.* P. 1. pag. 727. 4. *Indulgentiarum*, quas catervatim Pontifex diſtribuit iis, qui *vel* arma contra hoſtes ejus ſumebant: Sic a. Ch. 1239. Papa in anguſtias redactus, crucem contra Fridericum prædicare jubet, & omnibus ſe ſe Romano Imperatori opponentibus promittit liberationem ex Purgatorio, & vitam æternam. *Calv. Par. vel* Eccleſias Fratrum Servorum aut S. Sabinæ viſitabant; *Bzov.* an. Chr. 1231. S. 7. an. Chr. 1238. *Sec. 6. vel* militiam in Syriam ſuſcipiebant, *Id.* an. Chr. 1274. S 16. *Avent.* annal. lib. 7. pag. 700. Bullam Innocentii III. ad Chriſtianos pro reparanda terra ſancta habet *Vrſp.* p. 314. confer pag. 321. ubi fructum largarum illarum indulgentiarum proponit: *Faciam ſcelera*, dicebant,

bant, *multi quia per ſuſpicionem crucis innoxius ero, quia etiam animas multorum flagitiorum liberabo.* 5. *Iubilæorum*, qui ex Bonifacii VIII. inſtituto anno centeſimo quoq; erant celebrandi. Vide *Buchol.* an. Ch. 1300. *Platin* in Bonif. VIII. *Crantz*. Saxon. lib. 8. c. 36. *Calviſ.* an. Chr. 1300. *Bal.* Cent. p. 317. *Naucl.* Gen. 44. pag. 241. b. Hoc quid monſtri ſit, & quàm ſacrilegum pecuniæ aucupium, diximus partim in *Anal.* noſtris Diſſert. de jubilæo, partim, idque fuſius p. 111. ὁδηγȣ̃ p. 382. & deinc. 2. *Confeſſionis auricularis*, quam de ſalute eſſe ζυνοδικῶς decreverunt apud Lateranum a. Chr. 1225. ſub Innocentio III. *Bal.* p. 235. 261. Hæc de *Chriſtianiſmo*; ſi cui porrò allubeſcat compendio didiciſſe memorabiles hujus ſeculi eventus plures, Matth. Par. adeat p. 778. & Gault. Tabul. Chronog.

Sectio II.

De

MUHAMMEDISMO.

I. Hæc de *Chriſtianiſmo*; ſequitur *Muhammediſmus*, in quo ſpectabimus 1. Regimen ſeu *Politiam*. 2. *Meſgidam*, & *Scholis*. 3. *Militiam*.

II. In Politia occurrit ſeries [*a*] Chalifarum, cæterorumq; aliquot per Islamiſmum; Regulorum [*b*] & Principum.

[*a*] Fuit *Nazirus*, Moſtadæ filius, de quo *ſup.* p. 203. qui chalifatum totis 48. annis obtinuiſſe dicitur, Bagdado maximè florente, *Iuch.* 151. a. *Archont. Coſ.* P. II. p. 152. Calamitatibus, à Tartaris ferro ignique omnia devaſtantibus, illatis ita cruciabatur, ut mortuus inde fuerit. Regnante eo viri inter Arabes docti floruerunt, *Ib.* Juch. doctorumq: fautores. II. *Tahirus billah*, Naziri filius, novem menſes Chalifa. *Arch. Coſ. Iuch.* loc. cit. vixit ejus tempore in Ægypto Maimonides, ejusq; diſcipulus R. Joſeph: *Iuch.* III. *Moſtanzer billah*, Taheri filius, moribus, eleemoſynis, & gymnaſiorum ſeu Collegiorum ſtructuris inclytus: *Iuch.* l. c. ſicque patenti prælatus, *Ib.* Eò usque nonnulli liberalem eum, imò prodigum, fuiſſe ſcribunt, ut exhauſto ærario ſuo largitionibus ad paupertatem fuerit redactus; *Arch. Coſ.* Contra Tartaros Perſiam devaſtantes, feliciter pugnavit. Mortuus eſt an. Chr. 1244. IV. *Moſtazem billa*, præcedentis filius, ultimus Chalifa Bagdadenſis, quem occidit Olacuſa, Tartarus, frater Regis Hita (de quo *Iuch.* p. 151. b.) Chalifatûs anno 15. menſe 6. *Archont.* Coſ. In *Iuch.* pag. 152. a. legitur: *Ab hoc vero die & deinceps nullus amplius fuit Chalifa Bagdadi, & rapta eſt catena Abbaſidarum, qui numero erant* 35. *Cau-*

ſa occiſionis ejus fuit per manum Nazireddini Tuſei, qui dono obtulit Chaliſæ librum ſibi cognominem, quem in fruſta ſcidit Chaliſa. Unde magna affectus triſtitia rogabatur à Chaliſa, cuiâs eſſet? E terra Tus, reſpondit. Ego vero, inquit Chaliſa, audivi, Tuſeos cornutos eſſe; Tua igitur cornua ubi habes? Dixit ei Nazireddinus: Ego adducam tibi cornua mea. Surrexit igitur, & Bagdadum pellexit Halacaũ, *occiſoque Chaliſa Bagdadum devaſtavit.*

Sequitur ergò jam Tartarorum, vel rectius Tatarorum, ut in *Tamerlanis* Hiſtoria legitur, & ipſa vocis Etymologia hoc vult. *Full. Miſcell.* l. 2. c. 5. regimen, de quo generalia tantùm quædam dabimus monita.

I. *Tataros*, vel *Totaros*, potiùs, quàm *Tartaros* dicendos, ſive à fluvio *Tataro*, quem accolunt, cum Leunclavio; ſive à provincia *Tatar* cũ Haithono; ſive à Syrorum *Totaroie*, redundantes, quod populoſiſſima ſit natio & numeroſiſſima; cum *Fullero* derives.

II. Malè Tataros, reliquias decem tribuum in Mediam deportatarum ſtatui: *Full.* l. cit.

III. Antiquos Tataros beſtiarum more absque literis, absque fide vixiſſe, ac de loco in locum migraſſe, quærentes paſcua armentis. *Haith.* lib. de Tart. c. 16.

IV. Tandem in Muhammedanorum caſtra transſe-

tranſierunt. *Matthias à Michou* de ſuſcepta à Tartaris perfidia illa Muhammedica verba faciens, docet, *cauſam omnino fuiſſe callidam Saracenorum perſuaſionem, religionem ſuam oſtentantium, & prædicantium faciliorem Chriſtiana, dein ſuaviorem; denique viris belligeris (quales eſſent Tartari) convenientiorem.* Sed & Chriſto aliquos nomen dediſſe, poſtea audiemus. Certè, à multis eos ſeculis ſub *Iohanne* quodā Chriſtianos fuiſſe, teſtatur aut. *lib. Iuch.* p. 150. a.

V. Tataros illos fuiſſe Aquilonares. Memorabilia ſunt verba R. Samuelis in lib. Iuchas. pag. 151. a. *Vera ſunt verba Prophetæ noſtri, ex ore Dei noſtri, cum dicit:* Ab Aquilone aperietur malitia ſuper omnes habitatores terræ. *Omnes enim Gentes & Regna, quæ alia regna devaſtârunt venerunt ab Aquilone. Ecce Sanherib Rex Aſſyriæ, & Nebucadnezar, omnes venerunt ab Aquilone & popularunt terram Iſrael, tum temporis; cùm Regnum Iſraelis magnum eſſet & tremendum.* Medi *poſtea & Perſæ, qui magis ſunt Septentrionales, omnia vaſtarunt regna.* Septentrionales deinde, ait, fuiſſe Gothos, qui Romanos ſuvaſerunt: Bovitas, qui Iſmaëlitarum Caliphas, Tartaros, qui toto pene inundato orbe, Chalifatum ſuſtulerint, Tamerlanem etiam ex eodē mundi climate ortum, unde & proditurus ſit Gog, &c.

VI. Ut Imperatores Perſarum *Coſroæ*, Saracenorum *Chaliſæ*, Ægyptiorum *Pharaones*; ſic Tartarorum Reges, ſeu Principes *Chan* appellantur. *Gol, Chan*, propriè Rex, Princeps. Nomen Tartaricum, quod Perſis, Turcis & Indis uſitatum. Eſt etiam *magnum diverſorium* in via ampliſſima extructum ad excipiendos viatores. Apud Perſas ita peculiariter vocantur ſummi Duces.

VII. De origine Imperii Tartarici varii varia ſcribunt, Vide *lib. Iuch.* p. 150. a. *Archontol. Coſm.* De Imperii magni Sophi p. 152. omnia perſequi non licet. Primus fuit *Tamuchin. Ginkis. Chan* appellatus, *Iuch.* l. c. Und-Chani σύντροφος. Occiſa autem caterva, quæ Tamuchin inſidias ſtruxit, rebellio orta contra Und-Chanum. Religioſus etiam quidam nudus per vicos & plateas diſcurrens, quique Prophetæ loco à Mogalenſibus fuit habitus, alta populo denunciavit voce, Deum terræ regna tradidiſſe Tamuchino, ejuſq; filiis. Quo, multa repetitione inculcato; ſollicitavit Tamuchin Imperii confirmationem, à Tartaris, Turcis, Mogolenſibus. *Iuch.* l. c. Adminiſtrationem verò regni inter quatuor diſtribuit filios. Potentiſſimus autem hic fuit Rex, qui Bocharam mox, aliaq; loca, quorũ nomina exprimuntur *à Iuch.* p. 151. a. vaſtavit. Ei ſe primò Choraſanæ Rex oppoſuit, à quo in eas redactus fuit anguſtias, ut in fluvium ſe præcipitârit, eumque tranârit: Et inſecutus eum fuit Ginkis-Chan tres menſes, ut vivum cum caperet. Vide plura in

Arch.

Arch.Coſmica. l.1.*Oukţai-Chan*,filius natu medius, quem pater Ginkiſchan morti vicinus dignum æſtimavit Imperio. Succeſſit an. Ch.1230. Totã occupavit Perſiam,Bagdado excepto. Victor diſ. ceſſit quocunq; cum fratre venerat, & fulminis inſtar omnia attrivit, ipſam etiam Europam, *Iuch.* 151.b. Sequuntur undecim alii, ad Timurum quem *Tamerlanem* vulgò vocant. Eorum nomina & res geſtas habet author Archontologiæ Coſmicæ,p.52. & deinceps. Tamerlanis verò Hiſtoria Arabicè extat conſcripta à quodam ejus milite, & edita à Cl. D. *Golio*.

[*b*] *Ægypto* præerant 1. *Azizus* Zelacheddini filius, teſte lib. Juch. p.150.a. *An. Heg.* 589. *mortuus eſt Iobus Zelacheddinus, qui vir fuit integer, injuria adeo patiens, ut, cum quidam de famulis eius ſeram proieciſſet, qua veſtes penè eius contigiſſet, diſſimularit iniuriã. die quodam quater à famulis ſuis aquam petiit, quam tamen non porrexerunt. Sed cum quinto inſtaret, per Deum dari eam ſibi petiit, ne ſiti periret. Liberalis etiam fuit, & beneficus in omnes viros fortes & ſtrenuos.* Poſt mortem verò ejus, diviſum fuit Imperium tribus filiis ejus. Natu maximo *Afzelo* Damaſcus ceſſit, cum omnibus urbibus terræ Iſraël, ad Auſtrum uſque: *Azizo* Ægyptus, tertio verò filio *Tahero*, Ghazeo Halebum, cum adjacentiis. Paulò poſt

tamen, mutationis jure Ægypti Imperium obtinuit patruus *Adelus*. Ægypti verò proceres, miſſis legatis, *Afzelo* illuc obtulerunt. *Id. Ib.* Eum ſecutus eſt *Taberus Gazaus*, quem excepit *Ad.lus* patruus; hunc ſecutus filius eius *Camilus*: Id. p. 151. a. Mortuo *Camilo* an. H. 635. regnavit *Zalechus*, filius, *quo defuncto ad clavum ſedit Motemus filius, in quem inſurrexerunt Turcomanni; cumq; in turrim ſe recepiſſet ligneam, comburere eam voluerunt; quod cum vidiſſet, præcipitem ſe egit in fluvium vicinum, in quo ſuffocatus periit: duplex ergo eius fuit ſuppliciū. Et imperavit Ibikus, Azeddinus Turca. Fuit autem hic annus* Hegiræ *603, à quo deinceps tempore inceperunt Ægypto præeſſe ſervi. Inſurrexerunt in Ibikum* Azeddinum, *eoque interfecto regem conſtituerunt ſervum quendam, quem, mutato nomine, appellârunt Motferum.* Iuch. 151. b.

De Imperio *Solimanis Schab*, totiusque familiæ illius periodo, actum eſt ſup. p. 215. Confer *Iuch.* p. 151. a. 152. b. *Fuit*, inquit, *cum prodiret, in publicum Ginkis-Chan, ſicut ſcripſimus*, So*liman-Schabus* Rex *Mahanis, quod quidem regnum eorum fuit à multis ſeculis, eſtq; regnum Turceſtiæ. Cum autem egrederetur* Gin*kiscan, fuit* Solimanſchab *ad flumen Euphratem,*

tem, tranſiturus autem flumen ſubmergitur, tribus relictis filiis, &c.

III. De *Mesgida & Schola* nihil occurrit, niſi quod ſuum ſemper Muhammedani in ſacris receptis, tum [a] defendendis, tum propagandis Zelum probârint: alii vero vel [b] coacti, vel [c] divitiis pellecti, vel licentia vitæ; religioniſque facilitate faſcinati, Islamiſmo acceſſerint. Reperias tamen [d] aliquos, ſive Monachorum, qui frequenter ad Saracenos erant ablegati, ſive aliorum opera, ad Chriſtianiſmum traductos.

[a] Exemplo ſit *Zelacheddinus*, qui proinde *Religionis Reformator* fuit appellatus. Confer pag. 230. & 490. De *Moſtanziro*, Taheri filio, Chalifa ſcribitur, *quod Eleemoſynarum fuerit amans, multaq; extruxerit collegia. Iucb.* p. 151. a. Parens etiam ejus à bonis moribus commendatur, *Ib.* Moſtazemus ultimus dicitur Perſarum doctor ad an. Chr. 1500. quo Sophi, qui genus ſuum & doctrinam ad Halim, Muhammedis generum retulit, admiſit. *Geneb.*

[b] Quod factum ſub Ægypti præſide, qui, an. Chr. 1266. expugnato caſtro *Saphet*, omnes, qui ad Muhammediſmũ tranſire nolebant crudeliter trucidavit. *Cal.* ex Maria. Sic *Muhammed-Chan* Tatarus Muhammedanis deditus, quos-

cunque potuit ad Muhammediſmum coëgit, & Chriſtianos crudeliſſimè fuit perſecutus *Calv.* 1282. *Geneb.* pag. 683. Sed & *Moſtazenum* Chriſtianos Orientis miſere afflixiſſe, & illud Evangelii, poſitis ab eis alioquin pœnis, exegiſſe; Dicite monti huic & transferetur, &c. referunt. *Geneb.* p. 634.

[c] Ita Tatari, ita alii in retia hæc pertracti videntur. Ex *Tataris* Hamed Chan, Septimus, Arabũ religionem fuit amplexus. *Archont. Coſm.* pag. 153. Qua occaſione Tatari ad Islamiſmum fuerint ducti, refert *Geneb.* an. Chr. 1212. ſub Innocent. II. Confer etiam pag. 634. & ſup. p. 488.

[d] *Matth. Par.* pag. 854. *Eodem quoq; tempore venerunt in Franciam* (Saraceni) *converſi ad fidem Chriſtianam, quorum quidam erant baptizati, quidam baptizandi. Et hæc fuit eorum cauſa converſionis. Viderunt utiq; Regem miraculosè à manibus potentiſſimi Babyloniæ Saldani liberatum, & ipſum Soldanũ poſt captionem trucidatum. Viderant inſuper maximam Regis in adverſitate patientiam, in propoſito inflexibilem conſtantiam. Nam poſt ſuam captionem in terra ſancta moram adhuc continuavit, caſtra firmavit, civitates contra Domini ſui hoſtes cõmunivit. Viderant præterea fidei ſuæ firmitatem, quod, ſicut Iob in tot adverſis, labiis non peccavit. Cæ-*

terum

terum conſiderabant, quod, pro amore Domini Dei ſui Ieſu Chriſti, dulce regnum Franciæ deſeruerat, ſe maris, ventorum, & bellorum & alienorum ac remotorum regnorum periculis & bellatorum expoſiturus, & pro animabus infidelium lucrandis omnem operam impenſurus. Quod nullo modo poteſt feciſſe ſine Numinis adminiculo, & divinæ Maieſtatis conſolatione. Prædicatorum inſuper & Minorũ (ſpecimen habes apud *Matth. Par.* p. 408.) *informatione didicerunt, ut Machometi lex ſpurciſſima animarum eſt intoxicativa.* De miſſionariis verò iſtis, Dominicanis plerisque & Franciſcanis conſulatur *Bzov.* an. Chr. 1220. S. 9. 11. a. 1221. S. 7. a. Ch. 1222. S. 25. an. 1227. Sec. 24. an. 1246. S. 11. Martyria hinc multa jactant, & Monachatûs per converſos augmentum. *Bennazarum* natione & religione Maurum miraculis poſtea inter Monachos claruiſſe, refert *Bzov.* a. Ch. 1230. S. 7. In Italia multos Prædicatorum monitis, ad Chriſtianiſmum excitatos, ait a. Ch. 1233. S. 15. Idem de Tunetani regis nepote commemorat an. Chr. 1236. S. 6. Etiam Monachum Saracenum ſuperſtitioni valedixiſſe ſuæ, ut Chriſtum amplecteretur ſcribit an. Chr. 1263. Sec. 21. Narrat etiam *Blond.* lib. 8. Decad. 2. *Liberam Chriſti prædicationem per Africam à Saracenis fuiſſe conceſſam.*

IV. in *Militiæ* examine nudam tantùm ſpectabimus ſeriem [a] bellorum inter Chriſtianos & Muhammedanos geſtorum: Ex quo poriſmata [b] deinde nonnulla emergent, quæ Hiſtoriæ belli Sacri lucem magnam afferunt.

[a] Ea talis eſt. An. Ch. 1202. Africani Saraceni utramque Hiſpaniam igne & cæde vaſtârunt, excurſionibus in Galliam quoque factis. An. 1217. Friderico II. Imperatore nova expeditio in Syriam decreta multis Principibus contra Saracenos conſpirantibus. Eodem anno in ſuburbio Aconis civitatis, exercitus Chriſtianorum confluunt, & civitatem Damiatam Ægypti urbem ab omnibus munitam obſident. A. 1217. Quatuor Hiſpaniæ Reges collecto in unum exercitu Saracenos repreſſerunt, ex Betica tamen ejicere non valuerunt. An. 1221. Damiata *Sultano* reddita, Chriſtiani Aconem & Tyrum redierunt, A. 1228. Fridericus Imperator in Syriam profectus inducias cum Saracenis pepigit, & *Hieroſolymam* cum ſuis copiis regio diademate honorandus, ingreſſus eſt. An. 1237. Chriſtianorum exercitus, cui Theobaldus Navarræ Rex præfuit, inter Gazam & Ptolemaida occubuit. An. 1244. Saraceni à Ferdinando Rege forti & celebri ex Hiſpaniis pulſi. A. 1247. Saraceni Aſiatici Chriſtianos in Syria vexârunt, & ſepulchrum Chriſti ignominioſè defædârunt. An. 1248. Ludovi-

doviсus Rex Galliæ, exercitum trajecit in Syriã animo expugnandi Saracenos, & cupiditate liberandi Chriſtianos. An. 1249. congreſſus Ludovicus Galliæ Rex cum Saracenis Damiatam civitatem populoſam ac turrigeram cæpit. An. 1250. Cùm inter procellas pugnæ ad Faramiam à Saracenis comprehenderetur, Ludovicus Rex cum Carolo & Alfonſo fratribus reddidit Damiatam: quo facto ſuæ ſuorumque ſaluti conſuluit, & ex vinculis liberatus eſt. Captus fuit Rex d. 5. April. A.1252. Saraceni Baleares amiſerunt inſulas, quas occupavit Dux Tarraconenſium. A. 1261. Hiſpaniæ Reges, inter ſe diſcordes, alius Gallos ſocios ad ſe allexit, alter Saracenum militem adverſus fratrem conduxit, ſuo ſuorumque maximo incommodo. A.1262. Factiones Veneta & Genuenſis Chriſtianos Ptolemaidem & Tyrum incolentes, inteſtinis odiis exercuerunt. An. 1265. Expulere ex Syria Saraceni Chriſtianos. A.1268. Antiochia à Bodegaro Sultano vaſtata. An.1270. Iterum Rex Galliæ Ludovicus cum filiis tribus ingentes copias contra Saracenos in Africam duxit, ubi cum contra illos feliciter pugnatum eſſet, Carthaginē obſedit, ſed peſtis exercitū inficiens Regem ſimulq; filium ejus Johannem vita privavit, & ſic ſoluta eſt obſidio. A.1281. Armenii & Scythæ ad Gamalam Judææ urbem cum ipſa penè urbe à Saracenis delentur. A.1289. Sultanus Ægypti Rex Tripolim incēdit, Chriſtianos in ſervitutem abigit. A.1290. Tyrus,

Sidon,

Sidon, Tripolis & Berythus ab eodem incenſæ & complanatæ. Ptolemais fugâ diſperſis Chriſtianis, ſine vi. capta atq; diruta, fundamentis quoque effoſſis Chriſtiani, qui urbem reliquerant, Cretam fugientes perierunt naufragio.

[b] Tenendum igitur 1. *Magnam Pontificum Romanorum hoc adhuc ſeculo pro continuatione belli ſacri fuiſſe curam.* *Platin.* in Gregor. IV. *Recuperato igitur & patrimonio S. Petri, & agro Sabino, ſpretisq; Soldani legatis, qui ſuppliciter pacem petebant, multos ex Franciſci & Dominici fratribus per Europam miſit, qui prædicatione Chriſtianos ad arma contra Saracenos concitarent, quorū opera tanta multitudo militum brevi comparata eſt, quanta nunquam antea.* Hic tamen exercitus, Ducum imperitiâ periit, Innocentii ſtatuta pro recuperatione terræ ſanctæ recitat *Matt. Par.* p. 652. Honorius *III.* crucem etiam juſſit prædicare contra Saracenos, ita ut iter biennio poſt die Johannis Baptiſtæ inſtituatur: an. Ch. 1223. *Cal.* Hæc verò crucis prædicatio miraculis dicebatur confirmata; *Matth. Par.* p. 397. & viſionibus, Papæ Honorio factis; Chron. *Vrſp.* p. 320. Fuit hæc cura commendata Monachis, qui crucē prædicarent. Unde à tempore Cōcilii Lateranenſis, per omnes fines Chriſtiani orbis emiſſi doctores innumerabilem hominum multitudinem exhortationibus ſuis excitâ-

citârunt, ut pro liberatione terræ Sanctæ crucis ſigno notati militiæ ſacræ nomen darent: Ipſe Pontifex Imperatorem jurisjurandi admonuit, Reges item Galliarum, Angliæ, Hungariæ, Norvegiæ, Sueviæ, Scotiæ; Daniæ, Navarræ, Boemiæ, ut ſubſidio eſſent Chriſtianis Orientalibus. Vide *Bzov.* an. Chr. 1223. S. 2. & 1225. S. 1. deniq; 1289. coll. cum 1290. S. 7. ubi Nicolaus rebus in Oriente peſſundatis remedium quærit. Rationes belli ſacri habet *Avent.* pag. 663. finem nempe Muhammediſmi.

II. *Neque verò defuiſſe, qui Papam, eiusque tubas ſequerentur.* Tanta erat Sedis Romanæ apud multos authoritas, ut in Syriam abire juſſi nec Imperatores tergiverſati fuerint, nec Reges, nec ipſi etiam pueri hanc ſibi præripi aut eripi voluerint laudem. Unde *Faſc. temp.* p. 80. a. *Pueri de Alemania XX.* M. *& amplius Diabolica machinatione decepti cruce ſignantur, quaſi Deus per eos vellet recuperari terram ſanctam, juxta illud,* Ex ore infantium, &c. *Sed cum ad mare veniſſent, à piratis dolosè in navibus rapiuntur, quaſi eos ad* Hieroſolymam *ducere promittentibus. Verùm, multos ſubmerſerunt, & alios vendiderunt Saracenis.* Confer *Calv.* a. Ch. 1212. Regum verò Regnorum, Principum, privatorum etiam adultorum bellum ſacrum continuantiũ exempla habemus 1. in *Anglis*, *Matt. Par.*

p. 326.

p. 326. 807. *à Friſonibus, Colonienſibus*; Id. p. 288. aliisq; Germanis: *Calv.* a. Ch. 1127. Voverat Imperator, ſe in Palæſtinam abiturum, atq; ideo quosdam Principes Germaniæ ſimul evocaverat, inter quos fuit Landgravius Ludovicus, qui in Italiam veniens, cùm jam ſolvenda eſſet claſſis, febre corripitur, & moritur die 13. Septembris, cũ præfuiſſet annis 12. Succedit ipſe Henricus frater, qui præeſt annis 17. Fridericus ipſe ſe itineri committit, ſed morbo affectus revehitur in Italiam, qua re offenſus Papa, Imperatorem regnis excutere cogitat, eumque excommunicatum, ut effœminatum proclamat. Plura de Friderici II. expeditione admirabili habet *Bzov.* an. Ch. 1219. S. 1. 3. In *Ungaro* illo, Linguæ Saracenicæ & Gallicæ perito, qui in Galliis opiliones ut plurimum, deinde agricolas ſibi adjunxit, ſpe occupandæ terræ ſanctæ: perſuaſerat ita ferè omnibus, ut ad ſexaginta millia hominum ſecum duceret, quibus vexillum fecerat, cui agnus inſigne erat, ſed cùm tanta colluvies non ex præparato commeatu viveret, Galliam populari incipiebat, & cùm Ungarus ille ita occideretur, & reliqui diſperſi ſunt: nominabant ſe *paſtorellos. Calviſ.* a. Ch. 1251. Ejus meminit Hiſtoriæ *auth. Faſcic. temp.* p. 80. his verbis: *Paſtores pecorum ſimiliter de Hiſpania convenientes cum turba gravi Pariſiis venerunt, & omnia bona cleri vaſtârunt, invidis plebibus congratulantibus; ſed cùm etiam laico-*

laicorum bona cepiſſent devorare, ſtatim expugnati fuerunt & peremti. Et ſic patet, quod Diabolus etiam ſuas cruces prædicavit. Paulò aliter recitat *Matth. Par.* p. 795. qui putat, ſeducendi & Muhammediſmo ſe addicendi ſtudio agyrtam illũ tantam pellexiſſe conflugem, ut qui verna fuerit & diſcipulus Muhammedis; quemadmodum, & Johannes Anglorum Rex, eodem inſaniæ prolapſus ſcribitur ab *autore* p. 233. ut cum Regno religionem etiam abjurare, ſeque in fidem Regis Africæ dedere conſtituerit.

III. *Sub prætextu belli ſacri avaritiam Romanam, faſtum & perfidiam, ſua quidem habuiſſe compendia; Rem verò publicam ſumma diſpendia. Matth. Par.* p. 200. *Cum Innocentius Papa ad expeditionem terræ ſanctæ, ut dixit, ad occultandam ſuam avaritiam, infinitam pecuniam, ab ordine Ciſterciensi propoſuiſſet extorquere, à B. Virgine correptus ceſſavit.* Et p. 864. exemplum ſummæ Pontificis perfidiæ, qui crucem prædicari voluit, non ut periclitantes Chriſtianos in Oriente juvaret; ſed Siciliam & Apuliam invaderet, profert. Idem tangit ulcus p. 386. Et p. 388. *Hæc* (præcedit Epiſtola Gregorii Papæ, de negotio crucis) *cum per Chriſtianorum climata, præcipuè per Angliam, Chriſti fidelibus innoteſcerent, & prædicatio per Prælatos, maximè*

vero

verò per fratres Prædicatores & Minores fieret, quibus data fuit poteſtas cruce ſignandi, & votum data pecunia (confer p. 546.) *relaxandi, ſeſe multi, quorum non erat numerus, cruce ſignaverunt. Sed cito in tantam nobilitatem, ne dicam arrogantiam elevabantur Prædicatores & Minores, qui ſpontaneam paupertatem cum humilitate elegerunt, ut recipi curarent in cœnobiis & civitatibus in proceſſione ſolenni, in vexillis, cereis accenſis, & in diſpoſitione veſtimentis feſtivis indutorum, & conceſſa eſt, eis veniam multorum dierum ſuis conferre auditoribus, ſignatisque hodie, cras, data pecunia, à crucis voto abſolverunt. Parvoq; tempore ſuccedente facta eſt tanta cõmutatio, tam multiformis pecuniæ exactio, nec ſciri poterat in quam abyſſum tanta pecunia, quæ per Papales procuratores colligebatur, eſt demerſa, quod fidelium circa negotium crucis tepuit; imo potius charitas refrixit generalis. Unde negotium terræ ſanctæ nunquam felix ſuper hoc ſuſcepit incrementum.* Avent. annal. l. 7. p. 709. *Licet Gregorius X. eodem anno animam efflâſſet, nihiloſecius tamen* Romani *flamines decimas per ſex annos extorta per vim pecunia à Germanis emunxerunt, rumore diſſipabant,*

pabant, ſe ſuo periculo atque ſtipendio Palæſtinam, Ægyptum, Aſiam, Africam erepturos, Turcis, Saracenis, Tartaris. Et p. 720. *Eadem tempeſtate Nicolaus IV. Pontifex Max. Franciſcanus, omnes Archimyſtas Germaniæ, quemque cum ſuis collegis in ſua provincia Concilia habere jubet. At hiſce rurſum conſilium ſimul & auxilium petit, quo Palæſtina armis recuperari poſſit. Primarius Bojorum ſacerdos Iuvaviam ſexto Cal. Februarii Monachos atque ſacerdotes ſuos vocat, maiores, minores cogit Pontificulos, mandata Pontif.* Max. *aperit. Vbi illi Romanam avaritiam rurſus ad decimas aſpirare perſentiſcunt; &c.* Confer. *Calviſ.* an. Chr. 1226. Hic verò præ cæteris malè audierunt Hoſpitalarii & Templarii, quibus volupe fuit diſcordias ſerere & lites inter Chriſtianos & Saracenos, ne jacturam facerent redituum ſuorum. Vide *Matth.* Par. p. 596. Sed & inconſtantiam hic ſuam prodere voluit Papa, teſte *eodem* pag. 497.

IV. *Felicibus in Oriente ſucceßibus obſtitiße Chriſtianorum diſcordiam.* Platin. Nicol. IV. 236. *Dum hæc autem in Europa gererentur, Sultanus diſcordiis Chriſtianorum fretus Tripolin, Aſiæ civitatem inſignem quidem, interfecto Chriſtianorum præſidio, igni ferroq; evertit. Pa-*

Ii *rem*

rem quoq́ calamitatem Sidon & Barutũ pertulere, nemine adiuvante. Reſtabat *Ptolomais, in omnes duos inducias à* Soldano *conſecuta, hanc ut tueretur Nicolaus Pontifex annixus milites ad vexillum Chriſti vocat ære ſuo conductos; ij ad mille & quingenti fuere. Hos poſtea multi, nullo dato nomine, nullis ſignis & auſpiciis ſecuti, cũ Ptolemaidem perveniſſent, non minora Chriſtianis, quã Saracenis damna intulere. Soldanus autem cum res ſuas repetiiſſet, nec redditæ eſſent noſtris omnibus,* exiliũ *comminatus eſt. Magna inter Chriſtianos de poſſeſſione Ptolemaidæ concertatio tum orta erat, cum eam Patriarcha Conſtantinopolitanus, Templarii, Teutonici,* Rex *Cypri, Siciliæ* Rex *Carolus vindicare anniterentur. Erat & Piſanis in animo Ptolemaidem repetere, &c.* Plura de his diſcordiis pete à *Bzov.* an. Ch. 1223. 1276. S. 14. *Calv.* an. Chr. 1243.

V. *Quòd ſi quando victricia Chriſtianorum videre contigit arma, Pontificis inſtinctu ſic ferocierunt, ut oblata fortuna ritè rectéq́ uti non potuerint:* unde ita exaſperati Saracenorum Duces, ut audentiores contrà euntes ne illis quidem locis, quæ non minus alias, quam ipſi Chriſtiani venerabantur, parcendũ exiſtimârint. De urbis & turris Damiatæ occupatione fusè loquuntur Scriptores Eccleſiaſtici.

ſtici. Vide *Matth.Par.* p.290. & 765. *Calv.*a. Ch. 1219. *Vrſp.* an.Ch.1222.p.322. *Platin.* in Honorio III. *Bzov.* a.Ch.1220.S.2. Urbs hæc Ægypti à noſtris menſe Febr. arctiſſimè fuit obſeſſa, totaque æſtate ibidem eruptionibus pugnatũ: Et quamvis noſtri aliquoties magnis affecti fuerint cladibus, nihilominus tamen cùm Saraceni in urbe, & fame, & peſte affligerentur, conditiones Sultanus Chriſtianis offert pacis, ſe redditurum Sanctam crucem cum toto regno Hieroſolymitano, & ſumtus ad inſtaurandos muros Hieroſolymorum. Hoſce enim eadem æſtate dejecerat, ne ſi caperetur, recipi non poſſet; retenturum ſe tamẽ duo caſtra in Arabia. Rex Johannes, & reliqui Principes ſtatuunt conditiones has eſſe accipiendas, cùm (*Par.*745) expetitio hæc propter nullam aliam cauſam ſuſcepta ſit. Reſtitit tamẽ Pontificis Legatus, & obtinuit ne diſcederetur, atque ita tandem capta eſt Damiata die 5.Nov. feria 3. & Sultanus, cõbuſtis caſtris fugit. Duravit obſidio annũ & menſes ſeptem. Hac verò pertinacia ſua quid Pontificis Legatus obtinuit? Vix octo menſium ſpatio Damiata Chriſtianorum fuit, cùm de tota occupanda Ægypto cogitarent, Sultanus commeatu eos intercludit, & in eas anguſtias redigit, ut duriſſimas Sultani Seiphoddini conditiones acciperent, Damiatam redderent, & captivi utrinque permutarentur. *Bzov.* an.Ch.1221. S.2. *Vitriac.Marin.* Ita tandẽ, a.Ch.1290. expulſis de terra ſancta Chriſtianis, victoriarum reliquias,

quæ annorum ferè 200. labore à Chriſtianis partæ erant, amiſerunt. Vide ſup. 497. & *Bzov.* an. Chr. 1289. S. 1. & 1290. S. 7. *Faſcic. temp.* p. 82. ſb. Atque ſic finitum eſt bellum Saracenicum, *Geneb.* p. 685. De murorum, propter Damiatæ obſidionem, Hieroſolymitanorum deſtructione, plenius loquitur *Matth. Par.* p. 291. additque, *de ſepulchro etiam Domini glorioſo deſtruendo conſilium habuiſſe Saracenos, quod per literas comminati ſint, quas civibus Damiatæ ad eorum ſolatium transmiſerunt. Verùm tamen,* pergit author, *propter tanti loci reverentiã nemo eorũ opponere præſumſit. Nã in Alcorano, libro legis eorũ ſcriptũ habetur, Ieſum Chriſtũ, Dominũ noſtrum, de Maria Virgine fuiſſe conceptum & natum, quẽ ſine peccato vixiſſe inter homines Prophetamq́ꝫ, & plus quàm Prophetã eſſe, profitẽtur. Cæcos enim illuminaſſe, leproſos mundaſſe, & mortuos ſuſcitâſſe aſtruunt. Verũ quoqꝫ aſſerunt, eum ad cælum aſcendiſſe. Vnde quando tempore treugarum ſapientes eorum Hieroſolymam aſcendebant, & poſtulabant ſibi codices Evangeliorum exhiberi, deoſculabantur ac mirabantur eos propter munditiam, quam Chriſtus docuit, & præcipuè propter Evangelium Lucæ:* Miſſus eſt Gabriel, &c. *quod ſæpius retractant & repetunt literati eo*

rum

rum. Alii tamen volunt, Nureddinum, Saladini filium, illorum Chriſtianorum precibus, qui turrim Davidis & templum Domini incolebant, morũ, integra illa reliquiſſe. *Plat.* in Hon. 3.

VI. *Perfidiâ & Idololatriâ Pontificiâ Saracenos graviter fuiſſe offenſos.* Illos luculentum habemus ſpecimen in Friderico Imperatore, cùm an. Chr. 1229. immineret Hieroſolymis, & Sultanus occupatus eſſet domeſtico bello, ſponte ei offert Crucem cum toto regno Hieroſolymitano, & quicquid Saladinus Chriſtianis eripuerat, hoc uno excepto, ut Saraceni Hieroſolymis etiam templum habeant, in quo inermes adorent, ſuaque extra urbem hoſpitia. Pax inita die 18. Feb. feria prima. Hieroſolymam ingreditur Imperator die 17. Martii, feria ſeptima. Sequenti die Dominica, *Lætare.* Hieroſolymis coronatur, omniaque ſolenniter fiunt, præterquam quod, excommunicatione obſtante, ſacra non fuerunt celebrata. Pax hæc fuit decennalis. Inde cùm Imperator in Iordanẽ locum, ubi Chriſtus baptizatus eſt, loturus exſpatiaretur, id ipsũ Templarii Sultano, ut eum interciperet, ſignificârunt: Sultanus verò, hominum perfidia offenſus, literas mittit Imperatori. Vide *Matth. Par.* pag. 344. *Calviſ.* an. Chr. 1229. Lubet *Matthæi Paris* tragædiam exprimere verbis, quæ extant p. 346. *His autem, ſic Deo diſpenſante ordinatis, invidente antiquo ſeminatore* Schiſmatum *& di-*

ſcordiarum Satanæ, incolæ terræ, præcipuè Templarii & Hoſpitalarii, invidentes factis Imperatoris, ſumſerunt cornua ex odio Papali. Audierunt enim, quòd jam Papa Imperium hoſtibiliter invaſerat. Volentes igitur omnia magnalia hæc eis adſcribi, qui à tota Chriſtianitate tot proventus recipiunt, & ad ſolummodò terram ſanctam defendendam, tantos redditus inglutiunt, & quaſi in voragine barathri demergunt, ſignificaverunt ſubdolè ac proditiosè Sultano Babyloniæ quòd Imperator propoſuit adire flumen, ubi Chriſtus baptizatus eſt à Iohanne Baptiſta, ibidem Chriſti veſtigia, & præcurſoris eiusdem, quo non major ſurrexit inter natos mulierum pedes, & in laneis; cum parvo comitatu, clàm humiliter adoraturus: & ibidem poſſet ad votum eundem Imperatorem vel capere vel trucidare. Quod cùm audivit Sultanus memoratus, & ſuper hoc chartam noto ſibi ſigillo ſignatam conſpexiſſet, deteſtatus eſt Chriſtianorum verſutiam, invidiam & proditionem, maximè eorum, qui videbantur habitum religionis cum crucis charactere bajulare, & advocans duos ſecretiſſimos ac diſcretos conſiliarios, inſtillavit auribus illorum univerſa, oſtendens eis Epiſto-

piſtolam, cui adhuc ſignum adhærebat, & ait; Ecce fidelitas Chriſtianorum. Inſpectisque literis poſt longam ac diligentem deliberationem, ſic reſponderunt: Domine inita eſt pax utrobique beneplacita, quam violare facinoroſum foret; ſed ad omnium Chriſtianorum confuſionem mittatis hanc Epiſtolam cum ſigno adhærente ipſi Imperatori, & erit vobis amiciſſimus, & merito. Quorum conſiliis Sultanus obtemperans, miſit dictā Epiſtolam Imperatori, & omnem dolum prælocutum ei denunciavit, &c. Huius verò ἔνδειξιν dedimus in Anal. Diſſ. 1. p. 40. ex Johanne Vitodurano.

VII. Sed neque à fraudibus eos, quibus negotia hujus belli curæ erant, abſtinuiſſe perſpicuis monet verbis Matt. Par. p. 754. Temporibus quoque ſub eisdem ad vanam conſolationem Chriſtianorum, vel animandum cruce ſignatos, iter peregrinationis ſuæ prorograntes transmiſſæ ſunt litteræ umbratiles à terra ſancta, confectæ à viris authenticis & fide dignis, Epiſcopo ſcilicet Marſilienſi: à quibusdam Templariis, rumores jucundiſſimos continentes, qui auditores credulos vanis elogiis exhilarârunt, quòd res videlicet Cayrum & Babylonia capiebantur, & fugientibus Saracenis Alexandria deſolata

lata relinquebatur. Qui, dico, rumores tanto plus auditores credulos in fine, more ſcorpionis, pungebant, quanto primò magis demulcebant blandimentis. Et tunc igitur ſuſpectiores etiam veras habuimus Epiſtolas & exoſas. Tē plariorum *etiam impediebat infamia, quo minus lætos ex Oriente allatos admitterent nuncios.* Id. p. 59. Confer p. 744.

VIII. *Belli huius funeſti & exitialis exitum adeò fuiſſe infelicem*, ut ipſa propterea multorum fides vacillare cœperit. *Matth. Par.* p. 750. *Cæperunt igitur (cùm non mediocriter conditio deteriorari, & fama in conſpectu omnium vileſcere cœpiſſet) multi, quos firma fides non roboraverat, tam deſperatione & blasphemiis, quàm fame contabeſcere. Et fides heu, heu, multorum cœpit vacillare, dicentium ad invicem, Vt quid dereliquit nos Chriſtus, pro quo & cui hactenus militavimus? Iam multoties noſtris diebus victi confundimur, & hoſtes noſtri, imò Chriſti, de noſtro ſanguine & ſpoliis gloriantur triumphantes. Primò apud Damiatam civitatem iſtam, quando Nili fluentis circumdati compulſi fuimus Damiatam tanto ſanguine acquiſitam reſignare. Iterum non procul ab Antiochia, Templi inclita militia, ſignifero*

fero detruncato, victa confundebatur. Iterum à Saracenis; paucis annis evolutis apud Gaza*ram occubuimus à Comite Richardo quodam Anglico prius redemti, poſtea vero à Choroſminis ferè tota Chriſtianorum univerſitas in terra ſancta trucidabatur, qui loca omnia, quæ dicuntur ſancta, polluentes deſtruxerunt.* Mo*do vero, quod omnibus gravius eſt Rex noſter Chriſtianiſſimus, miraculosè ſuſcitatus à mortuis cum tota Franciæ nobilitate ignominioſo patet diſcrimini; factus eſt nobis Dominus velut inimicus. Et qui ſolet dici Dominus Exercituum, nunc, proh dolor, à ſuis hoſtibus tanquam multoties ſuperatus aſpernatur. Quid nobis noſtra devotio, religioſorum orationes, amicorum noſtrorum proſunt eleemoſynæ? Nam quid melior eſt Lex Mahometi lege Chriſti?*

IX. Utut verò ad nutum penè Arabibus contra Chriſtianos bello diuturno, & minus prudenter ſuſcepto, implicitos, omnia ſucceſſerunt, *eosdem* tamen *variis hoc ſeculo preſſos fuiſſe calamitatibus* certum eſt. Urgebantur 1. *bellis inteſtinis*, præſertim an. Ch. 1229. a. 1252. *Calv.* & an. Chr. 1258. *Gene. illud* Hieroſolymam Chriſtianis Zelacheddinum reddere; *iſtud* Bagdadi Sultanum inducias cum Galliarum Rege facere; *hoc* Bagda-

do Caliphas abire cogit. 2. A Tartaris pene opprimebantur. Vide ſup. p. 488. qua etiam occaſione Bagdadum amiſere: *Ib.* Et *Geneb.* pag. 637. *Circa annum* 1258. *totum* Regnum *Perſarum Sultanis diſſidentibus Haalonus* (Archont. Coſ. habet Olacuſa: nos, ex Seph. Juchaſ. Halcæũ vocamus vel Hilcæum, vide ſup. p. 486. 487.) *Tartarus eripuit; perſuaſu Haitonis* (eſt nobis *Hita* ex eodem ſcriptore Hebræo, Halcæi frater) *regis* Armeniæ, *captata Babylone ſive Bagdad & Chalifa, cuius regnum circiter ſexcentos annos duraverat, nempe ab Omare Muhammedis nepote. Regnum autem Perſarum, cum extinctis veteribus eorum Principibus fuiſſet penes Saracenos, annis* 207. *&* Mahomet *ultimus, contra aliquot* Sultanos *& Turcas armâſſet, atque ab iis poſtea regno exutus eſſet, ad Turcas devenit an. Chriſt.* 1055. *per annos* 203. *usq; ad annum* 1258. *quo iam penes Tartaros fuit usq; ad an.* 1350. 3. *Incendio* fanũ Meccanum conteritur, *Matt. Par.* p. 919. 4. *In Hiſpaniis feliciſſimè pugnant.* Majoricam diu poſſeſſam amittunt; Eremitam item & Valentiam, à Legionis & Caſtellæ regibus occupatam. Vide *Geneb.* p. 631. *Calviſ. Cent. Magd.* a. Ch. 1227. De his Chriſtianorum victoriis ſcribit *Matth. Par.* pag. 421. *Eodem anno ordinatæ ſunt Eccleſiæ & Prælati*

in

in Corduba civitate Hiſpaniæ. *Quia, ſicut prætactum eſt, die Martis in Hebdomada Paſchæ capta eſt magna civitas Corduba in Hiſpania, in qua ſe natum fuiſſe commemorat Lucanus, dicens*: Corduba me genuit. *Capta vero eſt ab Alphonſo* Rege *Caſtellæ Chriſtianiſſimo. Qua capta & Chriſtianis dedita cumulatum & additum eſt gaudium gaudio, ſcilicet à captione Inſulæ magnæ & opulentiſſimæ Maioricæ paganiſſimæ. quæ fuit piratis & veſpilionibus referta, mercatoribus & peregrinis, præcipuè Chriſtianis inimiciſſima, qui inter Africanas &* Hiſpanas *regiones transmeârunt. Inſula continet* 32. *caſtra. Et ad maioris gaudii augmentum, anno proximo præterito capta fuit à* Rege Arragoniæ *civitas magna Borianna, & caſtrum inexpugnabile Penuſcula, per ingenium aſperrimum, arietum ad Paſcha paganorum immolandorum, quia quod viribus fuit impoſſibile, ſupplevit ingenio excogitato. Capta eſt infra biennium Corduba civitas, Maiorica Inſula, Borianna civitas, Penuſcula caſtrum, & hæc omnia poteſtati Chriſtianorum in Hiſpania feliciter mancipata. Hiſpalim* cepit Ferdinand⁹ die 22. Decemb. 1248. De *Valentiæ* Regno à Jacobo Arragonio, Mauris extorto,

to loquitur *Bzov.* an.Ch.1238.S.10. Vide eundē a.Ch.1266. S.15. de *Mauris Granatenſibus* feliciter ab Alphonſo Caſtellæ Rege ſubactis. *Ib.* an.Ch. 1270.S.1. recenſet trajectum Ludovici in Africam, eiuſque contra Mauros victorias. An.Chr. 1212. S.1. habet deſcriptionem victoriæ, quam confœderati Reges contra Mauros deportârunt. *Afri* etiam inſolentiores repelluntur. In Hiſpaniam enim transfretatur Arragoniæ Regi meritas dant pœnas: *Calviſ.* an.Ch.1213. Sed & Caroli Siciliæ Regis, Francorumque opera Tunetum captum, Chriſtianos carceribus dimiſſos, Monaſteria ubique extructa, ad an. Chr.1270. refert *Geneb.* Plura de his Chriſtianorum in Hiſpania ſuc eſſibus commemorat author *Fortal. fidei*, lib.4.conſid.9.pag.137. & deinc. Sed & Catalogus ſupra à nobis poſitus ſufficere poteſt. Multum hic debebatur Ferdinando, Legionis & Caſtellæ Regi, qui Maurorum domitor vulgò dicebatur. Hic mediis immixtus hoſtiū phalangibus ingeminare ſubinde ſolebat illud Pſaltis: Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Interrogatus aliquando, cur ſupra majores ſuos fines Regni felicius propagâſſet, fertur iſtud ſempiterna memoria dignum reſpondiſſe: Patres, inquit, mei fortaſſis animo gerebant Principatum terrenum exaltare potiùs, quàm fidem plantare, augere ſibi populum multum, ſed non ſtabilire divinum cultum: ideo decepti ſunt in adinventionibus ſuis. Itaque in ipſa acie

acie ſolebat ad cœlum attollens oculos orare, & teſtari: Tu Domine, qui ſcis corda & renes hominum, nôſti, quia non meam, ſed tuam gloriã requiro, non tam caducorum regnorum, quàm fidei Catholicæ, Chriſtianæque Religionis augmentum deſidero. Denique ſemper illud confitebatur, non meritis ſuis, ſed infidelitate hoſtium cauſam illam juvari. Vide *Bzov.* an. Ch. 1231. S. 10.

Sectio III.

De

GENTILISMO.

Eſt hoc ſeculo celebris converſio [*a*] Poruſſorum, [*b*] Jazygum & [*c*] Tartarorum, qui Chriſto nomen dederunt.

[*a*] Per id tempus, ſcribit *Bzov.* an. Ch. 1220. S. 5. Pruſſi Gentiles, Criſtino Palatino Plocenſi, homine rerum in Poloniæ regno potente defuncto, animis reſumtis adeò audaces evaſerunt, ut non tantùm ſuos provinciales, verum etiam conterminos Chelmenſes & Maſovios infeſtarent, ferro & igni longè latéque graſſantes. Quibus cohibendis cum Conradus Dux Maſoviæ par eſſe per ſe ipſe non poſſet, cruce ſignatos milites in auxilium contra barbaros, Chriſtiani

Mona-

Monachi Ciſtercienſis opera, undequaque evocavit. Inter quos facilè principes erant Leſcus Poloniæ, & Henricus Barbatus Sileſiæ Duces, complures Epiſcopi, & multi è nobilitate Polonica. Quorum ope cùm Culmenſem & Lumbavienſem tractum, Maſoviæ ſuperiori tempore à Pruſſis detractum in poteſtatẽ ſuam redegiſſet, Chriſtianum ibi primum Epiſcopũ Pontf. Max. Honorii authoritate, quo per eum Barbari ad religionem Chriſtianam adducerentur, conſtituit, eiq; & ſucceſſoribus ipſius Epiſcopis Pruſſiæ (ſic enim tunc appellati ſunt, qui deinde Culmenſes dicebantur) partem ditionis Culmenſis, & in reliquo territorio Culmenſi dimidiam partem ducalium proventuum, & in arce jus curiã ſibi & fratrum ſuorum collegio conſtruendi, ipſi conceſſit, Nec tamen ab illo cruce ſignato Exercitu perdomari Pruſſi potuerunt, propterea Conradus, inito conſilio & miſſa ad Albertum Archiepiſcopum Rigenſem legatione, *Sodales* ſive Fratres militiam Chriſti profeſſos, qui rubri enſis imaginem cum cruce in Pallio *inſutam* geſtant, è Livonia evocavit, eiſque *Dobrinenſem* tractum inter Camenizam & Culmenizam rivos attribuit, ut ſibi contra Pruſſos præſtò eſſent. Verùm & ii quoque uno prælio, quod biduo durâſſe memoratur, obtriti à Pruſſis Paganis, ac deleti ſunt, ita ut quinque ſoli evaderent, qui & ipſi Dobrino repudiato in Livoniam reverterunt. Victi tandem an. Chr. 1255. à Cruciferis Sambienſes

enſes in Boruſſia religionem Chriſtianam recipere fuerunt coacti. *Cal. Buchholzerus* primā ordinis Teutonici adverſus Pruſſos Idololatras, qui armis domiti ad Chriſtianiſmum paulatim acceſſerint expeditionem, refert ad an. Ch. 1217. Et *Geneb.* p. 631. in Cæleſt. IV. *Dei parmi milites, qui & Mariani dicuntur; Teutonici poſt Ptolemaidam in Syria amiſſam in Germaniam reverſi, ne otio marcerent, concedentibus Friderico 2. & Maſſoviæ ducibus, Pruſſiam, Germaniæ & Sarmatiæ participem & conterminam armis acquirunt, & Chriſto ſuoque perpetuo iuri addicunt.* Ab hac victoria dicti ſunt *Boruſſiaci.* Vide *Arch. Coſm.* l. 3. p. 5. *Crantz.* Vandal. l. 7. p. 21. *Naucl.* Vol. 2. gen. 42. Atque hac ratione Boruſſi etiam Chriſto acceſſerunt. Difficulter tamen valedicere eos patriis Numinibus poſuiſſe, vel hinc patet, quòd a. Ch. 1240. ſuaſu *Suentopelci* Chriſtianam religionem abjicientes, Germanos Polonosque omnes, qui apud eos negotiabantur uno die trucidârint. Sic an. Chr. 1254. *Mondanus*, Lithuanorum dux contemptis Chriſtianorum ſacris, quæ ad tempus ſimulatè ſuſceperat, ad ſuos redit, Chriſtiani nominis infenſiſſimus; *Gene. Bzov.* a. Ch. 1254. *S.* 8.

[*b*] *Iazygum* gens, quæ ſæpius Poloniam vaſtaverat, à Boleslao pudico rege, circa an. Chr. 1264. ferè tota deletur, & reliquiæ ejus ad amplecten-

ctendam Religionem Chriſtianam adiguntur: *Hiſt. Pol. Calv.*

[*c*] Rex Armeniæ Haiton, cùm videret Saracenorum incrementa in Palæſtina ſibi metuens, mittit fratrem ſuum ad Mangonem, magnũ Chan Tartarorum, petitq; ſalvum conductum, ut ſibi liceat eum accedere. Cùm id obtineret, perſuadet Tartaro, ut religionem Chriſtianam ſuſcipere & colere velit, & Saracenos, omnesq; Muhammedanos perſequi, ſibique auxilia neceſſaria contra Saracenos tribuere. Dum omnia obtinuiſſet, cum valido exercitu ex Tartaria regreditur. *Cal.* an.Ch.1253. ex Mar. confer *Matth Par.* p.744. *Bzov.* an.Ch.1248. *S.* 9. *Bal.* pag.303. *Geneb.* p.635. Et p.639. *Tartarorũ duces quidam in Aſia religionem Chriſtianam ſuſceperunt, & magnas res in Syria & Perſia ſociis Armeniorum* Regibus*, contra Saracenos & Ægyptios aliquandiu geſſerunt. E quibus unus Caſſanus ſucceſſoribus ſuis Perſarum Regibus nomen dedit.* Crom.lib.9.Pol.Sic pag.685. *Miraculosè per uxorem filiam* Haitonis *Regis Armeniæ Mangu-Chan Tartarorum à* Gin*kis-Chan quintus converſus baptizatusq; eſt cum fratre Allan ſive Hielon & tota familia. Deinde* Allan *exercitum in Palæſtinam duxit, habens in vexillo Chriſti crucifixi effigiem*

giem, contra Cathos Melechmees ut Hieroſolymam *reciperet. Mox tamen redierunt Tartari ad priſcam impietatem. Unde hodie ſunt* Mahometani, *vel potius Sagomorbarei. Nam habent* Sagomorbar *Chan, pro magno Propheta, ut Turca Mahometem, qui de Deo uno, & Politia, & moribus aliqua eis dictata reliquit, inter quæ eſt edictum, quod uſque hodie jurant* Succeſſores *Ginkis-Chan, de non affligendis Chriſtianis, neque tributo ab eis exigendo copioſiore, quàm à reliquis.*

Cauſæ repentinæ hujus Apoſtaſiæ ſine dubio fuerunt vel vanæ illæ ſuperſtitiones, quas Franciſcani & Dominicani Monachi recens converſis obtruſerunt, vel quod Romani alii eſſent fama, alii re ipſa. Agnovit hoc Bzov. an. Ch. 1258. S. 9. Cùm enim ad Pontificem, Innocentiũ IV. mittere vellent Legatos Tartari, *diſſuaſerunt hoc per cauſam, quod illis iter eſſet faciendum per* Gentes, *quas Tartari ferro facibusq; evaſtâſſent: has à recenti memoria cladium minus tutum iter daturas.* Sed *major cogitatio pectori inſederat. Multa vidiſſent Tartari, contra atq; viri ſancti viſi fuerunt collaudandis noſtræ religionis hominibus jactâſſe, ſpopondiſſeque; conſpexiſſent bella inteſtina; Cæſarem in Pontificem verſum:* Guelfos *in Gi-*

bellinos, ut nefarios & ſceleratos arma ſacra gerere: Gibellinos jurium Imperii ſpecie gloriantes, ſpecieque partis ſuæ cupiditati inſervire, nulli nefario ſceleri non prætendi nomen pietatis, animi demiſſionem verbis collaudari, re nullam eſſe: faſtum ſuperbiamque dominari: virtuti nullum locum, divitias in honore, in pretio, admirationi eſſe, Confer *Cent. Bal.* p. 303. alii tamen aliter. Adi *Archont. Coſm.* l. II. p. 180. de diverſitate Religionis Tartarorum: unde patet, ſubinde aliquos inter Tartaros Chriſtianorum ſacra fuiſſe ſecutos. De variis autem Tartarorũ eruptionibus, moribus & origine, Imperio, Imperatoribus, incremento, decremento conſuli poſſunt. *Matt. Par.* p. 528. 538. 455. præſertim p. 589. *Gene.* p. 688. *Arch. Coſm.* lib. 2. p. 170. & deinc.

Livonum etiam converſionem ad hoc ſeculum referunt, vide *Geneb.* pag. 625. & *Bzov.* a. Ch. 1213. S. 13. *Non ſegnior fuit Innocentius in* Gentili*bus convertendis. Epiſcopus Ecclienſis cum militibus Chriſti multum operæ poſuerat in Livonia luce Evangelica illuſtranda.* Huic *lumini nonnihil Epiſcopus Rigenſis reſiſtebat. Quapropter Innocentius eidem præcepit, ut pactis cum militibus conventis acquieſceret, neq; eos in ædificandis Eccleſiis, præſertim in Inſula Holinenſi impediret. Lundenſi quoq; Archiepiſcopo,*

po, ut apud Sachelam & Hugenhuſen, quæ verbum Dei receperant, Eccleſiam Cathedralem erigeret, commiſit: atq; univerſis Chriſti fidelibus tum in Saxonia, tum in Polonia injunxit, ut Epiſcopo Ecclienſi in Gentium converſione laboranti auxilia miniſtrarent.

Jam ante tamen Livoniam Evangelii luce fuiſſe illuſtratam, ſupra monuimus *Sec.* X. p.128.

Sectio IV.

De

JUDAISMO.

I. Judaiſmi Hiſtoriam pleniſſimè proponimus accurata indagine 1. *Politia*. 2. *Religionis*. 3. *Studiorum*.

II. De *Politia* Gentis perverſæ [*a*] & protervæ plane fuit actum. [*b*] *Exiliis* ubiq;, tributis, [*c*] & exactionibus Principum, vexata [*d*] direptionibus etiam, [*e*] atq; libidini plebis expoſita, neci [*f*] inſuper ob ſcelera & flagitia data, emendicatā ſuam inter Chriſtianos & Sara-

cenos, vel pretio redemtam ſpirandi commorandive libertatem tutò [g] paucis in locis obtinuit. Quæ verò ampullis & ſesquipedalibus verbis tum de [h] regimine ſuo Judæi, tum de ſplendidis [i] jactant natalibus, tum etiam de Chriſtianorum in [k] Rabbinos ſuos favore garriunt, incerta ſunt, & ſubleſta fecis maledictæ fide ſuffulta.

[a] Fatentibus ipſis Judæorum Magiſtris. Vide ſup. p. 237.

[b] Ejecti fuerunt I. *Gallia* an. Ch. 1253. Mandat enim Ludovicus Rex, ex Palæſtina redux, ut regno ſuo expellantur, cùm ob id Chriſtiani apud Saracenos male audiant *quaſi parum diligerent Chriſtum, qui hoſtibus ejus hoſpitium præberent. Matth. Par.* p. 134.) relinquebantur tamen, qui victum manu quærebant. *Par. Calviſ.* Et an. Ch. 1295. Judæi tertio à Philippo Pulchro tota Gallia ſpoliati & exacti ſunt. *Geneb.* Pulſi Judæi migrarunt in Germaniam. Unde Elias in Tisbite monet, Judæos Germanos de radice ſive trunco Germanorum eſſe. Expulſionis huius Gallicæ meminerunt *Schebeth Iehuda*, *Seph. Iuch.* p. 133. a. *Schalſch.* 59 a. *Zem. David.* P. 1. p. 58 R. *Levi, Ben Gerſon*, Comment. in Pentat. F*atentur, alterum tantum illo tempore periiſſe fame, peſte & gladio eorum, qui Ægypto ſunt egreſſi.*

Ex

Exutis omnibus facultatibus ſolum vertere coactos, ſolarum veſtium copiam obtinuiſſe. Refertur hæc perſecutio à Judæis in an. M. 6066. Poſtea a. M. 6088. *Surgentes populi Franciæ in Iudaeos, ut omnes perderent, qui in regno Navarreno ſupereſſet, occiderunt* 6000. *Zem. Dav.* P. 1. 58. b. Ejusdem cædis meminit R. *Gedal.* in Schalſ. p. 60. b. *Intra* 5. *menſium ſpatium,* inquit, *omnes Iudæi interfecti ſunt, qui in regni Navarreni limitibus morabantur.* II. *Anglia.* A. Ch. 1290. Judæi ex Anglia in univerſum pelluntur. *Par. Calviſ. Schebeth Iehuda, Zem. Dav.* P. 1. p. 57. b. *Polyd.* l. 17. Hiſtoriæ Anglicæ: Concilium Londini celebratur, in quo imprimis agitatum eſt de ejectione Judæorum: *Bal.* Cent. p. 347. III. Germania. a. *Francia Orientali. Bzov.* an. Ch. 1298. S. 1. *Iudæi Norimbergæ ac in Francia Orientali gladio atque incendio,* (de quo fortè ſermo eſt in *Zem. Dav.* P. 1. p. 58. a.) *extincti ſunt.* Ineptus ille parallelismus, quem homo impudens ſubjicit, non parum movet. Sua facile ruit mole.

[c] In Caſtiliæ regno magnum ſolviſſe tributum teſtatur *R. Ged.* p. 59. a.

[d] *Matth. Par. Eodem* (a. Ch. 1239) *anno die Sancti Albani Anglorum Proto-Martyris, & in craſtino, paſſi ſunt Iudæi exterminium magnum, & deſtructionem, eosdem arctante & incar-*

incarcerante, & pecuniam ab eis extorquente Galfrido Templario, Regis ſpeciali conſiliario. Anno etiam Chriſti 1210. Angliæ Rex Judæis pecuniam aufert, & cuidam pecuniam ſuam abſcondenti ſingulis diebus ſingulos dentes excuti juſſit: cùm is ſeptem jam dentes amiſiſſet, pecuniam ſuam Regi obtulit: *Calv. Par.* Alio tempore ab unico Judæo Abarone Eboracenſi Rex Angliæ quatuor marcas auri & quatuor millia argenti emunxerat; *Par.* p. 586. Et P. 874. ſcribit: *Cum carnisprivii tempus advenisset Rex à Iudæis, licet multoties depauperatis exegit cum magna inſtantia octo millia marcarũ, ſub pœna ſuſpendii tempeſtivè ſibi perſolvenda. Ipſi verò videntes, nihil aliud ſibi imminere niſi exterminium cum confuſione, reſponderunt omnes unanimiter: Domine Rex, videmus quod nec Chriſtianis parcis, nec Iudæis, quia omnes argumentoſe ſtudeas depauperare, nulla nobis ſpes eſt reſpirandi, uſurarii Papæ* (eandem ferè querelam movent apud *eundem* p. 859.) *nos ſupplantaverunt, permitte nos exire de regno tuo ſub ſalvo conductu. Factus autem alter Titus vel Veſpaſianus vendidit judæos per aliquot annos Comiti Richardo fratri ſuo, ut quos Rex excoriaverat, Comes eviſceraret.* Sed & Regem Majoricæ libros & facultates judæo-

dæorum direptioni addixiſſe, teſtatur *R.Gedal*. p.59.a. Confer. p.60.a.

[*e*] 1. In *Gallia*. Vide ſup. lit.b. 2. In *Germania*. An.Ch.1282. Moguntini cives feria 2. Pentecoſtes in judæos inſurgunt, multos interficiunt, reliquos, bonis exutos civitate ejiciunt. Horum exemplum multæ civitates in Germania ſunt ſecutæ. *Calv. Trith*. De inſidiis tempore R. Jechelis iisdem ſtructis agit R. Gedal. pag. 57. a. Confer quæ de Judæis, in Hiſpania vexatis habet *Par*. p.416.

[*f*] Ut ſunt 1. *Vſura*. An. Chr. 1264. Judæi 500. à civibus Londinenſibus occidebantur, ob execrabilem eorum uſuram. 2. *Fraudes* in minutione monetæ A.Ch.1278. ob aureorum nummorum minutiones longo tempore furtivè per eos factas 284. Judæorum ſunt laqueis ſtrangulati, fuitque monetæ reformatio. *Bal*. Cent. p. 347. 3. Varia *Infanticidia*. *Matth. Par*. 883. *Anno quoque ſub eodem, circa feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, Iudæi Lincolniæ furati ſunt unum puerum*, Hugonem *nomine, habentem ætate octo annos. Et cum ipſum in quodā conclavi ſecretiſſimo lacte & aliis puerilibus alimentis nutrirent, miſerunt ad omnes ferè Angliæ civitates, in quibus Iudæi degebant, & cōvocaverunt de unaquaq; civitate aliquos ju-*

daorum, ut in contumeliam & opprobrium Ieſu Chriſti intereſſent ſacrificio ſuo Lincolniæ. Habebant enim, ut dicebant, puerum quendã abſconditum ad crucifigendũ, & convnerunt multi Lincolniæ. Et convenientes conſtituerunt unum judæum Lincolnienſem pro judice tanquam pro Pilato. Cuius judicio, & omniũ favore, affectus eſt puer diverſis tormentis. Verberatus eſt usque ad cruorem & livorem, ſpinis coronatus, ſputis ac cachinnis laceſſitus. Et inſuper à ſingulis punctus cultellis, potatus felle, deriſus probris & blaſphemiis & crebro ab iisdem frendentibus dentibus, Ieſus vocatus. Et poſtquam diverſimode illuſerant ei, crucifixerunt. Et lancea ad cor pupugerunt. Et cum expirâſſet puer, depoſuerunt corpus de cruce, & neſcitur, qua ratione eviſcerârunt corpuſculum. Dicitur autem, quod ad magicas artes exercendas. Mater *autem pueri filium ſuum abſentem per aliquot dies diligenter quæſivit, dictumq; ei à vicinis, quod ultimo viderunt puerum quem quæſivit, ludentẽ, cum pueris judæorum ſibi coætaneis, & domum judæi cuiusdam intrantem. Intravit igitur mulier ſubito domum illam, & vidit corpus pueri in quendam puteum præcipitatum. Et caute convo-*

convocatis civitatis Ballivis inventũ eſt corpus & extractum. Et factũ eſt mirabile ſpectaculum in populo. Mulier autẽ, mater pueri querula & clamoſa, omnes cives in uno convenientes ad lacrymas & ſuſpiria provocavit. Erat autẽ ibidem Dominus Iohannes de Lexintona, vir quidem circumſpectus & diſcretus, inſuper eleganter literatus. Qui ajt: Audivimus quandoq; , quod talia judæi in opprobriũ IeſuChriſti Domini noſtri crucifixi, non ſunt veriti attentare. Et capto uno iudæo, in cuius domum ſcilicet intravit puer ludens, & ideo aliis ſuſpectior, ait illi: Miſer, neſcis quod te feſtinus manet interitus? Totum aurum totius regni Angliæ non ſufficeret ad ereptionem tuam aut redemtionem. Verumtamen dicam tibi, licet indigno, qualiter poteris vitam reſervare & membra, ne mutileris. Vtrumq; tibi ſalvabo, ſi quæcunq; in hoc caſu aguntur, ſine falſitate mihi pandere non formides. Iudæus igitur ille, cui nomen Copinus, ſic credens viam inveniſſe evaſionis, reſpondit dicens, Domine Iohannes, ſi dictis facta compenſas, pandam tibi mirabilia. Et animavit eum & ſtimulavit ad hoc Domini Iohannis induſtria, & ait iudæus: Vera ſunt, quæ dicunt Chriſtiani, iudæi

fere quolibet anno unum puerum in injuriam & contumeliam Ieſu crucifixerunt; ſed non quolibet anno comperitur. Occultè enim hoc faciunt, & locis abſconditis, & ſecretiſſimis. Hunc autem puerum, quem Hugonem vocant immiſericorditer noſtri judæi crucifixerunt, & cum obiiſſet, & mortuum vellent abſcondere, non potuit obrui in terra, nec ſcondi. Inutile enim reputabatur corpus inſontis augurio: ad hoc enim eviſcerabatur. Et cum manè putaretur abſconditum edidit illud terra & evomuit, & apparuit corpus aliquoties inhumatum ſupra terram, unde abhorruerunt judæi. Tandem in puteum præcipitatum eſt, nec adhuc tamen poterat occultari. Mater enim improba omnia ſcrutando, tandem corpus inventum Ballivis intimavit. Dominus autem Iohannes tenuit Iudæum vinculis mancipatum. Et cum hæc Canonicis Eccleſiæ Lincolnienſis Cathedralis innotuiſſent, petierunt corpuſculum ſibi dari. Et conceſſum eſt illis. Et cũ ab infinitis ſatis conſideraretur honorificè in Eccleſia Lincolnienſi, tanquam pretioſo Martyris humabatur. Sciendum, quòd judæi tenuerant puerum vivum per decem dies, ut tot diebus paſtus lacte tormenta vivus multiformia tole-

Digitized by Google

toleraret. Cum Rex rediiſſet de partibus borealibus Angliæ, & certificaretur de præmiſſis, increpavit D. Iohannem, quod tam flagitioſo vitam & membra polliceretur, quod dare nequiverat. Dignus enim erat blaſphemus ille & homicida mortis pœna multiformi. Et cum judicium reo immineret irremediabile, ait; Imminet mihi mors mea, nec poteſt mihi Dominus Iohannes perituro ſuffragari. Nunc dico vobis omnibus veritatem. Huius pueri, de quo calumniantur Iudæi, morti conſentiebant omnes ferè Iudæi Angliæ. Et cuiuslibet fere civitates Angliæ, in qua Iudæi habitabant, quidā electi convocabantur, ad illius pueri immolationem, quaſi ad paſchale ſacrificium. Et cum hæc dixiſſet, ſimul cum aliis deliramentis ligatus ad caudam equinam, & tractus ad patibulū aeris cacodæmonibus in corpore & anima præſentatur. Et alii Iudæi, huius facinoris participes quater viginti & undecim in bigis Londinum ducti carcerali cuſtodiæ mancipantur.

Idem ſcelus patratum ſcribitur aliàs, tum in *Anglia*, Matth. Par. p. 625. tum a. in *Hiſpania*, a. Ch. 1250. *Calv.* b. In *Helvetia* Bernæ; *Faſcic. temp.* p. 83. a. *Steil.* annal. Helv. pag. 20. *Tſchachel.* Hiſt. Helvet. Mſc. p. m. 38. c. In Germania, in Diœceſi Herbi-

Herbipolenſi, & Monachii; *Calv.* an. Chr. 1288. Veſaliæ, *Geneb.* an. Ch. 1287. In oppido Fuldenſi, *Bzov.* an. Chr. 1236. S. 16. d. In Hiſpania, Cæſaraugustæ *Id.* an. Chr. 1250. S. 18. 4. *Circumciſiones puerorum Chriſtianis ereptorum.* Exempla habet *Matth. Par.* p. 514. 395. 5. Multa etiam referuntur de hoſtiis à Judæis in mortario contuſis, & miraculosè proditis. Vide *Calviſ.* 1298. *Naucl.* Gen. 44. p. 239. a. Ad quæ exempla ſupra reſpondimus. 6. Acceſſit tum *invidia*, qua credebantur Chriſtianis ſupprimere libros, vaticiniis de Chriſto Servatore plenos, quo loco habebantur Teſtamenta XII. Patriarcharum, ex Hebræo in Græcũ, & deinceps in Latinum translata, *Matth. Par.* pag. 577. tum *perfidia*, quâ factum, ut arma cum Tartaris contra Chriſtianos ſociare cogitarent. Qua de re *Matth. Par.* p. 545 *Labentibus autem illorum dierum curriculis multi Iudæorum de partibus transmarinis, præcipuè autẽ de Imperio credentes, quòd plebs Tartarorum & Cumanorum eſſent de genere eorum, quos Deus in montibus Caſpiis precibus* Magni A-*lexandri quondam incluſit, convenerunt in loco ſecretiſſimo ex communi condicto. Quos, qui ſapientiſſimus eorum & potentiſſimus videbatur, ſic alloquitur: Fratres, qui eſtis ſemen Abrahæ præclari, vinea Domini Sabaoth: Deus noſter Adonai, nos diu ſub poteſtate Chriſtia-*

ſtianorum permiſit affligi. Sed nunc venit tempus quo liberamur, ut ipſos vice verſa Dei iudicio opprimamus, ut ſalvæ fiant reliquiæ Iſrael. Exierunt namq; Fratres noſtri, tribus ſcilicet Iſrael, quondum incluſæ, ut ſubdent ſibi & nobis mundam univerſum. Et quantò præceſſit clarior & diuturnior tribulatio, tantò major gloria ſubſequetur. Occurramus ergo eis in muneribus pretioſis, ipſos cum ſummo honore ſuſcipientes. Vino, armis, indigent & frumento. Quod verbum cum gratanter omnes accepiſſent, ut ſecretius fraudem ſuam occultaaent, gladios & cultellos atque loricas quaſcunq; poterant venales invenire emerunt, & in doliis ordinatè repoſuerunt. Dixeruntq; palàm Chriſtianis, quorum poteſtati ſubiacebant, quod illi, quos vulgus Tartaros dicebot, Iudæi erant, nec biberent vinum niſi à Iudæis vindemiatum, & hoc nobis ſignificaverunt magna inſtantia quaſi à fratribus ſuis ſibi dari talia vina, à nobis ſcilicet vindemiata, poſtulantes. Nos autem ipſos inhumanos & hoſtes publicos auferre de medio cupientes, & vos Chriſtianos ab imminenti eorum tyrannica depopulatione liberare, paravimus circiter triginta dolia vino lethaliter intoxicato referta,

ferta, ipſis quantoties referenda. Toleraverunt igitur Chriſtiani, ut ipſi Iudæi tale xenium ſcelerati ſceleratis obtuliſſent. Sed cum in remotas partes Alemaniæ perveniſſent, & cum doliis ſuis quendam pontem tranſire pararentur, dominus pontis, ut moris erat, vectigal pro tranſitu ſibi reddi poſtulavit: Ipſi autem frontoſe reſpondentes, & poſtulata reddere renuentes, dixerunt, quod pro utilitate Imperii, imò totius Chriſtianitatis his negotiis ſollicitarentur, directi ad Tartaros, ipſos vino ſuo cautius potionaturi. Cuſtos vero pontis ſuſpectam habens Iudæorum aſſertionem, unum doliorum terebrando perforavit, nec inde ullus liquor eliquatus diſtillavit. Inde certior de fraude effectus, circulis ejectis illud dolium confregit, & apparuit armis diverſis refertum. Exclamans igitur, ô proditio inaudita, ut quid tales inter nos patimur converſari? Et ſtatim ipſe & alii, quos ſtupor convocavit, alia omnia dolia, quæ protinus confregerunt, plena gladiis Colonienſibus ſine capulis & cultellis, ſine manubriis, ordinate & conſerte repoſitis invenientes omnibus in propatulo monſtraverunt, fraudis inauditæ laqueos abſconditos Iudæorum, qui publicis mundi ho-

di hoſtibus, qui, ut dicebatur, armis maxime indigebant, maluerunt ſubvenire, quam Chriſtianos, qui inter ſe ipſos tolerant converſari, & in venalibus communicare. Traditi igitur ſunt ipſi Iudæi tortoribus, vel perpetuo carceri merito mancipandi, vel ipſis gladiis trucidandi.

[g] Sic magno ſe numero Judæi vixiſſe, jactitant Judæi ipſi. *Iuchas.* p.132.b. R. *Eliakim in ſuo libro teſtatur, ſe vidiſſe Toleti Iudeaorum plures quàm* 22000. conf. *Zem. Dav.* P.1. p.57.a.

[*h*] Occurrunt enim nomina adhuc Æchmalotarcharum; *Schalſch.* p.59. a. Principatus, Principum, ſeminis Principum, *Id.* pag.56. b. 57.b. 58.b.

[*i*] Ut ſunt *Iachiadæ*, R. *Iona* & R. *Aharon* ex ſemine Principum oriundi, *Iuch.* p.132.b.

[*k*] Exempla Judæi oſtendunt 1. in *Iechiele*, Rabbino illo Thaumaturgo, quem Galliæ Rex aulico ſuo addidit comitatui, conſiliisque adhibuit, *Schalſch.* p.57.b. propterea quod, ut ne legẽ transgrederetur divinam, vinum deguſtare regium detrectavit. 2. *Don Gedalia*, filius Principis Salomonis, quem Rex conſiliarium ſuum conſtituit & Medicum. *Schalſ.* p.57.b. 3. R. *Iuda*, filius Rabbi Moſche, quem Rex Arragoniæ Alfonſus, ex Arabico in Latinũ transferre juſſit librum

brum Abualhaſin, quem de 1022. ſtellis, quæ hactenus innotuerunt, compoſuit. *Iuch.* 132. b. 4. R. *Iona*, cui idem Rex promiſit judicare de mercatore quodam: *Id. Ib.* Hoc unum in Chriſtianorum ſcriptis obſervati, quod internuncii ſæpe adhibiti fuerint inter Hiſpaniarum & Africæ Reges *Bzov.* an. Ch. 1221. S. 4. *Hoc anno in Hiſpanis regnabant, Legione quidem Alfonſus, apud Caſtellam Ferdinandus, in Arragonia autem Iacobus, Petri filius. His varia intercedebant negotia cum* Miramelino (ita ineptiunt omnes penè ſcriptores noſtri pro Amirolmumenin, vide *Hiſtor. Orient.* pag. 276.) Marochianorum *Sultano, cum quo & Saracenis Hiſpaniarum ſape ſæpius decertabant. Cæterum cum internunciis, non quidem Chriſtianis, ſed Iudæis uterentur, qui conſilia Chriſtianorum Saracenis aperiebant, eosq; in perniciem Chriſti fidelium inſtruebant, non diſſimulandum putavit* Honorius, *quin ſingulos admoneret, ne perditorum conſortio rem in diſcrimen adducerent. Poterant tergiverſari* Reges, *ne intermitterent eas miſſiones. Cæterum* Honorius*, ut vel invitos compelleret, Legionenſi & Zamorenſi Epiſcopis, ut Alphonſum: Archiepiſcopo Toletano, & Burgenſi atque Palentino Epiſcopis, qui Ferdinandum*

Archi-

Archiepiſcopo Tarraconenſi atque Epiſcopis Barchinonenſi & Illerdenſi, qui Iacobum à ſententia & ab Hebræorum conſuetudine per cenſuras, ſi opus foret, dimoverent.

III. Religionis ſuæ promovendæ ſtudio ita Judæi flagrabant, ut vitam amittere, quàm vel [a] majorum ſuorum limites tranſilire maluerint. [b] Miracula etiam, [c] martyria, [d] ſanctitatem, ſuperſtitionis [e] incrementa, variasque pro ea [f] diſputationes jactant. Chriſtiani interim ſcriptis [g] Talmudicis tollere juſſis, [h] converſioni eorum diligentius invigilant. Unde non [i] pauci hoc ſeculo Judaiſmo deſerto in Chriſtianorum Sacra & Caſtra tranſierunt.

[a] *Guilelmus Rihanger*, Matthæi Paris continuator, p. 958. *Eodem tempore apud Theokesbery quidam Iudæus cecidit in latrinam, ſed quia tunc erat Sabbathum, non permiſit ſe extrahi, niſi ſequenti die Dominica, propter reverentiam ſui Sabbathi, quamobrem Iudæum contigit mori propter fætorem.* De R. *Iechiele* ſcribit R. Gedal in *Schalſch.* p. 57. a. b. *In antiquo quodam obſervavi quaternione, ſanctum illum peritum fuiſſe Kabbalæ practicæ.* Ha-

 buiſſe

habuiſſe etiam in Gymnaſio ſuo lumen ex oleo, quod ubi unaquaq; veſpera Sabbathi accendit, deinceps ſine oleo per totam arſerit ſeptimanam: Id autem ita percrebuiſſe inter homines urbis, ut ad ipſum tandem pervenerit Regem Galliæ, *qui, accerſito eo, an res ſe ita haberet, quæſivit? Negavit autem, tum, ne vel ſuperbiæ, vel magiæ inſimularetur. Conſtituit igitur* R*ex oculis id ſuis uſurpare, idque, in conſilium prius adhibitis principibus ſuis, ipſa nocte diei quarti. Erat autem urbis illius conſuetudo, ut fures vel latrones Iudæorum noctu pulſarent fores, ut de rei veritate certi quid haberent. Ne vero lectio huius ſancti turbaretur, acceptum clavum terræ infixit: cumq; effractores* (fures, latrones) *quaſſarent fores, illi clavo malleo percuſſo, terra mox obruti fuerunt* V*eniente ergo Rege, foresque pulſante, malleo percutit, & e veſtigio* Rex *ad lumbos uſq; demergitur: cum ſecundo arietaret fores, ſecundo percutit, & protinus clavus longè retrocedit, unde timore Raſ perculſus*, dixit: *utique hic Rex eſt!* A*biens ergo apertis foribus, eum adoravit, dicendo: Ignoſce, quæſo, quia te non novi. Rex autem dolore vehementi afficiebatur. Quemadmodum enim extra prodibat cla-*

clavus, ita & ille ex ſepulchro. Rex *igitur & Princeps, ne terra abſorberentur, metuentes dixerunt: Raf, juva nos. Ille verò, introductos eos domum ſuam ad ignem, dulcibus refecit, ut ad priſtinum redirent robur.* Rogavit *itaque Regem, quid hac hora vellet? nonne noſſet, Spiritum Domini ad oſtium ſuum excubare, qui terram abſorbere juberet, omnes ad nocendum ſibi appropinquantes? Et niſi, inquiebat, deſcendiſſem te erepturus, abſorptus omnino fuiſſes.* Reſpondit Rex: *abſorptus utique fui, beatum verò te, qui me eruiſti. Veni autem, huc quia audivi, eſſe te peritum Magum, propterea, quòd lumen habeas absque olei alimento ardens. Regeſſit* Raf: *Non ſum Magus, Abſit! Sed gnarus ſapientiæ naturalis, novi quædam ſecreta. Et oſtendit lumen, oleo quidem deſtitutum, ſed materia olei inſtar ardente ſuſtentatum. Miratus igitur* Rex, *in palatium eum transportavit, conſiliariumque conſtituit. Et crevit vir ille divitiis & gloria. Invidiæ igitur æſtro perciti Principes, calumniati eũ ſunt, dicentes: quòd de eo calice, quẽ attigiſſet* Rex, *Iudæus non eſſet bibiturus.* Accidit *autem, ut die quodam* Rex *Iudæo calicem porrigeret, vino repletum, ut biberet. Sed*

reſpondit Raſ: Non potero hoc momento bibere; bibam tamen antequam à menſa diſcedam. Et cum appropinquaſſet tempus ablutionis manuum, quo Rex *poſt ſumtum cibum manus ex aureo polubro lavit, ut polubrum illud Regis è veſtigio acciperet, & aquas illas* Rege *& Principibus inſpectantibus hauriret, dicens:* Hoc *aquæ potu delector, quia licitus eſt; de poculo autem vini per legem bibere non licuiſſet. Et obſervavit hoc Rex, Rabbinumq; altero tantum dilexit.* Simile *quid accidiſſe audivi. R. Moſi Majmonidi & aliis.*

[*b*] Huc refer 1. Exemplum modò recitatum *R. Iechielis*, de quo & hoc commemoratur in *Iuch.* p. 132. b. quòd poſt obitum in Synagoga apparuerit. 2. R. *Moſis, bar Nachman*, quod prolixè habes in *Theſaur. Philol.* p. 448. Huc pertinet quod eodem refert R. *Gedal.* p. 56. a. *Legi*, inquit, *in antiquo quaternione*, R: Moſen Bar Nachman, *ſedem fixā habuiſſe Perpiniani, in finibus Catalauniæ, & ætate jam provectum iter ſuſcepiſſe, in terram Iſraelis, ut mereretur ibi: cumque iter jam ingrederetur, comitati eum diſcipuli ejus quærebant, ut daret ſibi ſignum, quo cognoſcerent diem mortis ejus. Et dixit illis: hoc vobis indicium ſit obitus mei.* Rumpetur *ſtatua matris meæ, quæ ſepulta eſt in hac urbe*

in

in medio tumuli. Per rupturam autem videbitis ſimilitudinem lychnuchi figurati. Abiit ergo R*af in terram* S*anctam. Tertio autẽ itineris elapſo anno invenit quidam diſcipulorũ ejus ſtatuã* (de ſtatuarum iſtarum ſepulchralium inſcriptionibus videatur *Lex Buxt.* R. Iezaf: Sed & hic Tiguri adhuc aliquot Judaicorum Epitaphiorum extant monumenta, quæ alibi fortè, caſtigata nonnihil, exſcribere licebit) *raptam, in eaq; figuratum candelabrum.* 3. R. *Amnon Moguntini Schalſch.*p.57.a. *Rabbi Amnon de Moguntia, vir, illa ætate, magnus fuit, dives, nobilis, aſpectu pulcher. Et ſolicitavit eum Dominus Moguntiæ, cum Principibus, ad* A*poſtaſiam: ſed noluit auſcultare iis. Cum autem quotidie inſtarent, nec tamen obſequi illis voluiſſet, urſit eum Dominus. Et cum fortiter preſſiſſet eũ dixit illis. Deliberato conſilio, quid facto ſit opus, poſt triduum reſpondebo. Hoc autẽ dixit, ut eos à ſe pelleret. Egreſſus verò à facie Domini, negotium accuratius expendit, quod ita ambiguè eſſet locutus, quo nomine cor eius cruciari cœpit. Et cum tertio poſt die à Domino accerſitus venire renuiſſet, invitum eum adduci juſſit, judiciaq; cum eo fuit loquutus. Sed reſpondit ei* R. *Amnon; ipſe de me ſententiam*

 feram.

feram. Lingua mea, quæ mendacium locuta, meretur exſcindi, quia cum voluiſſet ſanctificare nomen Domini, ambigua de Deitate verba effutivit. Et reſpondit Rex. *Lingua te non mutilabo, quia vera dixit. Sed pedes amputabo, quia ad me accedere renuerunt, imo in totum corpus animadvertam: Iuſſit igitur pedibus & manibus eum truncari, Et cum ad cujuslibet membri amputationem rogarent, religionem ne mutare paratus eſſet, conſtanter negavit. Supplicio autem conſummato, impoſitũ eum cum omnibus digitorum articulis domum ſuam miſit. Atque hinc vocatur* Amnon, *quod fidem ſervavit Deo vivo. Poſt hæc voluit Rabbi* Amnon *novi anni ſolennitate deduci in Synagogam ad Æditiuum, vel* Miniſtrum *Syragogæ, cui tempore Keduſcha* i.e. *ſanctificationis* (pretio eſt, quæ habetur in Judæorũ Euchologiis, ad novi anni feſtivitatem) *dixit: Subſiſte hic parum, ut ſanctificem Dei Nomen. Cumq; illam Keduſchah abſolviſſet, ſublatus et abſconditus eſt ab oculis eorum, nec amplius extitit, quia aſſumſit eum Deus. Accidit autẽ ut die tertio ſecundum quietem apperiens Rabbi Kalonymo, filio* Rabbi Meſullã, *Poeſin eum docuerit, eamq; per terminos Iſraelis ſpargi juſſerit.* Confer *Zem. Dav.* P. 1. p. 57. a. [c] U

[c]Ut eſt familia R. *Iechielis*. *Iuch*. 132. b. *Omnis illa familia* ſancta *vocatur, quia in omnibus perſecutionibus ſanctificarunt nomen Dei. Ita R. Iehuda, filius* Rabbi *Aſcher, gener* Rabbi *Iacob baal hatturim, ſanctificavit nomen Dei Toleti, ille, ſocrus eius, & uxor ejus, & filii eius, qui mutuis conciderunt mucronibus.* Idem habet R. *Gedal*. p. 60. a. cui Hiſtoriam ſubjicit Rabbi *Meir* Rotenburgenſis, quæ talis eſt: *A* M. 5065. *à creatione in carcerem compactus fuit Doctor magnus*, Rabbi Meir, *Mar* Rotenburgenſis, *quia* Rex (Rodolphum Imperatorē intelligit, confer *Zem. Dav*. p. 57. b.) *eum alicuius facti inſimulavit: Et cùm magnā pecunia ſummam ab eo peteret*, Rabbi *vero pauper eſſet, neque tantarum facultatum*; Rex *autem nollet vadem Iudæum alium, quàm Dominum Doctorem noſtrum Aſcher, diſcipulum eius, qui miſericordia erga Magiſtrum motus, vadimonium obiit*; R. *Meirum autem in ampla detentum turri bene tractârunt, uſque dum ſatis feciſſet. Interea autem* R. *Meir in carcere fuit mortuus. Dominus Doctor vero noſter Aſchar vadimonium deſerturus filium ſuum præmittit, ut Toleti viaticum pararet. Et conſtituit eū* Synagoga *ſancta caput & Ducem*

magno aſſignato ei annuo ſtipendio. Zem. Dav. P.1. p.58.b. ait, 5000. Iudæos propter ſanctificationem nominis fuiſſe combuſtos. Eadem de cauſa Norimbergæ è medio ſublatum eſſe R. Mardocæum, ſcribit *idem* p.58.a.

[*d*] Sanctos vocabant omnes Martyres. Vide lit. [*e*]

[*e*] Ut eſt 1. *rigida traditionum obſervatio.* Repete exemplum R. *Iechielis.* 2. *Superſtitioſa in Orientem peregrinatio.* Credebant enim eos, qui in terra Canaan moriuntur, ab ictibus & plagis ſepulchri, quas Chibbut hakkever appellant, fore immunes. Vide Synag. Iud. *Buxt.* p.438. Unde in terra illa mori, quàm alibi maluerunt. Vide quæ ſup. de R. Nachmanide dicta ſunt. Adde illud R. Abrahami ex lib. *Iucbaſ.* p.132.a. *R. Nachmanides aſcendit* Hieroſolymam *, fecitq; Synagogam de nomine ſuo.*

[*f*] *Duos Don Gedalia reliquit filios, quorum unus, ſapiens ille magnus Theodorus, invenitur an. M.5013. Chriſti vero 1284. cum ſociis ſuis diſputaſſe coram Papa Martino ſecundo cum Iehoſua Lodiceo, qui religionem mutavit, &* Hieronymus *de Sancta fide fuit appellatus, ſicui prolixè habetur in Schebeth Iehuda.*

[*g*] Iuxta Bullam Innocentii IV. a. Ch. 1243. quæ Regem Galliæ jubet Talmud cum gloſſis

ſuis

ſuis conctemare, *Gault.* p.679. Ipſas Innocentii literas recitat *Bzov.* an.Ch.1244. §.3.

[*h*] Quo nomine commendantur Pontifex Romanus, Reges Caſtellæ & Arragonum: cuius edictum habet *Bzov.* an.Ch.1263, Rationem verò Catechiſandi Iudæos recitat an. Chr. 1278. ut verò quàm non conſultum duxerit Arragonum Rex, de ſuperſtitione Pontificia multa Iudæis garrire, videas, publicum hac de re ejus exſcribemus mandatum. *Iacobus Dei gratia, Rex Arragonum, Maioricarum & Valentiæ, Comes Barcinone & Vrgelli, ac Dominus Montis Peſſulani, fidelibus ſuis univerſis & ſingulis Iudæis in toto diſtrictu noſtro ubique morantibus ad quos præſentes pervenerint, ſalutem & gratiam. Mandamus & diſtrictè præcipimus vobis, quatenus cum dilectus filius noſter Fr. Paulus Chriſtiani, de ordine Fratrum Prædicatorum, quem ad vos pro via ſalutis oſtendenda mittimus, venerit ad vos, ad Synagogas vel domos veſtras, vel cætera loca cauſa prædicandi verbum Dei, vel diſputandi, vel conferendi vobiſcum de Scripturis ſanctis in publico vel in privato, vel familiari collocutione, ſimul vel ſeparatim, ad eum teneamini venire, & manſuetè & favorabiliter auſcultare, ſuisq; interrogationibus de fide & Scripturis*

 ſacris,

ſacris, quod ſecundū quod ſciveritis, humiliter & reverenter & absq; calumnia & ſubterfugio reſpondere. Et libros veſtros, quibus ipſe indiguerit ad veritatem vobis oſtendendam, eidem exhibere: & expenſas, quibus indiguerit dictus frater circa libros ſuos apportandos, de loco ad locum, quos propter veritatem vobis oſtendendam deferri fecerit, & fratres ſui ordinis ex conſtitutione ſua habent, quod expenſas non deferant, vos easdem expenſas ſolvere teneamini, nobis illas imputantes, de tributo quod nobis facere tenemini deducentes. Mandavimus inſuper & diſtinctè præcipimus, omnibus Baiulis, Vicariis & aliis officialibus noſtris univerſis, ut prædictos Iudæos, ſi prædicta gratis facere noluerint, auctoritate noſtra compellatis, ſi de noſtri gratia confidunt vel amore.

[i] Exempla exhibet aliquot Bzov. a. C. 1213. S. 19. a. Ch. 1227. S. 1. a. Ch. 1231. S. 9. a. Chr. 1299. S. 23. Sed quia ad ſtabiliendam Transſubſtantiationem, Sanctorum invocationem pleraque videntur ab au:hore notata, nos ea ſuo loco relinquemus. Sæpius enim jam monuimus, quid de ejusmodi ſit habendum miraculis. Illius Judæi converſio memorabilis maximè eſſet, quæ Prophetiæ cuidam inventæ fertur accepta, niſi nimis manifeſtos νοθείας characteres haberet ipſe ſty-

ſtylus. Recitabo tamen ex *Bzov.* a. Ch. 1231. *Cùm apud Toletum Iudæus quidã gratia ampliandæ vineæ rupem ſuam comminueret, in medio ſaxi reperit concavitatem, in qua erat liber ligneis foliis compactus tribus linguis* Hebræa, Græca *& Latina lingua deſcriptus. Scriptura vero quaſi uni⁹ Pſalterii videbatur. Hic liber de triplici mundo diſſerebat, ab Adami principio initium ſumens, usq; ad tempora Antichriſti. Tertii porro libri primum caput à Chriſto exoriens, ita diſſerebat: In tertio, inquit, Mundo filius Dei in mundo naſcetur ex Maria virgine, patieturq; pro ſalute hominũ. Quod cum Iudæus ille perlegiſſet, et nõ niſi divini alicuius Prophetæ manu ea deſcripta credidiſſet, ſtatim cum univerſa ſua ſtirpe ex ſacro fonte renatus eſt.* Addit *Faſcic. temp.* p. 81. a. *Paral. Vrſper.* p. 328. eodem ſcripto inſertum fuiſſe: *Librum illum eo tempore, Ferdinandi,* Regis *Caſtellæ, inveniri debuiſſe.* Illuſtre cumprimis converſionis exemplum habemus in Lyrano. Quamvis alii velint, Chriſtianis eum parentibus natum, obſtante re anguſta domi, Judæorum Scholas viſitâſſe. *Faſc. temp.* p. 82 6. *Naucl.* Gen. 43. p. 238 b. Ejus ſepulchrum & Epitaphiũ oſtenditur Lutetiæ in Franciſcanorum capitulo; *Geneb.* p. 631. R. *Gedalias* ait, *tempore perſecutionis Toletanæ plures, quàm*

200000.

200000. *Judaiſmo repudium miſiſſe.* Referri huc deberet exemplum *Ioſephi* illius, de quo *Matth. Par.* p. 339. niſi apertum nimis illud redoleret figmentum. Inſeram interim illud Hiſtoriæ Judaicæ, ut pateat, longo ſatis tempore, fabulã illam, quam hodierno etiam die agyrta, ſub alio tamen nomine, quidam agit, non demum χθὲς ἢ πρώχθες natam: *Archiepiſcopus quidam Armeniæ, in Angliam veniens, interrogatus de Ioſepho viro illo (de quo frequens ſermo habetur inter homines, qui quando paſſus eſt Dominus, præſens fuit, & locutus eſt cum eo, qui adhuc vivit in argumentum fidei Chriſtianæ) ſi illum aliquando viderit, vel de eo quicquã audierit. Reſpondit* Archiepiſcopus, *aſſerens rem geſtam ſeriatim; & poſtea miles quidam* Antiochenus, *de familia ejus, qui interpres illius erat; notus etiam cuidam famulo Domini* Abbatis; Henrico *Spigurnel, exponens ſermones illius, dixit lingua* Gallicana: *Bene (inquit) novit Dominus meus hominem illum, & paulò antequam iter arriperet ad partes Occidentis, idem Ioſeph in Armenia comedit ad menſam Domini mei* Archiepiſcopi, *quem multoties viderat, & audierat loquentem. Et pòſtmodum interrogatus de rebus geſtis inter Dominum Ieſum Chriſtum, & eundem Ioſeph, reſpondit. Tempore*

paſſio-

paſſionis Ieſu Chriſti, cum captus à Iudæis in prætorium adductus fuiſſet ante Præſidem Pilatum, ut judicaretur ab ipſo, accuſantibus ipſum conſtanter Iudæis, cum Pilatus nullam in eo cauſam mortis inveniſſet, dixit ad eos: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum. Sed tandē invaleſcentibus clamoribus Iudæorum, Pilatus iis dimiſit Barrabā ad petitionem illorum, & tradidit eis Ieſum, ut crucifigeretur. Trahentibus autem Iudæis Ieſum extra prætorium, cum veniſſet ad oſtium, Cartaphilus prætorii oſtiarius & Pontii Pilati, cum per oſtium exiret Ieſus, pepulit eum pugno contemtibiliter poſt tergum, & irridens dixit: Vade Ieſu, citius vade, quid moraris? Et Ieſus ſevero vultu & oculo reſpiciens in eum dixit: Ego vado, & expectabis donec veniam. Ac ſi juxta Evangeliſtam diceretur: Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptū eſt de eo: Tu autem ſecundum adventum meum exſpectabis, Itaq; iuxta verbum Domini expectat adhuc Cartaphilus ille, qui tempore Dominicæ paſſionis erat quaſi triginta annorum, & ſemper usq; ad centum attigerit ætatem redeuntium annorum, corripitur quaſi incurabili infirmitate, & rapitur quaſi in ecſtaſin, & conva-

convaleſcens reddit redivivus, ad illum ætatis ſtatum, quo fuit anno, quando paſſus eſt Dominus, ut verè poſſit dicere cum Pſalmiſta: Renovatur ut aquilæ juventus mea. V*erum, poſt paſſionem Domini, creſcente fide Catholica idem Cartaphilus baptizatus fuit ab Annania, qui baptizavit D. Paulum* Apoſtolum, *& vocatus eſt Ioſeph.* Ha*bitat autem frequenter in utraque Armenia, & in aliis regionibus Orientis, vivens inter Epiſcopos, & alios Eccleſiæ prælatos, homo ſanctæ converſationis & religionis, pauca habens verba & circumſpecta, ut qui nihil loquitur, niſi ab Epiſcopis, & viris religioſis fuerit requiſitus. Et tunc refert de rebus antiquitatis, & de iis, quæ geſta fuerunt in paſſione Domini & reſurrectione, & de teſtibus reſurrectionis, illis uidelicet, qui reſurrexerunt cum Chriſto, & venerunt in ſanctam civitatē, & apparuerunt multis.* R*efert etiam de Symbolo* Apoſ*tolico, & eorum diviſione & prædicatione, & hoc ſine riſu, & omni levitate verborum, & nota reprehenſionis, vel redargutionis, ut qui magis verſatur in lacrymis & timore Domini, metuens ſemper & ſuſpectum habens adventū Ieſu Chriſti in igne, Seculum judicaturi, ne ipſum in ultimo examine*

ne inveniat iratum quem ad paſſionem prope-rantem irridens ad dignam prouocauit ultio-nem, &c. Eandem Armenii quidam repetunt paucis Hiſtoriam p.827. lib.cit. Eam nos huc referimus, quia hoc primum ſeculo narratur.

IV. *Scholæ & ſtudia* Judæorum ſeculi huius varia fuerunt, [*a*] Biblica maximè, [*b*] Talmudica, [*c*] Kabbaliſtica, [*d*] Medica, [*e*] Mathematica, & [*f*] Linguarum, quibus non pauci [*g*] huius ætatis Judæi excelluiſſe, adeoque præclarum eruditionis nomen conſecuti dicuntur. Philoſophia [*h*] publico decreto juxta quosdam planè, Scholis eorum fuit eliminata, juxta alios vero, [*i*] ad certos ætatis annos reſtricta.

[*a*] *Alii* enim in Biblia vel integra, vel quosdam libros commentaria ſcripſerunt, ut Moſes, bar Nachman, &c. *Zem.Dav.* P.1.p.56.b. R.Bechai; *Id.*17.b. *Schalſch.*p.58.b. R.Meir.fil.Theodori; *Zem.Dav.*p.57.a.

Alii Leges Moſaicas diſtinctius explicuerunt, ut author (de quo tamen ipſi Judæi dubitant) libri *Colbo*, omnia in eo; qui olim *Nijer* vel *Najior* dicebatur, *Schalſch.* p.58.a. Rabbi Moſes Mikkozi, author libri præceptorum magni; *Zem. Dav.* P.1.p.57.a. Rabbi Iſaac filius Joſephi, Corbelenſis, author libri præceptorum parvi, qui & Columnæ exilii vocatur. *Alii,*

Alii, Latinos imitati, concordantias ſcripſerunt Biblicas, ut R. Nathan. R. *Gedal.* in Schalſch. pag. 59. a.

Alii Baale Hadderaſchot varias, pro gentis Theologia, ſcripſerunt homilias, ut Bechai, *Zem. Dav.* p. 57. & 58. a. de R. Simeon haddarſchan: vide etiã *Iuch.* 132. b. de R. Niſſim concionatore.

[*b*] Cùm enim propter varias Iudæorum perſecutiones in regnis Caſtiliæ & Toletano Additiones Talmudicæ oblivione ſepelirentur, *Schalſch.* p. 55. b. iis paulatim reſtaurandis quidã dederunt operam, ut Rabbi Solomo; *Id.* 59. a. *Iuch.* p. 133. a. Sic in *Zem. Dav.* ad an. M. 6012. quidam referuntur authores Toſephoth. Alii etiam vel Talmud, vel Majmonidis Iad, notis illuſtrarunt, ut R. *Meir* Rotenburgenſis.

[*c*] Practica cumprimis. Vide ſup. p. 535.

[*d*] Talis fuit 1. *Don Gedalia.* Vide ſup. p. 533. 2. *Rabbenu Parez* ſacerdos, adeò inſignis perhibetur à Iudæis Medicus, ut alii eum propterea odio fuerint proſecuti. *Schalſch.* 58. a.

[*e*] Aſtronomi enim erant a. *Rabbi Iſaac*, Ibn-Said, author tabularum Alphonſinarum; *Zem. Dav.* P. 1. p. 57. a. *Iuch.* 132. b. *Schalſch.* p. 59. a. Vide ſup. p. 345. b. *Iſaacus* fil. Iſraelis, quem propterea R. Iechiel, Germania expulſus, Toleti librum componere juſſit de Aſtronomia. *Iuch.* 133. a. *Zem. Dav.* P. 1. p. 58.

[*f*] I. De Lingua *Hebræa* res eſt certa. Nec enim illis potuit eſſe ignota, qui tot ejus beneficio de-

dederunt libros. Imò, ut elegantiam ejus ſatis oſtenderent, multi hoc expreſsè, magnoq; ſtudio egerunt. Unde *Iuch* 132.b. R*abbi, Iſaac, filius* Solomon*is, fil. Schulæ, Poeta & Orator, librum ſcripſit* Maſchal Hakkadmoni, *ut notam faceret elegantiam linguæ* Hebr*ææ.* Idem ſcopus fuit celeberrimi hujus ſeculi Judæi, Poëtæ & Oratoris incomparabilis, R. Jacobi, in Bechinat olam *Zem.Dav*, p.58.a. II. *Arabicā* verò & *Latinam* linguas multos calluiſſe ex eo clariſſimè elucet, quod utriuſq; multas ſibi Judæi vendicant translationes. *Quadam* enim ex Arabico in Hebræū transtuliſſe dicuntur. *Raſchba*, id eſt, R. Solomon fil. Adrat juſſit ſibi transferri commentaria in Miſchnajoth, Rab Majmonitis, ex Arabico in Hebræum: *Iuch*. 133.a. *Shalſch*. 18.a. quam operam præſtitit R. Iacob, filius R. Moſis, Hiſpanus: *Id*. p.59.a. R. Moſe, Ibn Tibbon Euclidem Arabicum Hebræum fecit, qui tamen non facile inter Iudæos reperitur. Vidit eum author *Zem. Dav*. pag.57.b. in Saxonia. *Quadam* ex Latino in Hebræum: Sic. R. Nathan ſuas Concordantias à Latinis mutuavit: *Schalſch*. p.59.a. *Quadam* ex Arabico in Latinum. Sic Rex Alfonſus Rabbi Iehudæ, fil. Rabbi Moſis, Toletano, dedit in mandatis, ut Avicennæ librum de ſtellis transvaſaret ex Arabico in Latinum. *Schalſch*. 59.a. *Iuch*. 132.b.

[g] Quorum nomina habes in *Iuchas*. à p. 132. a. ad 133. b. *Zem. Dav*. P.1.p.56. ad 58.b. *Schalſch*.

pag. 59. ubi compendio exhibentur celeberrimi huius ſeculi Rabbini, è quorũ cenſu ſunt 1. *Rabbi Meir*, Theodori filius, qui *ſtella illuſtrans, ſplendor coronæ ſanctæ* vocatur, Toletanorum doctor celebris, & lucubrationibus in Contextũ ſacrum inclytus: *Zem. Dav.* p. 57. a. 2. *Ramban*, de quo *Schalſ.* p. 55. b. quod θαυμαςὸς ſit, & multorum librorum author. 3. *R. Sol.* filius Adrat. in omni ſapientia excellens: *Schalſch.* p. 58. a. 4. Don. *Ioſeph, Iachiades*, Æchmalotarcha: *pater ſapientiæ* per totum regnũ Caſtiliæ; fuitq; ſocius Raſchba, celebris Poeta & Grammaticus: *Schalſch.* p. 59. a. b. 5. *R. Iſaac*, Iſraelita, ſapiens magnus, & inſignis Aſtronomus: *Zem. Dav.* p. 58. a. 6. *R. Iacob* Badraſchæus, de quo ſupra.

[*b*] *Iuchas.* p. 133. a. *Tempore* Raſchbæ *prohibitum fuit operam dare Philoſophiæ. Excipiebatur ſtudium Medicum.* Cui tamen apologiam oppoſuit R. Jedijah. Peninæus.

[*i*] Ita etiam refertur hoc decretum Barcillonenſis Synagogæ in *Schalſch.* pag. 60. a. quod Judæis Philoſophiæ ſtudium ante annum ætatis 25. ſalutare non licuerit. Conſentit *Zem. Dav.* P. 1. pag. 58. a.

De Sadducæis, nihil occurrit, niſi quod R. *Gedalias* Apoſtatæ cuiuſdam mentionem faciat, qui ad Judaiſmum tandem redire voluit. *Accipe*, ſcribit, p. 56. a. *habuiſſe Nachmanidem diſcipulum, cui nomen* R. *Abner, quem vertiginis ſpiritus*

ritus ita egit transverſum, ut factus ſit Sadducæus. Fato autem accidit, ut magnus evaderet, & toto orbe celebris. Quodam verò die accerſi ad ſe iuſſit Magiſtrum *ſuum, in cuius conſpectu ipſe porcum mactavit, coxit, edit. Cumq́; ediſſet illum, rogavit Magiſtrum, quod excidii pœnarum reus factus eſſet? Quatuor reſpondit Magiſter: Ille verò dixit: quinque. Atque ſic cum præceptore ſuo diſceptare voluit. Magiſter igitur cùm torvo vultu iram præ ſe tuliſſet, obmutuit ille: aliquid enim timoris & reverentiæ in eo erga præceptorem erat reliquum. Rogavit tandem* Raf, *quis ad hanc eum permoviſſet* Apoſtaſiam? Reſpondit *ille: quod aliquando eum audiviſſut in explicatione Paraſchæ* Haazinu, (eſt cap. 32. Deuter.) *continere eam Paraſcham omnia legis præcepta, & reliqua quæ in mundo eſſent:* Hoc *verò cùm ſibi videretur impoſſibile, in alium ſe verſum eſſe virum. Reſpondit* Raf: Hoc *ipſum adhuc dico, roga modò quicquid volueris. Miratus igitur vir ille valde, dixit, ſi ita ſit, oſtende mihi, ubi nomen meum ſcriptũ ſit? Ita eſt, inquit* Rabbi, *è manu mea requires illud. Secedens itaq; in angulũ oravit, & occurrit ipſi verſus* 26. *Dixi,* angulatim profligabo eos, ceſſare fa-

 ciam

ciam memoriam eorum ab homine: *quia litera tertia cuiuslibet vocis nomen Abner continet. Quod cùm audiviſſet vir ille, cecidit vultus eius, rogavitq; ſuum Magiſtrum, nonne vulneri ſuo adhuc parata eſſet medicina? Tu, inquit, audiviſti verba textus. Et perrexit via ſua. Vir vero ingreſſus eſt navim ſine remis, & vento, cuius impetu ita fuit agitatus, ut de illo nihil certi fuerit auditum.*

Sectio V.

Seu

Συμβίβασις Doctrinæ.

Seculi hujus ϛυμβίβασις gemina eſt; una quidem [a] Waldenſium Apoſtaſiam à ſuperſtitione, Curia & clero Romano, Græcorum [b] verò diſſenſum continuat: altera κατὰ μέρος oſtendit, in ipſa etiam externa Eccleſiæ communione [c] multos vel Papam, vel Papæ decreta, ſtatuta & dogmata rejeciſſe.

[a] Superiori ſeculo VValdenſium Hiſtoriam ita compendioſè perſtrinximus, ut nihil facile occurrat, quod ad claſſes illas referri non queat. Quia

Quia verò ſingulare Deus curæ ſuæ pro Eccleſia dare in illis voluit ſpecimen, non malè, quæ deinceps iis obtigerint, ſuo loco vel obiter repetimus, vel de novo inſerimus. Tenendum igitur 1. *VValdenſium cœtus magna hoc ſeculo habuiſſe incrementa.* Multi enim fuerunt *a.* In *Germania.* Bzov. an. Ch 1231. S. 17. *In Germania hoc anno facta eſt perſecutio contra hæreticos hoſtes fidei, veritatis inimicos, quorum multitudo maxima latitabat in populo Dei, in civitatibus, oppidis & villis, ſubvertentes & in errorem mittentes, quos poterant de Eccleſia Orthodoxa. Horum plures comprehenſi & in præſentia cleri & populi convicti fuerunt. Inter cætera* nefandi (NB) erroris ſui flagitia confeſſi ſunt, quod etiam ab eſu carnium in Quadrageſima non abſtinerent, & quod annualem cenſum tranſmitterent Mediolanum, ubi diverſarum hæreſium primatus verſabatur. *b.* In *Italia* Bzov. an. Ch. 1289. S. 7. & 1292. S. 5. Præſertim *Lombardia, Id,* an. Ch. 1232. S. 6. *vigebat tunc in Lombardiæ urbibus peſtifera ac fœdiſſima Cataroꝛum hæreſis.* An. *Ch.* 1251. *c.* In *Gallia,* Ib. S. 7. 8. *In Galliis hæreſeon monſtra* (repeto authorum, inceſta lingua homines innocentes conviciis, pro more, proſcindentium verba) *repullulabant, & ſacerdotalis ordinis contemptus reſurgebat. Raymundus enim Toloſatium Co-*

mes hæreticis impensè favebat. Et an. Ch. 1233. S. 13. *In Galliis quoq; reliqui Toloſanorũ Albigenſiumq; hæreſi omnia contaminabant, & ſuper alia caſtra, villam Charitatenſem infecerant.* an. Ch. 1234 S. 8. *In Galliis non deerant, qui reliquias Albigenſium excitarent, neque penſi ducerent illas à Comite Montfortio promulgatas contra hæreticos leges. Quamobrem & Inquiſitores cæterasq; perſonas ad directionem ſeu defenſionem fidei Catholicæ à ſede* Apoſt. *deſtinatas intolerandis malis opprimebant, & tabulas* Montfortianas *pro extirpandis hæreſibus ſcriptas conculcabant, & bona, poſſeſſiones, caſtra, cæteraq; peculii Eccleſiaſtici invadebant, rapiebant, uſurpabant.* An. Ch. 1237. S. 4. *Per id temporis civitas* Maſſilienſis *à fide Comitis Provinciæ ad Toloſanum comitem deſciverat. d.* In *Croatia*, & *Dalmatia*, quo, Hiſpania & Gallia ejecti, fugerant a. C. 1223. *Cal. Par.* p. 306. Bzov. an. Ch. 1222. *e.* In *Anglia* Bal. pag. 258. *f.* In *Arragonia*, contra quos habitum fuit Concilium Bzov. 1242.

II. *Partes VValdenſium viros etiam magnos fuiſſe ſecutos.* Geneb. p. 625. *Talium* (Albiorum, vel Albigenſium) *protectores erant* Rex *Arragonum; Comes* S. *Ægidii, Princeps Fuxi, &* R*aymundus Comes, Tholoſates.*

III. Ec-

III. *Eccleſiam Romanam nihil majori egiſſe ſtudio, quam ut Albigenſium Cætus & doctrinam radicitus extirparet.* Hinc a. tot contra illos facta *decreta* tum Imperatoris Friderici II. quod recitat *Bzov.* an. Ch. 1225. S. 7. & confirmatum poſtea fuit ab Innocentio & Nicolao IV. *Id.* an. Chr. 1252. & 1289. S. 7. tum Regum, Ludovici Galliarum, *Id.* 1228. S. 5. & Jacobi Arragoniæ Regis, *Id.* an. Ch. 1292. S. 5. tum etiam Comitum, Raymundi cumprimis Toloſani, qui Patris quidem veſtigia aliquandiu ſecutus, Albigenſium partes defendit: poſtea tamen leges contra eos tulit; Bzov. an. Ch. 1226. S. 6. tum denique Paparum. Innocentius IV. an. Chr. 1254. decernit, ut Inquiſitores fidem Catholicam prædicent, ac per alios faciant prædicari; ut cruce ſignatos, qui hæreticos perſequantur recipiant, eisque indulgentiam plenariam à ſede Apoſtolica propterea conceſſam annuncient. Vid. *Bzov.* an. cit. *Idem* an. Ch. 1248. *Priori provinciali in* Hiſpania, *&* Ray*mundo Penniafortio ordinis Prædicatorum acriter iniunxit, ut ne latum unguem à forma* Gregorii *Papæ anteceſſoris, in extirpandis par Arragoniam, & Narbonenſem provinciam hæreticis, diſcederent.* Alerander IV. a. C. 1257. Lombardiã conſtitutiones cõtra Waldenſes jã ante latas plenius explicat Id. Sequenti mox anno aliud eiusdẽ habetur Pontificis decretum, quo dubia, quibus Inquiſitorũ artes laborabant,

bant, explicare conatus eſt. An.Ch.1260. Inquiſitoribus, ut in cauſa fidei contra quoscunq; poſſunt & debent procedere, nullis privilegiis in contrarium editis obſtantibus, procedant Id. Confer an.Chr.1261.S.4. Sed & ſucceſſor Urbanus IV. cùm non ignoraret, Albigenſium doctrinam latè per Lombardiam patere, conſtitutionem edidit; *Bzov.* an.Ch.1262.S.3. b. *Inquiſitio*, crudelis ille Phalaridis bos, pietati & ſanæ Waldenſium doctrinæ *fuit oppoſita.* Placet de hoc inſtituto audire *P. Paulum Venetum* Hiſt. Inquiſit. p.16. Poſt milleſimum & centeſimum annum emerſerunt innumeri hæretici, ob opinionum diverſitates, quæ fuerant ante annos 50. inter Pontifices & Imperatores; usque ad annum milleſimum ducenteſimũ, quo tempore omnia bellis & ſcandalis plena fuere, & vita non admodum religioſa cleri, quorum hæreſes pleræq; natæ ſunt contra Pontificis auctoritatem. *In* quibus temporibus, propter multitudinem talium peſtium, omnem modum excedentium, neceſſitas impoſita fuit eas tolerandi. Epiſcopus, procedebat in hiſce cauſis prout poterat, ut in aliis ſupradictis: Et Pontifices Romani crebris literis ipſos hortabantur, & excitavere ad debita; neque ante annum milleſimum ducenteſimum auditum fuit nomen Inquiſitionis, aut Inquiſitoris contra hæreſin. Sed cùm Epiſcopi, aut ipſorum Vicarii non tam idoneos aut diligentes hac in parte ſeſe præberent quàm Epiſcopi Romani

mani deſiderabant: opportunè fuere inſtituti ordines Religionis S. Dominici & S. Franciſci, inter quos multi docti ejus ſeculi fuêre, maximeque zeloſi ad ſuſtinendam Eccleſiam Romanam, & auctoritatem Pontificiam, quibus uſi ſunt Pontifices, ut hæreticos prædicationibus ſuis converterent, exhortantes Principes, populumque Catholicum, ut perſequerentur obſtinatos, inquirentes in omni loco, quo numero, & quales eſſent hæretici; quis zelus Catholicorum, quanta diligentia Epiſcoporum, & hæc omnia Romam deferebant. Unde nomen *Inquiſitorum* ipſis impoſitum. Interim nullum habuere tribunal, ſed interdum judices eo perduxêre, ut exilio vel alia pœna hæreticos mulctarent. Interdum aliquem è potentioribus armis contra eos agere perſuaſerunt. Interdum populum excitavere, crucem ex panno veſtibus imponentes, ſeſe devoventibus, qui in unum collecti conducebantur ad extirpationem hæreticorum. Hoc ipſum duravit per 50. annos, nimirum ad annum 1250. Incepto horum Patrum inſignes ſuppetias tulit Fridericus II. Imperator, qui anno 1244. Patricii promulgavit quatuor Edicta ſuper hac materia; dum ſub tutela Imperatoris recipiuntur Inquiſitores, ignis pœna hæreticis obſtinatis imponitur, pœnitentibus perpetui carceres; horum omnium examen Eccleſiaſticis committitur, judicibus autem ſecularibus condemnatio. Et quidem fuit illa prima

Lex, quæ hæreticis pœnam mortis impoſuit: quæ fructum bonum non protulit ad extirpandas hæreſes introductas, propter acerbas diſcordias, quæ poſtmodum naſcebantur inter Imperatorem, treſque ſequentes Pontifices, quibus, perpetuis bellis & diſſenſionibus diſtractis, hæreſes profundiores radices egere, & latius ſeſe extendere. Tandem mortuo, ſupra dicto anno, Imperatore Friderico, dum in Germania res ſunt confuſæ, & in Italia Interregnum per viginti tres annos durat, Pontifex Innocentius IV. poſt mortem Imperatoris, quaſi arbiter remanet in aliis partibus Italiæ; hic jam tum animum applicare cœpit ad extirpationem hæreſeos, quæ magnos progreſſus fecerat propter præteritas turbas. Et conſiderans, qui ante hac in parte præſtitiſſent Fratres Dominicani & Franciſcani, ſummopere diligentes, non metuentes perſonas nec pericula, hoc etiam num unico remedio uſus eſt; eoſque miſit non tantùm ad prædicandum, aut ad congregandum cruce ſignatos, aut ad executiones extraordinarias: ſed impertiens ipſis auctoritatem ſtabilem tribunal perpetuũ quod ſuper hoc negotio tantùm curam haberet: Huic rei duo ſe opponebant. Primum erat, quo pacto, ſine confuſione, ſeparari poſſent cauſæ hæreſios à foro Epiſcopi, quod ſemper eas judicaverat, & quomodo ſuper hac re jam poſſit conſtitui officium proprium. Alterum erat, quomodo excludi poſſit Magiſtratus ſecularis, ad quem ſpe-

ſpectabat punire hæreticos, ſecundùm antiquas leges Imperiales, & nuperrimas Friderici, & ſecundùm priora ſtatuta, quæ ſingulæ civitates cogebantur obſervare, niſi præcipites ſe dare velint ob maximos tumultus. Quod ad primum, tale adinvenit remedium Pontifex, ut unum tribunal componeret Inquiſitor & Epiſcopus, in quo tamen Inquiſitor non ſolùm primus, ſed totus Epiſcopus autem nomine tenus ſederet. Et ut ſpeciē al quam auctoritatis ſecularibus relinquere videretur, nominare permiſit illis Miniſtros Inquiſitionis; Sed ex quibus ipſi Inquiſitores aliquos eligerent. Si quando Inquiſitor per vicos incederet, ei adjungebatur aſſeſſor, ſed electus ab ipſo Inquiſitore; in commune transferre tertiam partem bonorum Fiſco addictorum: & ſimilia talia, quæ Magiſtratum collegā cum Inquiſitoribus in ſpeciem facere videbantur, ſed revera ſervum. Supererat nummos colligere pro expenſis circa incarceratos, & ipſorum alimonia, quocirca hæc à publico ærario ſumenda, ſtatutū fuit; & ſic obſervatum Brixiæ a. Ch. 1251. & deputati fuerunt in Longobardia Fratres & Dominici Inquiſitores in regione Flaminia & Marchia Tarviſina. Poſt ſeptem menſes bullam ſcripſit Papa ad omnes Rectores, concilia & ſodalitia harum trium provinciarum, præſcribens ipſis 31. capitula, quæ obſervare deberent ob proſperos ſucceſſus huius novi officii, jubens capitula referri inter publica ſtatuta, quæ obſervare deberent inviolatè.

late. Auctoritatem dans Inquiſitoribus excommunicandi non obſervantes ea. Neque tunc temporis Pontifex ulterius extendit Inquiſitionem neque intra, neque extra Italiam. Quia tres ſupradictæ provinciæ, prout aiebat, erant in ejus conſpectu, & admodum amatæ ab eo. Sed vera cauſa fuit, quia in hiſce magna pollebat auctoritate, utpote deſtitutis Principe, omnesque civitates ſingulare regimẽ habuere, & in iis Pontifex multos ſibi additos habuit ob ultima bella. Nihilominus non tam facile admiſſum fuit hoc edictum: unde Alexander IV. ejus ſucceſſor, poſt ſeptem annos, nimirum anno 1259. coactus fuit hac in parte moderamine uti, Edictũq; interpolavit. Jubens nihilominus Inquiſitoribus, ut Rectores cenſuris conſtringerent ad ejus obſervantiam. Eadem de cauſa Clemens IV. poſt ſex annos nempe 1265. neque tamen penitus obſervatum fuit, ita ut adhuc ſequentes quatuor Pontifices ſuperare non potuerint omnes difficultates, quæ undique obſtabant, ne uſquã reciperetur officium. Hæ naſcebantur duabus de cauſis. Prima erat materia (NB) ſeveritas Fratrum Inquiſitorum per extorſiones aliaque gravamina. Altera, quia ſodalitates ſumtus ferre recuſabant: quocirca tandem concluſum fuit, non debere prætendi, hos è publico ærario petendos eſſe. Et ut temperarent nimium rigorem Inquiſitorum, partem aliquam adſcripſere Epiſcopo: qua de cauſa non tam difficulter intro-

troductum fuit officium in Regionibus Longobardiæ, Flaminiæ & Tarviſinæ, poſtea etiam in Tuſcia: tranſiit etiam in Arragoniam & aliquas civitates Germaniæ & Galliæ; In Regno autem Neapolitano introductum non fuit, quia non erat reciprocus affectus inter Pontificē & Regem ejus Regni. E Gallia & Germania brevi tempore ablatū fuit: Inquiſitores ex iis expulſi fuêre, ob nimium rigorem & extorſiones: Alibi abiere, quia nihil ipſis negotii ibidem ſupererat. Pauci etiam reſtabant in Arragonia, neque enim in aliis Hiſpaniæ Regnis penetrare potuerunt. Hæc P. *Paulus Venetus*. Quæ deinceps 1484. contra Saracenos acta ſunt in regno Granatenſi, ſuo, σιὼ θεῷ, loco audiemus. Originem ex Scripto re Pontificio atrociſſimi illius & αἱματηπότε Cōfeſſus, ultimi, Diabolicæ in Eccleſiam ſævitiæ, conatus dare operæ pretium duxi. Ergò Monachorum, Dominicanorum potiſſimùm opera, rebus Eccleſiæ Romanæ contra Waldenſes conſultum voluit. Gregorius IX. an. Chr. 1229. F. Guallam ordinis Prædicatorum Inquiſitorem Mediolanum ad extirpandos hæreticos miſit. Hi porrò coram Epiſcopo comitiis S.P.Q. Mediolanenſis indictis, duodecim viros, quorum tertii, & terni cum duobus Fratribus Prædicatoribus & totidem Minoribus ad quatuor portas urbanas ſubſelliis collocatis hæreticos inquirerent, atque judicarent, elegerunt, plurimaque contra hæreticos decreverunt. *Bzov.* Ita & Innocen-

nocentius IV. Magiſtro generali & Provincialibus ordinis Prædicatorum Inquiſitores & Commiſſarios in cauſis fidei inſtituendi & removendi poteſtatem fecit, dato diplomate quod añalibus ſuis inſeruit, *Bzov.* an. cit. S. 12. Bonaventura etiam Franciſcanum, & Thomam Aquinatem Dominicanum lacertos ſuos contra VValdenſes aptâſſe, ſcribit a. Ch. 1270. S. 13. Eandem in Arragonia Dominicanos provinciam ſuſtinuiſſe, annotat *ibid.* Extant etiam adhuc formulæ, quibus Dominicus fuit uſus vel in revocandis, vel etiam mulctandis iis, qui vel minis, vel promiſſionibus ad Ægyptiacas revocati laulicias, approbrii minus erant patientes. Duas recitat *Bzov.* an. Ch. 1215. S. 13. quarum prima ita habet: *Vniverſis Chriſti fidelibus ad quos præſentes literæ pervenerint*, F. *Dominicus Oxomenſis Canonibus, Prædicator minimus, ſalutem in Chriſto. Auctoritate Domini Abbatis Ciſtercienſis Apoſtolicæ ſedis legati, qui hoc nobis iniunxit officium, reconciliavimus præſentium latorem Pontium Rogerium, ab hæreticorum ſecta, Deo largiente, converſum: mandantes in virtute præſtiti Sacramenti, ut tribus Dominicis feſtivis diebus, ducatur à ſacerdote nudus à femoralibus, ab ingreſſu villæ uſq; ad Eccleſiam verberando. Iniungimus etiam ei, ut à carnibus, ovis & caſeo, ſeu omnibus quæ ſementinã*

trahunt carnis originem, abſtineat omni tempore, excepta die Paſchæ, & die Pentecoſtes, & die Natalis Domini, in quibus ad abnegationem erroris priſtini, præcipimus, ut eis veſcatur. Tres Quadrageſimas in anno faciat, à piſcibus abſtinens. Tribus diebus in hebdomada ſemper à piſcibus & ab oleo, & vino abſtineat & jejunet: niſi corporalis infirmitas, vel labores æſtatis exegerint diſpenſationem. Religioſis veſtibus induatur, tum in forma, tam etiam in colore, quibus in directo utriusque papillæ, ſingulæ cruces parvulæ ſint aſſutæ. Quotidie, ſi opportunum fuerit, Miſſam audiat: & diebus feſtivis ad veſperas in Eccleſiam pergat. Alias horas, tam nocturnas, quàm diurnas, ubicunque fuerit, Deo reddat, ſcilicet ſepties: in die decies Pater noſter dicat: media nocte, vigeſies. Caſtitatem obſervet, & manè apud Cererim villam, chartam iſtam Capellano ſuo per ſingulos menſes oſtendat. Capellano etiam præcipimus, ut de vita ejus curam diligenter habeat: Hæc omnia diligenter obſervet: donec alia ſuper his Dominus Legatus ſuam nobis exprimat voluntatem. Quod ſi ea obſervare contempſerit, tanquam perjurum & hæreticum, & excommunicatum ipſum habe-

haberi præcipimus, & à fidelium conſortio ſequeſtrari. Quàm verò ſoliciti ſemper fuerint in hoc Inquiſitionis officio crudeliter ſatis adminiſtrando, tum ipſa hæc Dominici probat praxis, tum etiam aliorum, in Germania præſertim. An. Ch. 1214. *Conradus de Marburus*, Inquiſitor hæreticæ pravitatis per Germaniam, multos hæreſeos condemnat & Argentinæ homines 80. cremat. Examen eius erat, ſi quis hæreſeos accuſatus crimen negaret, judicio ſubjiciebatur candentis ferri, qui adurebantur, tanquam impietatis convicti cremabantur. Sed plerique innocentes perierunt: *Trith.* Hujus verò ſævitiæ cùm hominem non pœniteret, pluresque, Pontificiorum etiam opinione, inſontes vivicomburio addicerentur, ex inſidiis à Nobilibus intercipitur, trucidatusque Marpurgi ſepelitur an. Chr. 1234. Idem de *Roberto*, cognomento *Bugre*, Inquiſitore apud Flandres conqueritur *Matth. Par.* p. 465. Et ſanè, quam de iis tibi polliceri queas clementiam, qui in Scholis, Conciliis, Dicaſteriis omne ſuum contra Waldenſes evomuerunt virus, omnes circa eos controverſias, lictoribus potiùs & apparitoribus, quàm Theologis decidendas, exquiſitiſſimè excuſſeruut? Videamus unum & alterum ſpecimen. Notæ ſunt *Raymundi* hac de re rubricæ, quas habet *Bzov.* a. Ch. 1235. § 5. ex quibus prima: *Credo, quod deprehenſi in hæreſi, ſecundùm ſtatuta Domini Papæ debeant*

beant incarcerari, in carcere de muro forti, & quantum fieri poteſt in loco non ſuſpecto debeant retrudi, & ita cautè, quod habeant cuſtodes fideles Catholicos & ſecuros, per quorum munus provideatur eis in neceſſariis, & illorum ſolicitudine mediante. Aph. 6. *Si quis citatus in jure, confitetur ſponte, id eſt, non metu probationum, vel tormentorum, ſe olim hæreticis credidiſſe, dicit tamen, ſe de crimine emendatum, & in Confeſſione ſecreta abſolutũ ſeu reconciliatum, & paratus eſt probare per ſuum Confeſſorem: ſi crimen occultum erat, ita quod præter Confeſſionem aliæ probationes non habentur, videtur quod ei ſufficiat, quantum ad hoc teſtimonium Confeſſionis, ſi tamen diſcretus ſit, & bonæ opinionis. Si autẽ non ſponte, ſed metu facta eſſet talis confeſſio, vel crimen non eſſet occultum, videtur alterius ſecundum diſcretum judicantis arbitriũ procedendum: præſertim ſi ſecundum Confeſſionis cognitionem & probationes contra ipſum inventas convici valeat, aliquos in Confeſſione ſua tacuiſſe errores; habita ſemper conſideratione, utrum per malitiam vel ſimplicitatem hoc videatur feciſſe.* Aph. 8. *Si quis recepit aliquando VValdenſes, credens illos eſſe*

bonos homines, licet ſciret quod Eccleſia perſequeretur eos, & Principes ſeculares igni traderent cremandos, non tamen per Confeſſionem ejus vel aliam probationem habeat, quòd alicui errori crediderit ſpeciali, credo, quòd ſi talis ſcit vel credit, quod Eccleſia dictos VValdenſes propter hæreſin perſequitur, vel condemnat, indubitanter eſt hæreticus judicandus: niſi conſtaret, ipſum adeò fatuum & inſanum, quòd neſciret quid eſſet hæreſis, vel error; nec ſubterfugit, quo minus ſuper his doceretur, & eſſet paratus credere, ſecundum quod Eccleſia doceret eum. Si autem ignorat cauſam perſecutionis hujusmodi, credens eos eſſe Catholicos: licet prima facie violenta præſumtio habeatur contra ipſum, cùm debuerit approbare, quos approbat Eccleſia, & reprobare, quos reprobat, non videtur, præſertim in foro Confeſſionis hæreticus judicandus. Eidem, ſine dubio, *Raymundo Peniafortio* acceptam tulerunt, rigidam illam in VValdenſes, quos *Inzabbatatos* Acta vocant, cenſuram, quam à Tarraconenſe Concilio habemus. Prolixa illa ſunt, non tamen indigna, hæc enim luculentiſſima trophæa eſſe duco, quibus Eccleſia victoriam ſuam contra portas Inferni oſtendit; quæ Hiſtoriæ huic inſerantur. Cùm nos Petrus (ita verba habent ex *Bzov.* a.Ch.1242. S.4.

S.4. miſeratione divina Archiepiſcopus Tarraconenſis inquiſitionem inceptam per bonæ memoriæ Berengarium, Barcinonenſem Epiſcopum contra hæreticam pravitatem in civitate Barcinonenſi vellemus effectui mandare, inter juriſperitos, qui nobis tum aderant, dubitationes hinc inde variæ emerſerunt. Quare ut circa factum hæreſis, & Inquiſitionis, de cætero fiendæ in provincia Tarraconenſi clarius procedatur, collationibus inde factis cum venerabili F. Raymundo de Pæniaforti, Pœnitentiario Domini Papæ, & aliis prudentibus, in proceſſu ſententiarum *Hæreticorum, Fautorum, Suſpectorum, Relapſorum*, & quæ pœnitentiis eorum, ſecundum diſcretionem nobis à Domino datam, ita duximus procedendum. Inprimis quæritur, qui dicantur *Hæretici*, qui *Suſpecti*, qui *Credentes*, qui *Fautores*, qui *Receptores*, qui *Defenſores*, & qui *Relapſi*: Cùm iſta genera hominum in Canone explicentur: & videtur, quòd *Hæretici* ſunt, qui in ſuo errore perdurant: ſicut ſunt Inzabbatati, qui dicunt, in aliquo caſu non eſſe jurandum: & poteſtatibus Eccleſiaſticis vel ſecularibus non eſſe obediendum, & pœnā corporalem non eſſe infligendam, in aliquo caſu, & ſimilia. *Credentes* verò dictis hæreſibus ſimiliter hęretici ſunt dicendi. *Suſpectus* de hæreſi poteſt dici, qui audit prædicationem, vel lectionem Inzabbatatorū: vel qui flexit genua orando cū eis, vel

qui dedit oſculum eis, vel qui credit, ipſos Inzabbatatos eſſe homines bonos, vel ſimilia, quæ poſſunt probabiliter ſuſpicionem inducere. Et poteſt dici *ſuſpectus*, ſimpliciter eſſe, qui ſemel oravit, vel alterum fecit de prædictis cum eis. Si verò pluries audiviſſet prædicationem, vel lectionem, vel orâſſet, vel aliquid aliud de prædictis feciſſet cum eis, poſſet dici vehementer Suſpectus. Si autem prædicta omnia feciſſet, maximè ſi pluries, poſſet vehementiſſimè dici Suſpectus. Iſta ideo dicimus, ut diſcretus judex purgationē poſſet gravare, vel moderari, prout magis viſum fuerit expedire. *Celatores* credimus eos, qui viderunt Inzabbatatos in platea vel in domo, vel alio in loco, & cognoverunt eos Inzabbatatos, & non revelaverunt eos, cùm haberent aptitudinē revelandi eos Eccleſiæ vel Juſtitiario, vel aliis, qui poſſent eos capere. *Occultatores* dicimus, qui feceruut pactum de non revelando hæreticos vel Inzabbatatos, vel aliâs procuraverunt, quòd non revelarentur. *Receptatores* ſunt, qui ſcienter bis, vel ultra receperunt hæreticos vel Inzabbatatos in domo ſua, vel in alio loco ſuo. *Receptaculum* credimus eſſe domum vel hoſpitium, ubi hæretici vel Inzabbatati bis vel pluries convenerunt ad prædicationem & lectionem: vel etiam ubi hæretici vel Inzabbatati pluries hoſpitantur. *Defenſores* dicimus, qui ſcienter defendunt hæreticos, Inzabbatatos verbo & facto, vel quocunque ingenio in terris ſuis, vel alibi, quominus

minus Eccleſia poſſit exercere ſuum officium ad extirpandam hæreticam pravitatem. *Fautores* credimus omnes ſupradictos, poſſe dici ſecundum magis & minus, & etiam qui aliàs quodcunque eis dederint Conſilium, auxilium, vel favorem. Et omnes fautores credimus ipſos eſſe dici ſuſpectos, ita quod debent ſe purgare, & abjurare hæreſin & omnem fautoriam, & debent ſanctæ matri Eccleſiæ reconciliari. *Relapſos* dicimus illos, qui poſt abjuratam hæreſin vel renuntiatam revertuntur in priſtinam credentiam hæreſis. Eodem modò dicimus relapſos in fautoriam illos, qui poſt abjuratam hæreſin vel fautoriam benefaciunt hæreticis, vel celant eos. Et omnes prædictos dicimus excommunicatos majori anathemate: exceptis ſuſpectis ſine fautoria, ſi fortè inveniantur. *Dubitatio* etiam oritur apud quoſdam: utrum relapſi in Credentiam & hæretici dogmatizantes, ſi, poſtquam fuerint deprehenſi, voluerint pœnitere relinqui debeant judicio ſeculari? Et videtur nobis, quod non, ſed in quocunque caſu tales ad intruſionem ſunt condemnandi. Item, ſi multitudo hæreticorum ſeu credentium fuerit multa, & parati ſunt hæreſin abjurare, diſcretus judex ſecundum magis & minus, juxta proviſionem Apoſtolicæ ſedis, pœnas Canonicas poterit infligere talibus, & ſic pœnam intruſionis vitare, vel etiamſi multitudo non eſt tanta, circa Credentes diſcretus judex conſideratis circumſtantiis poterit mode-

 rari,

rari, prout viderit expedire, proviſo tamen quod perfecti hæretici, vel dogmatizantes, eorum errores, vel Credentes relapſi in Credentiam poſt abjuratam hæreſin, vel renunciatam in perpetuo carcere intrudantur, hæreſi penitus abjurata & abſolutione habita excommunicationis, ut ibi ſalvent animas ſuas, & alios de cætero non corrumpant. *Item quæritur:* Utrum ille, qui dedit oſculum Inzabbatato vel hæretico, quē credebat, vel ſciebat eum Inzabbatatum: vel oravit cū eo, & celavit eum, vel audivit prædicationē vel lectionem ab eo, & credidit talem eſſe bonum hominē ſit judicandus, credens eius erroribus? Et dicimus, quod non: ſed talis condemnetur tanquam fautor, vel occultator, & benefactor & vehementer ſuſpectus, quod credit ejus erroribus: niſi adeo eſſet literatus, vel diſcretus, quod non poſſet ignorantiā prætendere; quod arbitrio diſcreti judicis duximus relinquendū. *Item quæritur:* Quid ſi quis ante Inquiſitionem inceptam fuit confeſſus ſacerdoti ſuo de hæreſi, vel fautoria, & vocatur modò ab inquiſitoribus? In caſu iſto, credatur Confeſſori ſuo: Et ſi inventus fuerit bene cōfeſſus per Confeſſionem Sacerdotis, licèt Sacerdos malefecerit, quia ipſum non remiſit ad Epiſcopum, ille tamen confitens per talem Confeſſionem evitet pœnam temporalē: niſi inveniatur in falſa pœnitentia, vel relapſus poſt pœnitentiam, vel publicè diffamatus. Si autem elegat manifeſtam pœnitentiam, vel reconciliationē, probet

probet per duos teſtes. Si quos verò conſtet ante inchoatam Inquiſitionem, de his fuiſſe confeſſos, debent publicè abjurare hæreſin, & aliã ſolennitatem facere, niſi ita ſit ſecretum factum, quod non habeat contra famã ſe vel teſtes, & tamen in utroq; caſu ſunt ab omni pæna temporali immunes. Si verò aliqui vocati ab Inquiſitoribus deerant tempore ſuæ depoſitionis, & poſtea ad inſtantiã Inquiſitorum vel metu probationũ diſco operiunt veritatem; ſed dicunt, quod hæc tacuerunt propter verecundiã vel timorẽ, tales credimus perjuros, quia, qui ſcientes falsũ dicunt, vel verum tacent, perjuri ſunt, & ideo pœnitentia Canonica eſt eis gravior imponenda. F*ormæ pænitentiarũ. Hæretici perſeverantes* in errore relinquantur curiæ ſecularis iudicii. Perfecti verò hæretici, ſi cõverti voluerint, & dogmatizantes, abſolutione præhabita & abjuratione facta, perpetuo carceri intrudantur. *Credentes* autẽ hæreticorũ erroribus, ſolennem faciant pœnitentiam, hoc ſcilicet modo: Quòd in Feſto omnium Sanctorum proximè venturo, & in prima Dominica adventus in die Natalis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, S. Mariæ Feb. S. Eccleſiæ, S. Mariæ Martii, & per omnes dies Dominicos Quadrageſimæ ſint in proceſſionibus, ad ſedẽ ſeu Eccleſiã Cathedral. & ibi diſcalceati in braccis & camiſia, præterquã in die S. Mariæ Febr. & in Ramis palmarum ut reconcilientur. In Eccleſia Parochiali in proceſſionibus publicè diſciplinati per Epiſcopum

pum vel Sacerdotem Eccleſiæ. Item in quarta feria in Capite Jejunii veniant ſimul ad ſedem, & ſint eodem modo, & ſecundum formam juris diſcalceati in braccis & camiſia ante fores Eccleſiæ, & tunc ſecundùm Canonica inſtituta publicè reconcilientur Eccleſiæ. Et hanc pœnitentiam de quarta feria, & de ſtando extra Eccleſiam per totam Quadrageſimam, & de die Cœnæ, faciant, quamdiu vixerint quolibet anno. Sed in diebus Dominicis Quadrageſimæ, facta reconciliatione exeant Eccleſiam, & ſtent ad fores uſque in diem Cœnæ, & portent duas Cruces perpetuò ante pectus, quæ non ſint ejusdem coloris cum veſtibus, & portent ita, ut videri poſſint ſolenniter pœnitentes: ita tamen, quod non abſtineant ab ingreſſu Eccleſiæ in Quadrageſima, ultra decem annos. *Pœnitentia illorum, qui ſunt relapſi in fautoriam*, ſimiliter erit ſolennis, & de credentibus proximè dictum eſt, in diebus omnibus ſupra dictis: hoc excepto, quòd Cruces portare, & pœnitentiam de quarta feria cinerum & ſancto die Jovis faciant ſimili modo per decenniū. Pœnitentia illorum, qui non ſunt relapſi in fautoriam, ſed ſunt fautores, & vehementiſſimè ſuſpecti, erit eodem modo ſolennis in Feſto omnium Sanctorum Natalis Domini, Epiphaniæ, S. Mariæ Febr. per omnes dies Dominicos Quadrageſimæ. Et aliam pœnitentiā de feria quarta Quadrageſimæ, & de ſtando extra Eccleſiā per totā Quadrageſ. & de reconciatione in die Cœnæ ut

ut ſupra dictū eſt, faciant per ſeptennium. *Pœnitentia* illorū, qui ſunt *fautores*, & vehementer ſuſpecti, erit ſolennis eodē modo in feſto omnium Sanctorū Natalis Domini, S. Mariæ Februarii, in Ramis palmarū, & aliā pœnitentiā de quarta feria Quadrageſimæ, & de ſtando extra Eccleſiā per totam Quadrageſimā, & de reconciliatione in die Cœnæ, ut ſupra dictum eſt; faciant per quinquennium. *Pœnitentia* illorum, qui ſunt *fautores*, & *ſuſpecti*, erit ſolennis eodem modo, in Feſto omnium Sanctorum, S. Mariæ Februarii, Ramis palmarum, & aliam pœnitentiam feria quarta Quadrageſimæ, & ſtando extra Eccleſiam per totam quadrageſimam, & de reconciliatione in die Cœnæ faciant per triennium Intelligitur autem, quod mulieres veſtitæ veniant & diſciplinentur. Hanc autem pœnitentiam faciant omnes prædicti in feſtivitatibus & diebus præordinatis in civitate iſta vel loco, & non alibi, uſque ad feſtum Paſchæ: Illi ſcilicet, qui ſunt cives, Forenſes autem faciant eam in Parochiis ſuis, & non alibi: præterquam in feria quarta, in Capite Quadrageſimæ, & in die Cœnæ Domini, in quibus veniant omnes ad ſedem vel ad locum Eccleſiæ ſuæ. In ſequentibus verò temporibus Quadrageſimalibus, decennalem pœnitentiam, ſeptennalem, quinquennalem, triennalē, quam debent facere in quarta feria in introitu Quadrageſimæ, & in die Cœnæ Domini, ſecundùm diverſitatem culparum, ut jam definitum

eſt, faciant omnes tam cives, quàm forenſes in ſede civitatis alibi ſuæ, & nō alibi, niſi ex juſta, & rationabili cauſa, & de ſpeciali licentia Epiſcopi vel Vicarii ſui: & tunc in locis, ad quæ de licentia Epiſcopi iverint, faciant coram Epiſcopo illius loci, vel locū ejus tenente eandem pœnitentiam, portantes literas Epiſcopi, vel Vicarii ſui, continentes pœnitentiam, quam facere debent. Et reportet etiam ille, qui pœnitentiam fecerit, literas illius loci ad N. talis diœceſis de peracta pœnitentia teſtimonium continentes. Quòd ſi fortè caſu fortuito, ſine fraude tamen & dolo, in illis duobus diebus non poſſent ad Cathedralē Eccleſiam pervenire; cùm redierint in duabus aliis ſolennitatibus, aſſignatis eis juxta arbitriū Epiſcopi publicè diſciplinentur apud ſedem N. ſecundū formam illorum duorum dierū. *Forma ſententiæ contra hæreticum abſolutū.* Si hæreticus pœniteat, & ſecreto abſolvatur, Eccleſiæ jure ſolennitatibus ſervatis, cùm jam non ſit hæreticus, formabitur ſic ſententia: Pateat omnibus, quòd per ea, quæ in Inquiſitione, inventa, prodita, & acta ſunt, liquidò nobis conſtat, quod talis fuit deprehenſus in hæreſi, & poſtmodum reverſus ad Eccleſiæ unitatem, agentes miſericorditer cum eodem, ipſum ad perpetuum carcerē condemnans ſecundùm Canonica inſtituta. *Alia forma.* Si autem nondum ſit abſolutus, ſic formabitur. Pateat omnibus, &c. quod talis deprehenſus in hæreſi,

reſi, & vult reverti ad Eccleſiæ unitatem agentes miſericorditer cum eodem, &c. *Forma ſententiæ contra hæreticum pertinacem.* Si verò non vult pœnitere, ſed in errore perdurat, præſenti judice ſeculari, ſententia ſic formetur. Pateat omnibus quod per ea, quæ in Inquiſitione inventa, probata & acta ſunt liquidò nobis cõſtat, quod talis eſt deprehenſus in hæreſi per Eccleſiam condemnata, & ipſum, tanquam hæreticum condemnamus. *Sententia contra fautores.* Contra fautores ſententia ſic formatur. Pateat omnibꝰ, quod per ea, quæ in Inquiſitione inventa, probata & acta ſunt liquidò nobis conſtat, quòd talis eſt deprehenſus in fautoria, & denunciamus ipſum excommunicatum, & ſuſpectú de hæreſi, & per annum, contempſerit ſatisfacere, ſubjaceat pœnis Concilii Generalis: & ſi defecerit in purgatione, & in excommunicatione per annũ ſteterit, ut hæreticus condemnetur. *De forma purgationis.* Suſpectus de hæreſi purgabit ſe publicè in hunc modú. Ego N. juro per Deum omnipotentem & per hæc ſancta Dei Evangelia, quæ in manibus meis teneo corã vobis, Domino N. Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, & corã aliis aſſiſtentibus, quod non ſum, vel fui Inzabbatatus, Waldenſis, vel Pauper de Lugduno, nec hæreticus in aliqua ſecta hæreſis per Eccleſiam damnata: nec credo, nec credidi eorum erroribus, nec credam aliquo tempore vitæ meæ: Imò profiteor & pro-

proteſtor, me credere, & ſemper in poſterum crediturum fidem Catholicam, quam S.R.E. & Apoſt. publicè tenet, docet, & prædicat: & vos, D. Archiep. vel Epiſcopi, & cæteri Prælati Eccleſiæ univerſalis tenent, prædicant, publicè atque docent. *Qualiter Compurgatores jurare debent.* Compurgatores jurabunt per hunc modum: Ego N. juro per Deum, & per hæc quatuor Dei Evangelia, quæ manibus meis teneo, me firmiter credere, quòd talis non fuit Inzabbatatus. VValdenſis, ne Pauper de Lugduno, nec hæreticus, nec credens eorum erroribus, & credo firmiter, eum in hoc verum juràſſe. Caveat tamen judex, quod ex quo certum numerum compurgatorum duxerit alicui injungendum, non eſt honeſtum, quod poſtea mutet; ne ſic Lateranenſe Concilium illudatur. Hactenus Concilii Tarraconenſis præſcriptio, cuius ſævam truculentamque executionem capite multi luerunt. Atque ſic Theologi belligeràrunt contra VValdenſes: A Principibus, ad harum tubarum voces, ipſaque adeò plebe, quid moderatius expectes? Miſeri & omnium injuriis expoſiti VValdenſes ita exoſi erant, ut ne Ave quidem, absq; anathematis periculo, dicere iis licuerit. Vide *Bzov.* a. Ch. 1234. S. 14. Hinc furiæ laicorum, quibus a. *Indignè ubique tractabantur*, & ſub religionis prætextu pietatiſque ſtudio ad necem rapiebantur. *Chronicon Londinenſe*: *Albigenſes in Anglia cle-*

clerum convitiis inſectabantur, quorum unus fuit Londini exuſtus an. D. 1210. & crux contra illos ſtatim prædicabatur. Bal. Cent. 3. pag. 268. Et p. 259. innumerus penè VValdenſium in Gallia, Arragonia, &c. Martyrum numerus refertur, confer p. 301. *Matth. Par.* p. 523. *Mediolanenſes tum temporis formidine pœnæ potius, quàm virtutis amor hæreticos combuſſerunt, quamobrem numerus civium nimis eſt mutilatus.* An. Chr. 1204. Innocentius III. Ciſtercienſem Abbatem una cum duobus Monachis, Montisfrigidi Apoſtolicæ ſedis Legatos cũ plenaria poteſtate ampliſſimis facultatibus Legatorum, ad extirpandos Albienſes miſit. *Bzov.* A. Ch. 1215. S. 7. inquit *idem, multi in occulto fuerunt hæretici utriusq; ſexus, qui varios in Alemania, Francia & Italia errores ſeminaverant, quorum plures deprehenſi flammis exuſti ſunt.* Meminit etiam ferri candentis, de quo ſupra. b. *Bellis deinde diuturnis vexabantur*, imò ferè quotannis expeditio contra eos fuit ſuſcepta; *Calviſ.* a. Ch. 1211. in quibus tamen non ſemel illi evaſerunt ſuperiores; uſque adeò, ut *Bzov.* a. Ch. 1212. obſervet, *Ingentem eam tempeſtatem bonorum mentibus perturbationem attuliſſe, neque apparuiſſe, quinam & quando tanti certaminis exitus eſſet futurus.* Et a. Ch. 1218. S. 3.

Catho-

Catholicos in Gallia una cum Simone Montfortio contra Albigenſes viribus & copiis ab Iacobo Arragoniæ Rege auctos, decertantes, iidem hæretici opprimere videbantur, adeò ut Comitem Montfortium extinxerint. Is enim in obſidione Toloſana, conjecto ex urbe ſaxo, die 25. Iulii occubuit. Hinc ſuos Pontificii jactant Martyres: vide *Bzov.* an. Chr. 1242. S 4. Martyrum, *Petri* Dominicani (cujus cappam, in qua occiſus erat, olim in Monte Sancto, prope Vitodurũ cum aliis reliquiis oſtendebant) narrat an. Ch. 1151. S. 4. Ut ergo majorem deinceps victoriæ ſpẽ Principes concipere poſſent: adjunxit iis Pontifex Romanus militiam cruciatam de novo conſcriptam, aut cùm exulantem modò, & finibus terræ ſanctæ vel ejectam, vel parvo cum ſucceſſu languentem, ſibi parum uſui eſſe poſſe videret, paribus privilegiis & indulgentiis ornatam. Unde *Bzov.* a. Ch. 1221. S. 8. *In Galliis Toloſates Hæretici omnia miſcebant, neq; verbis, neq; armis cohiberi poterant, quo minus Catholicos infeſtarent. Cum autem cruce ſignati neque perpetuo, neq; ut par erat contra perfidos decertarent, Honorius tertius, ut caſtrorum acies promtas & expeditas contra eoſdem inſtrueret, Religioſis ſancti Dominici injunxit, poteſtatemq; plenariam dedit, ut ſacram mili-*

tiam

tiam, quæ de pœnitentia diceretur, adverſus hæreticos inſtituerent; Convenit multitudo ingens, & huic ſanctæ Sodalitati nomen dedit, ſumpto pullo pallio ſuper alba veſte & præſtito ſacramento in tutelam fidei orthodoxæ. Et a. Chr. 1222. S. 4. *In* Galliis *mortuo Raymundo, Comite Toloſano, ſucceſſit ei eodem nomine, eademq; tunc impietate filius, qui cum Catholicis infeſtior eſſet, neq; ab eorum injuriis ſibi temperaret, Honorius Pontifex vindex Catholicæ libertatis, Philippum* A*uguſtum Gallorum Regem hortatus eſt, ut hæreticos armis ſumptis ab univerſo regno expelleret. Cauſabatur is, non ſibi ſufficere ſumptus in ſtipendia, & in commeatus militares. Quamobrem idem Honorius vigeſimam partem pro ſubſidio terræ ſanctæ in* G*alliis impoſitā tandem illi conceſſit, in clientelam ſedis* A*poſtolicæ illum & univerſum* R*egnum, ſuſcepit, & pares, &* I*ndulgentias, & immunitates cruce ſignatis contra Albigenſes militaturis indulſit, quemadmodū Palæſtinis.* Sic a. Ch. 1229. S. 8. *Cæterum, cum necdū Albigenſium hæreticorum audacia ſatis repreſſa eſſet, & is præter auxilia cruce ſignatorū, milite conſcripto opus haberet, confirmavit ei Gregorius confeſſionem decimarum à* R*omano*

no Legato in Concilio Bituricenſi tribus provinciis, R*hemenſi, Turonenſi, & Rothomagenſi impoſitarum,* non obſtante (NB) contradictione interpoſita à Capitulorum Prælatis.

IV. *Miraculosè Deum Eccleſiam ſuam à rabie hoſtium conſervâſſe:* premi quidem potuit, jactari, exagitari; opprimi nõ potuit. *Primò* enim Deus ipſos ſæpe inter ſe commiſit hoſtes, ut ne, viribus junctis, ſolis ſemper inſidiarẽtur Waldenſibus. Savaricus Malleonenſis, & Ludovicus Galliarũ Rex in mutua ſævientes viſcera, vires Pontificiorum ita diſtraxerunt, ut nec Waldenſibus nocere potuerint, nec Saracenis; *Bzov.* an.Ch.1224. S.3. *Deinde*, ne juſſi quidem ſemper Pontificis milites, aut fidei conſecranei, imperata fecerunt: Vide querelam *Bzov.* an.Ch.1222.S.8. ſuos hinc inde habebant fautores, contra quos toties fulmina ſua vibravit Papa: vide *eundẽ* a.C.1289.S.7. *Tandẽ* eâ divinitus pleriq; armati fuerunt cõſtantia, ut nullæ Papæ machinæ, nullæ in bellis acceptæ clades (de quibus *Par.* p.381. nulla miracula, nulla vis fidem Chriſto datã frangere potuerint aut labefactare. Id quod nõ ſemel deplorat *Bzov* an. Chr. 1211. S.9. 1213. S.7. 1222. S.10. & alibi. Fuiſſe tamen aliquos, qui tot ſolicitationibus, minis vel pollicitationibus, adde & perſecutionibus, ſuccubuerint, mirum non eſt. In Gallia, Boſina & Dalmatia hoc factum eſſe, ſcribit *Bzov.* an.Ch.1222. S.10.

V. U

V. Ut verò Pontifex effrenem plebis libidinem in innocentes armaret Chriſtianos, *dogmata iis monſtroſa* impingi voluit, quibus tum fides, tum vita Chriſtiana planè peſſundatur. De dogmatibus VValdenſium hujus ſeculi loquitur *Bzov.*a.Ch.1270.*S.*12.quæ conferri poſſunt cum iis,quæ ſupra jam diximus p.281. Quæ de moribus objiciuntur, diluimus p.286. Cætera reſervamus ſequenti ſectioni, in qua contra Pontificios quædam erunt vindicanda. Addam ἐπιμέτρου loco magni cuiuſdam, & VValdenſibus parentibus nati, de adventu eorum in Valles Pedemontanas, viri judicium. *VValdenſiũ reliquias*, ſcripſit non ita pridem ad me, *poſt Gallicas lanienas a.Ch.*1170.*&c. in patriam meam confugiſſe credo, quod ibi inter fratres* ὁμοδόξους *Claudii Taurinenſis ſucceſſores, imò Apoſtolorum diſcipulos, inter quos Deus fidem puriorem perpetuo ſervaverat, perfugium ſibi tutum eſſe ſcirent. Alias nulla cauſa erat, cur ſuperatis immenſo labore Alpibus in Italiam Antichriſti ſpelæum ingrederentur.*

V. *Horum, ſine dubio, VValdenſium ſocios cenſendos illos, qui cùm* ἀνώνυμοι *ſint in veterum Hiſtoriis, ex dogmatum tamen convenientia facilè dignoſcuntur.* Eorum *Bzovius* aliquoties meminit. Vide ſup. p.556.*Catal.Teſt.Verit.* lib.16.p.671.ex *Hermanno Mutio* & *Cranzio*: Paraleip. *Vrſp.*p.m.330. *Naucl.*

Gen. 41. p. 211. quibus addi poteſt *Vitoduranus* noſter, qui ad a. Ch. 1220. ita ſcribit: *In his temporibus cœperunt pullulare multæ hæreticæ pravitates, in* Alemaniæ *partibus præcipuè, imò aliquæ tam enormiter excreverunt, quod cum dolore cordis mei refero, quod octo articuli ſunt ex eis diſtincte à ſede Apoſtolica in perpetuum condemnati, ſicut patet in ſeptimo Decretaliũ, capitulo incipiente:* Ad noſtrum, &c. *Tempore poſteriori memorato, circiter annos Dom.* 1347. *in aliquibus locis* Sueviæ *tam valenter in ſcandalum hominum graviſſimum & fidei pernicioſiſſimum, tantum multiplicatæ, ac longe lateq; diſſeminatæ ſunt ac radicatæ, quod evelli & aboleri non poſſunt proh dolor!* Ad hoc, *quod lamentabilius eſt, devenit, quod nemo eos viſitare, corrigere, examinare vel corripere attentat vel præſumit, & idcirco more lolii ſeu Zizaniæ triticum ſuffocare ſolentis fidem inficiunt Orthodoxam plus quàm Iudæi vel Gentes: nec immeritò, cùm liberiorẽ acceſſum habeant ad fideles, quàm externæ nationes. Vnde fundamentum Eccleſiæ militantis ſubverterent penitus, ſi doctores eis non obſiſterent.*

[*b*] Repete, quæ ſupra diximus p. 325. Retulimus ibi, quo loco Græci habeant Latinos: juvabit

vabit nunc etiam nôſſe, quid viciſſim Latini ſenſerint, de Græcis. 1. Ergò, mores & ritus ſe eorũ quosdam, modò Papæ ſubeſſent, toleraturos decernunt in Synodo Lateranenſi, *Bzov.* a. Ch. 1215. S. 3. quo uſq; verò hæc ſe ex tolerantia extendat, docuit Innocentius IV. diplomate ſuper compoſitione Archiepiſcopi Nicoſienſis in Cypro, & ſuffraganeorũ ejus, cum Græcis Epiſcopis, apud *Bzov.* a. Ch. 1253. S. 13. 2. Patriarcham Conſtantinopolitanum reliquis tribus præferunt, ejusque ſupra illos authoritatem ſtabiliunt, Ib. 3. Omnem plenæ ineundæ reconciliationis viam quærunt. Tentavit hoc Gregorius IX. vide ſup. p. 327. confer *Bzov.* a. Ch. 1231. S. 5. 1233. S. 1. Urbanus IV. cujus ad Palæologum pro unione facienda extat Epiſt. apud eundem a. Ch. 1264. S. 2. quam etiam, ſed fictam primo, ut fatentur Pontificii, videbatur obtinuiſſe, Id. an. Ch. 1266. S. 9. Unde & Clemens IV. quo ſic de Palæologi fide & obſequio certior eſſet, *formulã ei fidei à ſede Apoſtolica conceptã miſit, ut ex eadem coram Apocriſiariis deſignatis, una cum Patriarcha, Epiſcopis, clero & populo publicè ex more priſco profiteretur, ac id, quod* S. R. *Eccleſia credit & confitetur, ipſe ſe credere & confiteri manifeſtò renunciaret, adq; unitatem Eccleſiæ ejusdem cum univerſo clero & populo rediret. Quod ſi de quoquam ambigeret, ut Apocriſia-*

 rios

rios ſuos ad ſedem Apoſtolicam mitteret, quibus cum de fide & unione tractare commode poſſet. Si verò etiam Concilium Oecumenicum congregari poſtularet, iſtud quoq; Pontifici ad omnia prompto renunciaret. Et ne fortè plus nimium ſibi de Concilio ejusmodi, quod avide Palæologus arripuit, polliceretur; quaſi liberis utrinque votis cauſa cognoſcenda eſſet, & diſcutienda, diſertis verbis declaravit, *non hac ſe mente obtuliſſe Concilium, quaſi doctrinam à Patribus traditam, & Romanorum Pontificum in ſuis Synodis definitione firmatam, novæ diſcuſſioni ac definitioni eſſet ſubiecturus.* Sed ut potiùs in ſuas Græcos pertraheret partes. Hæc nempe Conciliorum Papiſticorum libertas eſt, quam Majorum etiam noſtrorum tempore Tridenti novo ſpecimine probârunt, in quibus non tam de doctrina examinanda, quàm examinata per fas & nefas, igni & ferro, arte & Marte obtrudenda laboratur. Prævaluerunt nihilominus Romanorum tandem blanditiæ, quibus Palæologum ſuum fecerunt proſelytum, ut diximus ſup. p.327. confer *Bzov*.an.Ch.1273.S.1. 1274.S.1. & 2. ubi in Concilio Lugdunenſi Imperatoris Legati fidem ſuam ita ejurabant: *Ego Gregorius Acropolita, & magnus Logotheta, Nuncius Domini noſtri Imperatoris Græcorum, Michaelis Angli, Ducas Comneni, Palæo logi*

logi, habens ab eo ſufficiens ad infra ſcripta mandatū, omne ſciſma prorſus abjuro, & ſubſcriptam fidei veritatem, prout plenè lecta eſt, & fideliter expoſita, nomine dicti Domini noſtri, veram, ſanctam, Catholicam & Orthodoxam fidem eſſe cognoſco, eam accepto, & corde & ore profiteor: ipſamq; prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat ſacroſancta R*omana Eccleſia, ipſum inviolabiliter obſervaturum, nec ab eo ullo unquam tempore receſſurum, quoquo modo deviaturum, vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoq; ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur ad ipſius Eccleſiæ obedientiam, nomine ipſius, & meo, ſpontaneus veniens, pro ipſo & pro me fateor, recognoſco, accepto, & ſponte ſuſcipio, & ipſum omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quàm circa ejusdem Eccleſiæ primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervantiam & perſeverantiam ſervaturum, præſtito in animam ipſius, & meam corporaliter juramento promitto, & confirmo. Sic ipſum & me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia:* quam verò gratiam ad ſuos reduces Legati illi reportarint, tum à Patriarcha, tum ab Andronico,

& ipſa etiã plebe, narrat Bzov. a. C. 1275. S. 1. *Quatuor capita legationis fuerunt, ex decreto Concilii præfinita. Primũ, ut in ſacrorũ voluminũ hymnodiis, Pont. Rom. cum quatuor Patriarchis mentio fieret. Alterum, ut liceret, cuivis Romam veterem, quæ curia major, atq; perfectior, nec non prima eſſet, appellare Tertium, ut ſummo Pontifici Romano Principatus in omnibus deferretur. Quartum, ut proceſſionem Spiritus S. æquè à Filio ac à Patre, una cum reliquis myſteriis fidei, atq; ſacramentis Eccleſiæ ex formula Eccleſiæ Romanæ crederent, atque faterentur. Iam ad eum modum omnia pacata & tranquilla omnia fore ſperabantur. Verum tamen Gentis levitate atque inconſtantia, & Ioſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani protervia, & fallaciis nec non ſummo Andronici ſcelere atque impietate omnium hominum nequiſſimi, natio ad ingenium verſa, ſacra omnia fœdera religionis violavit, confudit ac perturbavit: & tenebris ſempiternæ noctis ſeſe perpetuo involvit, imbuta inveteratæ pravitatis erroribus, & ſacroſanctam religionis neceſſitudinem flocci pendens. Sanè Patriarcha Ioſephus ea concordia repudiata, ſede ſua ceſſit: nec multo poſt relicta urbe, ſe* in

in Archiſtrategi Monaſterium ad Boſphorum contulit, ubi reliquum ætatis exigeret. His re- *bus ſacerdotum Collegium concitatum haud obſcurè ferebat ſe non eſſe quieturum, plebemque ab Imperatoria illa concordia revocabat, Martyrii & coronarum tempus eſſe mentiens, ita ut magnus inde tumultus excitaretur, atque in atrocem tempeſtatem erumperet.* Hæc *Bzov.* Conatus erat Imperator & blanditiis & ſuppliciis extorquere à ſubditis conſenſum, ſed neutra via ſucceſſit. Malebant multi vel ſolùm vertere, vel vitam amittere, quàm Imperatori gratificari. Perſtitit interim Palæologus, & ut periculum à Latinis imminens *Bzov.* a. Ch. 1276. S. 10. averteret, alii Confeſſioni à Johanne Papa XXI per legatos miſſæ ſubſcribit, erroresq; Eccleſiæ Romanæ approbat; quæ omnia tamen ab Andronico filio, & Joſepho Patriarcha poſt Michaelis exceſſum reſciſſa ſunt; *Id.* an. Ch. 1263. S. 10. Beci etiam Chartophylacis, Romanorum & ſacra & patrocinium ſuſcipientis.

[*c*] Sufficere poſſent, quæ diximus ſup. p. 438. & deinc. quia verò ζυμβιβάσεις ejusmodi, quò ſunt pleniores, eò magis jugulum petunt cauſæ Pontificiæ, non pœnitebit hanc quoque alteram ejus partem exemplis illuſtrâſſe.

I. In loco de SCRIPTURA habemus *verſionem*

Bibliorum in linguas vernaculas. Jacobus de Voragine Archiepiſcopus Genuenſis utriusque inſtrumenti divina volumina primus omnium in Italicam linguam ſumma fide ac diligentia transfudit: *Bzov.* a. Ch. 1292. S. 11. Eadem habet *Sixt. Senenſ.* Bibliot. ſac. p. 155. Alfonſus ſapiens præter Aſtronomiæ ſtudium etiam ſacra Biblia in Hiſpanicam Linguam traduci curavit: *Calv.* a. Ch. 1283. quo idem mortuus eſt. Huic controverſiæ affinis eſt altera illa de *uſu Linguæ vernaculæ in adminiſtratione ſacrorum*, quam ſibi adimi multi nolebant. *Per idem temporis Innocentius Papa Legatum ad* Regem Ruthenorum, *ut eum ad unitatem Eccleſiæ* Romanæ *invitaret, deſtinavit, atque Epiſcopo* Scerienſi, *circa uſum celebrandi divina à temporibus ſancti* Hieronymi, *materno Idiomate apud Sclavos introductum, hunc in modum reſcripſit*: Petitio tua continebat, quod in Sclavonia eſt litera ſpecialis, quam illius terræ clerici, ſe D. Hieronymo aſſerentes habere, obſervant in divinis officiis celebrandis, unde & illis efficiaris conformis, & in terræ conſuetudine, in qua conſiſtis, Epiſcopos imiteris, celebrando divina ſecundũ dictam literam humiliter poſtulâſti. Nos igitur attendentes, quòd ſermo rei & non res eſt ſermoni ſubjecta, licentiam tibi, duntaxat in illis partibus, ubi de conſuetudine obſervantur præmiſſa, dũ modò ſententia ex ipſius varietate literæ non lædatur, authoritate præſentiũ concedimus. *Id.* a. Ch. 1250. S. 6.

II. Sa-

II. SACERDOTUM Conjugium defendebant hactenus Sueci & Gothi, idque Græcorum more. *Bzov*.a.Ch.1240.S.9. quæ tamen iis libertas decretis ſuis ademta. *Autor Catal. Teſt. Verit.* lib.17.p.713. *Idem actum eſſe in* Synodo *Coloniensi a.Ch.*1260. *ex cuius Canone primo colligere liceat, ſacerdotes Germanos non facilè à legitimo conjugio fuiſſe divulſos. Synodus enim declarat, quàmplurimos repertos fuiſſe, qui ab uxoribus ſuis nullo mandato vel edicto divelli potuerint. Imò*, inquit Synodus, *in extremis agentes, ſi quid de bonis Eccleſiaſticis habuerint, ea pueris ſuis legant & deputant.* Facetum nobilis cujusdam Angli pro Sacerdotum conjugio carmen, poſt Synodum Lateranenſem a. Chr. 1216. compoſitum, habet *Pal.*Cent.p.262.

III. INVOCANDI Sanctos conſuetudo ubique ferè in Papiſtico regno obtinuit. Rationes tamen Christiano in hac vita συναγωνισμῷ eas oppoſuerunt, quæ longè melius ipſam defunctorum invocationem convellunt. R*ogavit aliquando Ægidium* (comes fuit Franciſci, cui multa deferunt Pontificii: vide *Bzov*.a.Ch.1230. S.8.) *frater quidam, ut pro ipſo Dominum deprecaretur. Cui Ægidius: Tu verò ora, inquit, pro te ipſo. Quid enim alium pro te mittis, & tu interim deſides, cùm poſſis ipſe iter conficere?*

illo dicente, ſe peccatorem eſſe; Ægidium Dei amicum, atque ea cauſa poſſe Dominum & ſibi, & aliis propitium reddere. Ægidius reſpondit: Frater mi, ſi omnes omnium platearum anguli, auro argentoque redundarent, ac proclamatum eſſet; licere cuilibet pro voto illud auferre, alium ne pro te nuntium ablegaturus eſſes, quo tuo nomine id tolleret? Puto equidem te ipſum iturum, neque ſatis confiſurum alteri. ita nimirum cùm Deus omnes ad ſe invitet, theſaurosque nullo unquam tempore deficientes liberaliter promittat, nemineṁq; ad ſe venientem ſpernat, quid eſt quod alium pro te mittas? quin potius ipſum adito, cauſamque tuam ei exponito, ac multò facilius per te, quā per alium, quod deſideras, obtinebis. Habeant ſibi hoc à Monacho reſponſum, quia ſua ſe ſemper excuſare ſolent humilitate, quaſi nonniſi per apparitores coram Deo apparere ſibi liceat, quos tamen blanda Servatoris vox invitat Δεῦτε, *Venite* Matth. 11.

Papa præſertim cum reliquo clero vix ſuam ubique defendere poterat authoritatem.

A. Papæ enim ſe opponebant 1. *Romani. Plat.* in Greg. IX. p. 209. *Cum Gregorius ad omnia intentus Peruſinorum res ab exulibus perturbatas eo profectus cōponere ſtudioſus eſſet: ſtatim*

tim Romana tanta ſeditio orta eſt & hæreſis, quanta nunquam antea. Hannibale ex gente Annibala cum quibusdam ſacerdotibus malè ſentiente: quo quidem auctore populus Romanus uſus in Eccleſiam Dei conjuraverat. Matth. Par. p. 394. Eodem (1234.) anno exorta eſt Romæ gravis diſſenſio inter Dominum Papam & cives Romanos, his de cauſis. Vſurpabant ſibi cives memorati ex antiquo jure, quod Romanus Pontifex non poteſt aliquem ex civibus excommunicare, vel urbem pro quolibet exceſſu ſupponere Interdicto. Ad hoc dicit ſummus Pō-tifex, quòd minor eſt Deo, ſed quolibet homine major, ergo major quolibet cive, vel etiam Rege, vel Imperatore. Et cum eorum ſit Pater ſpiritualis, debet & de jure poteſt filios corrigere vel corripere delinquentes, ut ſibi in fide Chriſti ſubjectos, etiã deviare volentes in viã dirigere veritatis: unde de iure poteſt rationalibus de cauſis eos excommunicare, & Civitatem interdicere. Item poteſtates urbis & Senatores annuum tributum exigunt ab Eccleſia Romana, quod eis tam ex novo, quàm antiquo jure Romani Pontifices perſolvebant, de quo etiam ſemper uſque ad iſtius Papæ tempora in poſſeſſione fuerunt. Ad hoc dicit Papa,

pa, quod ſi Eccleſia Romana temporibus perſecutionis pro defenſione ſua & pro bono pacis aliquando majores civitatis in donis gratuitis liberaliter reſpexit, non debet hoc in conſuetudinem trahi: quia illa ſola conſuetudo tenenda eſt, quæ jure conſtat, & ratione ſubnixa eſt. Præterea comitatum ſuum; quod inauditum eſt, nec ante factum, metis novis & amplis, iubente Senatore, voluerunt ſibi appropriare, & appropriatum intitulare novis ſupra ſcriptionibus. Ad hoc reſpondit Dominus Papa, quod infra metas illas continentur quædam prædia, & etiam civitates & caſtra, utpote Viterbium civitas, & Altus mons caſtrum, quæ infra metas illas continentur, quas comitatui ſuo aſſignare præſumunt: ſed alienum ſibi aſcribere & uſurpare iniuſtum eſt. Et quod his omnibus maius eſt, Chriſtus in cruce ſuo ſanguine ita liberam fecit illam quod nec portæ inferæ prævalebunt adverſus illã. His igitur & aliis de cauſis inter Dominum Papam & cives Romanos lite conteſtata & præventilata, idem Papa cum ſuis Cardinalibus exivit ab urbe, & apud urbem Pereſium moram facturus divertit. At Romani contra eum invaleſcentes, quædam ipſius ædificia in civitate proſtraverunt.

verunt. Vnde à Papa excommunicabantur. Aperto deinceps diu pugnatũ eſt Marte, & quamvis majorem Romani paſſi fuerint cladem, *diu nihilominus hæc inter eos duravit diſſenſio*, ut idem loquitur. *Platin.* in Urbano IV. *Eodem tempore, etſi ditionem Eccleſiæ nequaquã vexarent, non tamen Pontificis Imperio obtemperabant Magiſtratus in urbe ſuo nutu creantes*, Papæ etiam ipſi ſæpe contradixerunt, Epiſcopi & Cardinales. Exemplum habet *Matth. Par.* pag. 844. Notanda diligenter ſunt Cardinalium verba: *Conſilium dederunt Domino Papæ, ut omnia hæc convenientibus oculis ſub diſſimulatione tranſire permitteret, ne ſuper hoc tumultus excitaretur.* Maximè propter hoc, quia ſcitur, quod quandoque diſceſſio eſt ventura. Cujus diſceſſionis periculum recitat p. 593. 2. *Angli*, quorum quidã improbitati Papalium exactorũ reſtituerunt; *Matth. Par.* p. 920. Querulas contra Pontifices voces, & ſingulas ex imo pectore tractos, repetere licet ex ſuperioribus, p. 401 & deinc. quibus adde quæ habet *Bal.* p. 288. 304. 307. *Cat. Teſt. Verit.* l. 16. p. 619. Cum Innocentio IV. quasdam contentiones habuit magnus tunc Doctor Eccleſiæ, Robertus Lincolnienſis, cognomine Capito, ejus improbans teterrimos mores, avaritias, faſtus, tyrannides, tam viva voce, quàm ſcriptis. Noluit ille admittere ad Canonicatum Lin-

Lincolnienſem quendam ejus ſpurium ob inſcitiam: ſed ejus Papæ expilationibus reſtitit, Angliam deglubentis: fuitq; ideò ab illo excõmunicatus. Quam excommunicationem tanta conſtantia contempſit, ut & in ea mortuus ſit. Diſputabat ille, Papam nihil contra juſtitiam veritatemq: poſſe: imò cùm id attentet, pejorẽ eſſe Lucifero & Antichriſto. Sic & Johannes Angliæ Rex cum Norvvicenſem Epiſcopum Archiepiſcopum (*Matth. Par.* p. 206.) elegiſſet Cantuarienſem, Papa verò Stephanũ de Langethune cõmendaret, noluit ſententiã ſuam Johannes mutare, ſed ſcriptis ad Pontificem literis, beneficia ei in ſedem Romanam exprobrat; *quod uberiores Papæ fructus proveniant de regno Angliæ, quam de omnibus regionibus citra Alpes conſtitutis. Addit inſuper, quod pro libertate coronæ ſuæ ſtabit, ſi neceſſe fuerit usq; ad mortẽ. Tandem negotii ſummã in hoc concluſit, quod ſi de præmiſſis non fuerit exauditus, omnibus* Romã *petentibus, maris ſemitas anguſtabit: nec terra ſua diutius evacuata, ipſe minus ad hoſtes ab ea depellendos ſufficiat. Et cũ Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati tã de* Regno *Angliæ, quàm aliarum terrarum ſuarum in omnium ſcientiarum plenitudine ſufficienter abundent, ſi neceſſitas coegerit, extra*

tra terras ſuas iuſtitiam vel judicium ab alienigenis non emendicabit: Sed mox elicuit hæc Johannes παῤῥησίᾳ flumen Papale, ut tota Anglia interdicto multata fuerit: Rex interim Talionis legem reprehenſurus bona clericorũ fiſco addici jubet. Vide *Par*. p. 215. 217. Secuta paulò pòſt ipſa Regis excommunicatio, quam tamen clerus pro concione proponere detrectavit. Qui clam ſententiam Papæ aliis inſinuaſſe deprehendebantur, nunquam impune illud ferebant. Egit causã Regis Magiſter Alexander, Cementarius dictus, quem Pſeudotheologum vocat *Matt. Par*. p. 219. qui affirmavit, ad Papam non pertinere de Regum, ſive de quorumlibet potentum laica poſſeſſione, vel ſubditorum regimine judicare: cùm præcipuè Principi Apoſtolorum Petro, nihil à Domino, niſi Eccleſiæ tantum ac rerum Eccleſiaſticarum ſit collata poteſtas, *Id. lb.* Plura vide apud *eundem* pag. 310. 311. 640. & 669. quæ ſummam Pontificis tyrannidem, contra quam miſeris Anglis, ſortem ſuam deplorantibus, mutire prohibuit, depingunt. Ipſe *Matth. Par.* ſeu Pariſius ad fanum Divi Albani Benedictini inſtituti Monachus, R*omanorum quorundam Pontificum, avaritias, fraudes, mendacia, dolos, pompas, impudentias, tyrannides, blaſphemias & artes peſſimas ita depinxit, ut nullus unquam Apelles. Bal.* p. 315. 3. *Galli*, præſertim ſub Ludovico IX. à quo Pragmaticã habemus ſanctionẽ;

Cat.

Catal. Teſt. Verit. lib. 1. p. 616. & Philippo Rege, ut videre licet apud *Plat.* in Bonifac. VIII. & nos ſequenti ſeculo dicemus. An. Ch. 1245. *cùm vellet Dominus Papa quibusdam præbendis Lugdunenſis Eccleſiæ vacantibus quosdam alienigenas conſanguineos vel affines ſuos, inconſulto Capitulo introducere, reſtiterunt ei in facie Canonici Lugdunenſes, comminantes, & cum juramento obteſtantes, quod ſi tales apud Lugdunum apparerent, non poſſet eos vel Archiepiſcopus vel Canonici protegere, quin in Rhodanum mergerentur. Nec ipſi qui beneficium fuerant accepturi, ultra uſquam comparuerunt. Eisdemque diebus, dum quidam oſtiarius Domini Papæ protervius cuidam civium Lugdunenſium, introitum civiliter & humiliter poſtulanti, incivilius & frontoſius, quàm deceret, denegaret: idem civis indignatus & iratus manum prædicti oſtiarii penitus amputavit. Vnde idem mancus, cum coram Domino Papa gravem reponeret querimoniã, brachium ſuum oſtendens mutilatum, Dominus Papa ſecundum legem Civitatis, vindictam ſibi poſtulavit exhiberi. Quam Philippus de Sabaudia, cuſtos pacis Eccleſiaſticæ, procuravit quali qualimodo, ut honor Papalis, ſaltem*

tem ſuperficialiter ſalvaretur. Matth. Par. pag. 638. Naucl. Generat. 44. pag. 242. *Bonifacius* Hieroſolymitanam expeditionem parans *Ariminenſem Epiſcopum ad Philippum* Regem *Francorum mittit, qui hominem ad eam rem cohortaretur, is itaque eo profectus cum precibus nihil obtinere potuiſſet, minas addidit.* Sed *par fuit illius arrogantiæ Regis levitas, hominem enim ſubito in carcerem conjicit, ex quo* Rex *indignationem Papæ acquiſivit, ut Blondus & ſequaces referunt. Alii tamen cauſas invidiæ inter Papam &* Regem *aſſignant, quod* Rex *Francorum quendam Epiſcopum in Francia capere fecit, opponens ei, quòd eſſet Paterinus hæreticus, eum privans Epiſcopatu & bonis ſuis, vacantes Epiſcopatus diripiebat ſpoliis, & inveſtituras eorum facere volebat, Quamobrem Bonifacius, ut magnanimus, cepit contra eum agere, tanquam contra inimicum Eccleſiæ. Et ad efficacius procedens vocavit omnes Epiſcopos & Prælatos Franciæ, ad urbem, ad celebrandum* Concilium. *Sed Rex nõ permiſit eis acceſſum. Vnde Papa magis turbatus, cum inveniſſet ex quibusdam decretis* Re*gem Franciæ à ſede Apoſtolica debere recognoſcere etiam in temporalibus regnũ, deſtinavit,*

Archidiaconum Narbonenſem, mandans Regi *recognitionem regni facere ſedi* Apoſtolicæ*, alias eum execraretur, & terram ſuam interdicto ſupponeret. Poſtquam ergo ille applicuit Pariſios,* Rex *non permiſit bullas publicari, imò familiares* Regis *literas* Apoſtolicas *ei abſtulerunt, ipſum de civitate ejicientes & regno. Comes autem Artenſis, qui adhuc in humanis fuerat, literas in ignem projecit, exinde* Rex *cuſtodire fecit omnes vias, per quas eſſe poſſet ingreſſus ad* Regnum *Franciæ: propter hoc Papa execratus eſt* Regem*. Igitur Rex* Franciæ *congregari fecit Pariſiis omnes Prælatos Franciæ nec non Barones, & facto Concilio pro ſui iuſtificatione appellavit ab illa ſentẽtia ſe excuſando, & contra Bonifacium invehendo plura ſcelera, ſcil. hæreſis, Simoniæ, homicidii & aliorum illi improperando, ideoq; de iure deponendum eſſe Papatu. Orta igitur maxima diſſenſione inter eos, Bonifacius utroq; gladio utebatur, execrationis, & alios proceſſus terribiles contra* Regem *fulminans, &c.* 4. *Germani,* quorum clerus Papæ quartam partem redituum Eccleſiaſticorum in 5. annos, petenti, Herbipoli reſiſtit: *Cal.*an.Ch.1287. Fuerunt hoc tempore in Suevia (Halæ præſertim *Calviſ.*an. Chr. 1248.) Prædicatores, qui contra Romanum Pontificem &

& Cardinales magna dicendi libertate veritatẽ profiterentur. Hi Friderici ſecundi, & Conradi cauſam juſtificantes, auſi ſunt dicere, apud ſummum Pontificem, Cardinales, & Epiſcopos nullam reſidere authoritatem; quoniam omnes una labe Simoniæ maculati eſſent, nec quicquam tenere poteſtatis à Chriſto. Et quod ſacerdotes in mortali peccato conſtituti, nec ligarent nec ſolverent, nec conſecrarent: quod nemo in orbe Chriſtiano divinis officiis interdicere poſſet: quodque ſine diſcrimine ea audirentur & celebrarentur impune. Et in fine ſuarum prædicationum: Indulgentiam (inquiunt) quam annunciamus, non à Papiſtis confictam, non à Prælatis compoſitam, ſed ex Deo omnipotente vobis annunciamus. Conradus Rex cum hos tueretur Romanæ ſedis adverſarios & hæreticos, in capitis penè periculum incidit. *Bal. Centur. IV.* p. 287. ex Funccio. Hinc fortè *Antonini*, Archiepiſcopi, de Sueviæ Ducibus, excommunicationis vinculo irretitis, & ad tartara ruentibus querela, quam intermiſſam vellet *Naucleru*s Gener. 43. p. 228. a. Sed videntur mihi omnes illi *VValdenſes*, quã vel ſolus Vitoduranus conjecturam ratam reddere queat. Confer p. 584. Quicquid ſit, multi ubq; & in Germania, & alibi fuerunt *Fridericales*, teſte *Matth. Par.* p. 738. 813. Gibellini vocabantur in Italia, teſte *Platina* in Greg. IX. p. 221. *At vero Imperator, qui tum Piſis erat, cum non ſatis ſibi*

conſtaret, qui partes ſuas, qui Pontificis ſequerentur, civitates Italiæ in duas factiones tum primum (aliter tamen ſenſit *Faber* noſter: vide ſup. p. 153.) *diviſit. Nam qui Pontifici favebant* Guelfi, *qui Imperatori,* Gibellini (poſtea etiam *Albi*; Naucl. Gen. 44. pag. 242.) *appellati ſunt.* Hæc *quidem teterrimarum factionum nomina ad perniciem humani generis inventa, primum apud Piſtorienſes audita ſunt, cum Cancellarii Panzaticos* Gibellinos *ab urbe ejeciſſent, cumq; alteri factioni* Guelf, *alteri* Gibel *Teutonici fratres* (λῆροι!) *faverent, unde tantæ perniciei nomina indita ſunt. Florentini præterea nobiles ſuos Piſanis Gibellinarũ partium faventes in exilium ejiciunt, pellunt & Guelfos viciſſim ab urbe ſua Aretini &* Senen*ſes, quorum exempla multæ civitates Italiæ ſecutæ bella plusquam civilia inter ſe commiſere.* H*inc multæ civitates à Pontifice deſcivere tũ in Vmbria, tum in Etruria, præcipuè autem Viterbienſes. Defeciſſent etiam* R*omani cives, ni Pontifex delatis per urbem ſupplicando Apoſtolorum capitibus populum ad commiſerationem moviſſet.* Plura de VVelphis & Gibellinis habent Paraleip. *Vrſp.* p. 328. 332. *Bzov.* a. Chr. 1233. S. 7. qui in inveſtiganda origine Fabrum

brum ferè noſtrum ſequuntur. Ipſe cumprimis Fridericus Papæ; & aſſeclis ejus *Plat.* p. 112. maſculè reſtitit. Repete, quæ diximus ſupra p. 386. Confer *Matth. Par.* p. 474. 478. 479. 509. 510. Epiſtolarum Friderici lib. 6. qui prodierunt an. Ch. 1566. Nucleum ſuppeditet aut. *Cal. Teſt. Verit.* lib. 16. p. 610. *Avent.* annal. *Boj.* p. 674. 678. 683. Magna profectò Fridericalium, plerorumq; adeò penè Germanorum, in Papam fuit, παῤῥησία! Exſcribere omnia nimis longum foret. Eodem animo fuerunt filii Friderici, qui quamvis in receptis illius ætatis dogmatibus acquieverint, è ſolo tamen & Polo Pontificio planè fuerunt proſcripti. Nihil enim juvat ſacrorum cõmunio, ubi Pontificis periclitatur authoritas. *Remanſerant autem*, ſcribit *Matth. Par.* pag. 799. *in excommunicatione, qua involverat Papa oſſa Friderici; & Conradus, filius ejus, qui ex dono Patris potiorem Imperii partem violenter occupaverat, & qui regna Sardiniæ, Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ violenter & ſine* Romanæ *Eccleſiæ aſſenſu ſibi appropriaverat:* Gerardus *inſuper Marſilienſis cũ civibus Marſiliæ, Cremonenſes & Papienſes, cum eorum fautoribus, & multi alii quorum aliqui nominatim, aliqui in genere fuerunt die Cœnæ Dominicæ excommunicati, adhuc manſerant involuti: Multiplicati igitur ſunt hoſtes Eccleſiæ, & mala*

malis addita ſucreverunt. Obſervat *Antoninus* in Entio, *filio Friderici illegitimo, finem habuiſſe progeniem vipeream Friderici.* Et ſubjungit: H*inc bene advertant fideles univerſi, quem faciant finem perſecutores Eccleſiæ, utiq; miſerrimum in anima & corpore. Cum enim excommunicati morerentur, quomodo regnum cælorum ingredi meruerunt? Propter quod & ſepultura Eccleſiaſtica indigni iudicati ſunt. Et regno* Siciliæ *& Imperio* Romano *cum infinitis divitiis exterminati ad inferos deſcenderunt. Fridericus II. cum patre ſuo Henrico & cum filiis ſuis Conrado, Manfredo, Cunradino & Entio rebellibus, & perſecutoribus, Eccleſiæ. Non poſſum vero, inquit* Naucler. Generat. 43. p. 228 a. *hoc in loco iuſtum diſſimulare dolorem, non quod cupiam malefacta Ducum Sueviæ præfatorum laudare, quos optarem in pace Eccleſiæ quieviſſe. Sed quid ſibi velit Antoninus, vir alioquin religioſus doctus & Archiepiſcopus, quod tantopere invehitur in illos mortuos, ut ſcribat eos in Excommunicatione deceſſiſſe, & perpetua morte damnatos, cum certum ſatis habeatur, Henricum Catholicè mortuũ, & Chriſtiana ſepultura functum, de Friderico non ita conſtat. Nõ deſunt*

ſunt tamen, qui ſcribant, eum in extremis laborantem à Capellano ſuo fuiſſe abſolutum, quod in neceſſitatis articulo cuilibet ſacerdoti videtur permiſſum, extitit & in Eccleſia ſepultus. Cunradus Rex compos mentis, & cum Teſtamento legitur mortuus, & uti Princeps Catholicus in Eccleſia ſepultus. Cunradinus quoq; adoleſcens, quid judicare in tam arduis negotiis potuit, & ſi peccavit, tamen cum pœnitendi tempus ſufficiens habuerit, quis eum immemorem ſuæ ſalutis in extremis judicabit? Entiũ vero condemnare videtur frivolum, quem ipſe Antoninus ſcribit poſt longam captivitatem in carcere mortuum, & à Bononienſibus in Eccleſia S. Dominici ſepultum. Patet hinc 1. vatinianum ſemper Italorum in Germanos fuiſſe odium. 2. Catholiciſmum Eccleſiæ Pontificiæ hinc multum labefactari. Quis enim numerum eorum ineat, qui cùm excommunicati fuiſſent, Eccleſiæ Romanæ membra eſſe nõ poterant. Catalogum texuimus ſup. p. 384. Sed ſimpliciter Papæ per omnia ſubeſſe, eique in temporalibus & ſpiritualibus parere de ſalute erat. 3. Exprobrare tandem nobis deſinant adverſarii Majores noſtros, quaſi non niſi per ſacra Pontificia ſalutem conſequi potuiſſent. Ita enim & de *Tigurinis Fridericalibus* actũ fuiſſet in ipſo Papatu,

quod ne nos quidem ipſis largimur. Vide ὁδηγόν. P. III. p. 429. Quid Rodolphus Habſpurgicus de Roma ſenſerit, *Genebrardi* ex Chronic. *Hirſaug.* deſumtis verbis proponam: *In Concilio Lugdunenſi* Rodolphus *confirmatus eſt Imperator, quod nollet ire* Romam *pro Imperii corona, dicens:* Multorum Alemannorum Reges *Italia conſumpſit, non ibo.* 5. *Arragones*, quorum Rex regno propterea fuit privatus: Sanctus itẽ, Alfonſi filius, qui & ipſe excommunicatur, & tota ferè Hiſpania interdicto ſubjicitur. *Vide Matth. Par.* pag. 640. *Calv.* an. Ch. 1283. 6. Sed & præter *Græcos* (de quibus ſupra, confer *Bzov.* an. Ch. 1100. S. 4. ubi prolixa Papæ contra Patriarchæ Conſtantinopolitani, primatum diſputatio) *Antiochenus* etiam Epiſcopus Romano ſe prætulit; *Matth. Par.* in Henr. III. p. 465. Verba citavimus ſup. p. 325.

B. *Quidam apertis Papam oppugnabant bellis.* 1. Fridericus & Fridericales. 2. Columnenſes. *Naucl.* Gen. 43. p. 241. b. A. D. 1298. *Cum Columnenſes in pluribus contriſtâſſent Papam ducti magnitudine nobilitatis & potentiæ, qui etiam in electione Papæ ab initio viſi ſunt reſiſtere adauxit turbationẽ; quod cum curiæ ſuæ mutaret reſidentiam Papa, Sarra quidam multa ornamenta & theſaurum Eccleſiæ in via prædatus eſt, propter quod Papa execratus eſt*

omnes

omnes illos de Columna Clericos & Laicos, ut fautores ſceleris, privavit etiã Clericos beneficiis & dignitatibus. Inſuper tam Clericorum, quàm Laicorum deſtrui fecit palatia, resque quas in urbe poſſidebant ſubvertit. Hinc magna Columnenſes damna & ſuarum detrimenta ſubſtantiarũ recipientes ſe tunc ex toto ſubtraxerunt ab obedientia Papæ, & bellum inchoatum eſt cum eis: habuerunt enim bonas civitates & caſtella ſatis munita. Pontifex vero conceßit plenariam indulgentiam omnibus ſumentibus crucem contra ipſos, in quo bello multi ſunt mortui.

C. *Non pauci impeccantiam Papæ, & ab errore immunitatem negârunt; Hæreticum eum, Antichriſtum, lupum, palàm proclamârunt.* a. In *Angliâ*, Robertus Lincolnienſis: ſup. 597. Cartuſienſis item ille, de quo *Matth. Par.* p. 514. *Diebus illis, quidã quaſi honeſtæ vitæ ac ſeveræ vir habitum & geſtum prætendens, ordinis Cartuſienſis, captus eſt apud Cantebrigiam, nolens intrare Eccleſiam aliquam. Super quo deliramento, cum requiſitus, ſecus quàm deceret, reſpondiſſet, arctiori cuſtodia reſervabatur, ita quod poſt paucos dies ſequentes transmiſſus eſt ad Legatũ, in Turri Londinenſi recludendus. Palam enim aſ-*

ſeruit, dicens: Gregogius *non eſt Papa. Non eſt caput Eccleſiæ. Sed aliud eſt caput Eccleſiæ. Eccleſia prophanata eſt, nec debent in ea divina celebrari, niſi rededicata fuerit. Vaſa & veſtimenta ejus reconſecranda ſunt. Diabolus ſolutus eſt. Papa hæreticus. Polluit Eccleſiam imo mundum,* Gregorius, *qui Papa dicitur. Et præſentibus & audientibus Domino* Abbate R. *de Evesham, &* Magiſtro *N. de Finham, Magiſtris quoq; P. de Burdegali, & H. de* Suſa, *& multis aliis, dixit Legatus illi deliranti: Nonne conceſſa eſt deſuper poteſtas Domino Papæ ſolvendi animas atq; ligandi, ut vices B. Petri exequatur in terris? Et cũ omnes exſpectarent, quid reſponderet, credentes judicium ab hac ſua reſponſione dependere, ait ſub interrogatione, & non ſub aſſertione: Quomodo poſſem credere, quod cuidam* Simoniali *& uſurario, & forte majoribus facinoribus involuto, concedatur talis poteſtas, qualis cõceſſa fuit D. Petro, qui immediatè factus eius* Apoſtolus, *ſecutus eſt Dominum, non tantùm inceſſu pedum, ſed virtutum claritate?* Lincolnienſis Epiſcopi judicium de Papa, promſimus ſup. p. 418. b. In *Germania*, quod factum eſt a. A *Friderico*, tum alibi, tũ in litteris Ottoni Bojorũ Regulo miſ-

lo miſſis, quarum literarum ſententia hæc fuit: Pleraq; crimina ſibi objecta à Romano Pontifice negando diluit, alia in ipſam retorquendo confutat. Pontifices Romanos auctos divitiis & dignitate à ſe atque cæteris Imperatoribus, æmulos eſſe pertinaciſſimos omnium Regum atque Principum, neque parem ultra ferre poſſe. Manibus, pedibusque, noctes diesq; id eos conari, ut non tam ſe, quàm S.S. Romano Imperio, tanquam capite oppreſſo, facilè cæteris membris omnibus ſervitutem imponant: affectare eos dominationem atque divinitatem, nempe ut ab omnibus haud aliter, imò magis quàm Deus timeatur. Nam multos Antichriſtos ineſſe Romanenſibus illis, nec ullos alios, quemadmodũ opera oſtendunt, exitio Chriſtianæ Religioni eſſe. Se quidem optimè ſentire de Chriſto, atque ejus Religione prædicat, nihilque magis cupere, quàm ut ſuo tempore Reſpublica Chriſtiana priſtinam majeſtatem, ſimplicitatem & pacem recuperet. Quod fieri nequaquam poteſt, niſi ſpinæ eradicentur, hoc eſt, ambitio, ſuperbia, faſtus, luxus ſacerdotum Romanorum, ſubtractis opibus atq; divitiis extirpentur radicitus. Copia rerum ſapientiſſimos quoq; corrumpere ſolet: In rebus divinis non ſolùm Romanum Epiſcopum, ſed unumquemque Sacerdotem ſibi patrem fore, modo rebus profanis ſibi commiſſis abſtineat, proponit. Imperium Chriſtianum, cujus ipſe caput conſtitutus ſit à Deo, non armis,

mis non vi opprimi poſſe,ſed luxuria, cupiditate,quæ radix omnium malorum eſt,enervari,adulterari, corrumpi. Quod ne fiat, ſe obvium iturum, ſe ſummopere pro commiſſo ſibi à Deo negotio, poteſtate, enſeque divinitus tradito cõtrà eniſurum, ut ovili paſtorem, populo Pontificem, mundo patrem; detractâ perſonâ lupi, Tyranni, atque domini, reſtituat; ut eundẽ abdicatâ regnorum, humanarum litium curâ, prophanorum negotiorum adminiſtratione, *quibus* illi interdictum ſit,ad æmulanda pauperis *Chriſti*, cujus vicarium ſe jactitat veſtigia cogat: ſe amplius neq; paſſurum; ut Chriſtianæ plebi lupus ovina pelle tectus, diutius imponat. Opus vel maximum pietatis eſſe atque charitatis gratiſſimum immortali Deo, opes & aurum, irritamenta malorum ſacerdotibus auferre. Namque hæc (inquit) perniciem eſſe religionis, adeò ut homo ille, qui dicitur Papa, divitiis nimium auctus; maximo Chriſtianæ pietatis detrimento, omnia ſibi licere, more tyrannorum peſſimorũ putet, rationem actuum, nemini, quaſi ſit Deus, reddere velit Id quod ſoli Deo convenit, *uſurpet*, ſe errare, ullave mendacii religione aſtringi non poſſe; credi ſibi impudentiſſimè ſimulque imperioſè poſtulat. Fraudes, dolos, commenta, fucum taceri, ſibi ut vicino eum intus & in cute notum eſſe. Proinde quicunque rem Chriſtianam ſalvam eſſe velint, faveant, adſint, & cauſam Chriſti Servatoris noſtri, omnium denique

Chri-

Chriſtianorum agenti, bene precetur. Hæc *Aventinus* p.678.

B. Ab *Eberhardo* Iuuacenſe Archimyſta in Cōventu Reginoburgenſe, cujus orationem recitat *Avent.* annal.lib.7.p.683. Chriſtus Servator Dominus, & Deus noſter, relicto æthereo ſolio, atque (ut ita loquar) immortalitate, mortalis pauperque effectus eſt, ut nos immortales atque divites efficeret. Cumque devictis inferis triumphabundus, rurſus in cœlum rediturus eſſet, pacem ſuam nobis dedit, pacem ſuam nobis reliquit, concordiam atq: mutuū amorem tanquam notam atq; teſſerā, quâ cives ſui à militibus inferi Jovis diſcernerentur, aſſignavit. Sum̄opere quoq, admonuit, uti falſos Chriſtos, falſos Prophetas vitaremus, qui tecti pelle ovina, nimirum Chriſtiano nomine, atque Pontificio titulo nobis dominari atque illudere cuperent. Quos ex ſpinis atque operibus, nempe avaritia, luxū, cōtentione, odio, invidia, bellis, diſcordiæ malis, libidine dominandi, ambitione, cognoſci oportere docuit. Quidnam apertius hiſce verbis, quàm Babylonis Phariſæos atque Scribas cœleſtis Imperator indicavit? Sub Pontificis Max. titulo paſtoris pelle, lupum ſæviſſimum, niſi cæci ſumus, ſentimus. Romani Flamines arma in omnes habens Chriſtianos, audendo, fallendo, & bella ex bellis ſerendo magni facti, oves trucidant, occidunt, pacem, concordiam, terris depellunt, inteſtina bella, domeſticas ſeditiones

ab

ab inferis eliciunt, indies magis atque magis omnium vires debilitant, ut omnium capitibus inſultent, omnes devorent, univerſos in ſervitutem redigant. Non Pontificis more gregi conſulunt, ſed potius immanitate Tyranni licentia debacchantur, juſtitia rareſcit, impietas, avaritia, cupiditas honorũ, pecuniæ ſtudium, libido crebreſcit. Inopes & boni prædæ ſunt ſceleratis, ac divexantur undique ab injuſtis, ſoli autem mali opulenti ſunt. Chriſtus inimicos odio habere vetat, eosdem amari præcipit, de hiſce promereri, fidem hoſtibus ſervare, beneficiis maleficia expiare docet. Romanenſes contra, ſancta violare, fœdere Dei nomine ſacrato ad fallendos homines abuti, bene meritis ingratos eſſe, malefactis beneficia compenſare, bellare, litigare, defraudare, prodere, decipere ſub magna pietatis ſuperficie jubent: divinæ Majeſtati, cœleſti providentiæ, naturæ repugnare, ſupremæ Majeſtati à Deo Opt. Max. conſtitutæ, reſiſtere nos volunt. Hildebrandus ante annos centum atq; ſeptuaginta primus ſpecie religionis Antichriſti Imperii fundamenta jecit. Hoc bellum nefandũ primus auſpicatus eſt, quod per ſucceſſores huc uſq; continuatur. Primò illi Imperatorẽ à Comitiis Pontificalibus extruſere, ea ad populum & ſacerdotes transtulere. Deinde & his ludibrio habitis atque exploſis, tunc & nos in ordinem redigere, atq; ſervitutem conantur, ut ſoli regnent. Capti jam Imperii conſuetudine, penſitatis ſuis & adverſa-

verſariorum viribus, occaſione rapiendæ dominationis, opprimendæ libertatis Chriſtianæ, ſpecioſo Eccleſiaſticæ conſtituendæ libertatis fuco utentur. Credite experto, non ceſſabunt donec Imperatore in ordinem redacto, Romani Imperii honore ſoluto, paſtoribus veris, qui paſcant, oppreſſis, canibus, qui latrare queant, ſublatis, per hunc morem omnia extinguant aut occidant. Ideo omnia turbare, atq; permiſcere volunt. Sed dominari vel ingratis contendunt; Paulus armarium Philoſophiæ divinæ præcipit, ſubjecti invicem in timore Chriſti eſtote. Hoc intereſſe inter Chriſtianorum, profanorum Principes, cœleſtis Doctor, & præceptor noſter, ſummuſq; atque immortalis Pontifex docet, quod hi dominantur ſubditis, illi ſerviunt. Formam ſervi ſuprema Majeſtas ſuſcepit, ut diſcipulis ſuis ſerviret, eorundemque pedes lavaret. Flamines illi ſoli regnare cupiunt, ferre parem non poſſunt, non deſiſtent donec omnia pedibus ſuis cōculcaverint, atque in templo Dei ſedeant, extollanturque ſupra omne id, quod colitur. Fames opum, ſitis honorum inexplebilis eſt, quo plus avido conceſſeris, eò plura appetit. Porrige digitum, & manum concupiſcet. Licentia omnes ſumus deteriores. Qui ſervus ſervorum eſt, Dominus Dominorũ, perinde ac ſi Deus foret, eſſe cupit, ſacros cœtus, atq; Concilia fratrũ imò Dominorum ſuorum aſpernantur. Timet ne eorũ, quæ adverſus auſpicia, leges, interceſſiones indies

dies magis atque magis gerit, rationem reddere cogatur. Ingentia loquitur, quaſi verò Deus eſſet. Nova conſilia ſub pectore volutat, ut proprium ſibi conſtituat Imperium, leges commutat, ſuas ſancit, contaminat, diripit, ſpoliat, fraudat, occidit perditus homo ille (quem Antichriſtum vocare ſolent) in cujus fronte contumeliæ nomen ſcriptum eſt, Deus ſum, errare non poſſum, in templo Dei ſedet, longè latéque dominatur. Sed ſicut eſt in arcanis ſanctarum literarum: Qui legit, intelligat. Docti intelligent, omnes impii impiè agent, neque intelligent. Quemadmodum longo ante tempore Sibyllæ apertè, Hydaſpes rex antiquiſſimus, ſub Interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit, nomen Romanum multò antè præfatus, quàm illa Trojana gens conderetur. Conciones Prophetarum ſub ambage aliorum nominum, ne quis facilè intelligat, denunciârunt. Romani Majeſtas populi, qua olim orbis regebatur, ſublata eſt de terris, & Imperiũ in Aſiam reverſum eſt: rurſus oriens dominabitur, ſerviet occidens. Regnum multiplicatum, ſumma rerum poteſtas, & plures diſſipata, conciſa, minuta, ne dicam dilacerata, diſcordiæ civiles in perpetuum feruntur, nec ullam requiem bellis exitialibus eſſe ſentimus. Imperator vana appellatio, & ſola umbra eſt. Reges decem pariter exiſtunt, qui orbem terræ, Romanum quondam Imperium, non ad regendum, ſed ad conſumen-

ſumendum partiti ſunt. Decem cornua, id quod D. Aurelio Auguſtino incredibile viſū eſt, Turcæ, Græci, Ægyptii, Afri, Hiſpani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali, Romanas provincias poſſident; Romanosque in his excidere colonos. Cornuq: parvulum ſub his ſuccrevit, quod oculos habet & os loquens grandia, tria potiſſimum Siciliæ, Italiæ, Germaniæ regna in ordinem redegit, ſibique ſervire cogit, inſuſtentabili dominatione populum Chriſti, ſanctosque Dei vexat divinis humana miſcet, infanda, execrabilia molitur. Quid hac Prophetia apertius? &c.

D. *Nonnulli, deteſtandam ejus execrando perfidiam, Archimyſtæ eum throno planè dejecerunt. Matth. Par.* p. 522. *In fine verò æſtatis, comperiens Legatus Papam cum Imperatore Treugas usq; ad Concilium in proximo paſcha celebrandum accepiſſe, iratus valde ſignificavit eidem, quod effæminatus animo & puſillanimis frangebatur, merſus in deſperationem, & immerito, cùm in ſola Francia jam collectam adunaverat in auxilium ſuum pecuniam; unde per annum integrum bellum conſortum contra Imperatorem valeret indubitanter intrepidus continuare. Vnde Papa hac audiens pænitens & dolens quod Treugas acceperat, vocavit Magiſtrum Iohannem de Columna, & Dominum Reimundum, excellentes Cardinales, dictarū*

Treucarum Mediatores, & adverſus Imperatorem interceſſores. Et dixit Iohanni: Confundor in memetipſo, quod Treugas conceſſi inimico Eccleſiæ Friderico. Vade igitur tu, qui interpres fuiſti ſuper hoc inter nos feſtinus ad ipſum, ipſas me nolle acceptare denuncians, me illi inimicum fore ex hoc nunc & antea, ſub diffiduciatione audacter atteſtando. Cui Iohannes. Abſit domine hæc levitas verborum in ore tanti viri ad tantum virum ad tantum Principem deſtinanda, præcipuè per nos, qui non vulgares reputamus: huic enim conſilio inſtabilitatis ac infidelitatis nequaquam conſentio, ſed conſtanter contradico. Cum Papa: Nec ego de cætero te habeo pro Bardinali. Et ait ei Iohannes: Nec ego te pro Papa, & ſic receſſit, de amico factus adverſarius.

E. *In conciliis à Pontificibus indictis, ipſi etiam Imperatores, & Reges timentes ſibi laqueos in illis præparari. Matth. Par.* pag. 525. *& aliis aditum concedere Naucl.* Gen. 44. *Par.* 534. 543. *& ipſi ſe ſiſtere tergiverſati.* Ne diſtædeat ex *Matth. Par.* authore non ubiq; amplius obvio, Fridericum Imperatorem, Majoribus noſtris Concilium Tridentinum adite detrectantibus, audire argumenta ſuppeditantem & rationes, ejusmodi conventus ſubterfugiendi non contemnendas, quibus cum ea con-

conferri poſſunt, quæ modò citavimus p.586.) *Primo igitur* (verba ſunt *Matt.Par.*p.525.) *Dominus Imperator tempus reprehendit inopportunum & nimis feſtinum, ad quod nunquã conſenſit præfigendum. Item, quod ſicut pralocutum fuit, & tam Papali, quàm Imperiali aſſenſu determinatũ, non vocat Dominus Papa vocandos ad Concilium, cùm utriusque cauſa ſit in ipſo ſpecialiter pertractanda. Item, cum pro pace reformanda inter eos & confirmanda vocandum fuit Concilium, & non ob aliud, in ſcripto vocationis ſuæ non facit ſuper hoc Dominus Papa mentionem, niſi tantum ſic exprimens, pro arduis Eccleſiæ Romanæ negotiis, ſuppreſſo penitus pro qua cauſa vocari Concilium debuit principaliter: & ſic obviat Papa promiſſis utrobique formatis & firmatis. Item, dicit Dominus Imperator, quod Dominus Papa ad Concilium publicos hoſtes & manifeſtos Imperii vocavit, quorum nomina Dominus Imperator in ſua Epiſtola exprimit, & eosdẽ Imperialibus corrupit muneribus, ut vertantur in arcum pravum, ut traditorum nominibus in perpetuum probroſè cum ſuis generationibus deturpentur, quibus non ſunt tam ardua ſtatus Imperialis committenda. Item,*

 dicit

dicit Imperator: Otto Cardinalis, Legatus in Anglia, & Rex Angliæ, omnem ferè theſaurum illius regionis, ad meam dejectionem anhelantes exhauſerunt, & nos, non ſine Imperii magna verecundia, & formæ noſtræ ſugillatione, in regno Angliæ anathematis vinculis innodari fecerunt. Quapropter ipſos & omnes Angliæ Prælatos, noſtros inimicos meritò debemus reputare, qui pecuniam ſuam in noſtrum gravamen effundentes, honorem noſtrum pro poſſe ſuffocârunt, nec movit eos, quod nunquam eis nocens, affinitatis fœdere Anglorum Regi conjungor ſociatus. Ipſorum igitur examen ſubire mihi foret abſurdum, & penitus diſſonum rationi. Item, dicit Dominus Imperator, quod per treugarum acceptarũ moram, nobis ſuſpectam, imò diſpendioſam, & dũ Concilii tractarentur negotia quæ finem fortè non poterunt ſortiri repentinum, inimici noſtri poterunt reſpirare, & ad gravamen Imperii, aſſenſu & fomento Papæ, quorum ſe conſtituit Principem & defenſorem, & pro ipſis bellatorem ſurgere fortiores. Item dicit Dominus Imperator, quod Dominus Papa maximã quantitatem pecuniæ expectat extorquendam à Prælatis Franciæ, & præcipuè Angliæ, quam

quam promiſit hoſtibus Imperii ſe daturum, Vnde ſumunt Papa & ipſi ſpem & cornua: quæ merito ſibi imminent formidanda. Sumſit enim hæc conſuetudo à prædeceſſore ſuo Innocentio in ultimo Concilio exordium deteſtandum, ut celebrato Concilio non detur Prælatis recedendi licentia, donec Papa ſingulatim à ſingulis pecuniam extorſerit, non habito reſpectu ad labores & viatica Prælatorum in itineribus vexatorum: Item, dicit Imperator, quod omnes Prælati, præcipuè Angliæ, *imo etiã* Rex Anglorum, *tenentur Papæ per ſuam profeſſionẽ & juramentum, tanquam Domino ſententialiter obligati, & non Imperatori vel Imperio. Vnde judicat Imperator, eorum arbitrium ipſis fore nimis ſuſpectum & ratione formidandũ, præſertim cum Papa eius dignoſcatur eſſe inimicus præcipuus & capitalis, membra tracturus ad conſenſum. Studet etiam & omnem effundit peritiam & induſtriam, ut ipſum confundat Imperium cum Imperatore.* Sed ſecundum illud *Ovidianum:*

Ut latro, ſic cautus præcingitur enſe viator
Hic parat inſidias, hic ſibi præſtat opem.

Cum igitur hæc & alia, populo incognita, *ſubtili rationis trutina libraret Imperator,*

 ſciens

ſciens multos callere in ipſius documentum cœpit per præſcriptam Epiſtolam vocatos & venientes ad Concilium de imminentibus ſibi periculis, ſcilicet quod noluit eos defendere perditionem ſuam facientes tranſitum, civiliter præmunire. Vides qui lateant angues ſub ſpecioſa Conciliorum Pontificiorum herba, quorũ tamen Decreta tanquam oracula ſuſcipi à nobis debere contendunt, qui ne fidei ſuæ ſociis, qualis eſſe voluit ipſe Fridericus, VValdenſium non obſcurus oppugnator (vide ſup. p. 562.) & à *Syncretiſmo* cum Saracenis purgatus *Matth. Par.* p. 466. perſuadere hoc poterant.

F. *Ipſa Eccleſia Romana hoc ſeculo undique vexata, pene proſtrata jacuit. Onuph.* in Alex. IV. p. 163. Cujus mali culpam Itali in Germanos transferunt, hi in illos. *Felix Fab.* Hiſt. Suev. l. 1. c. 12. p. 122. *O ſi absq; ſanctiſſimæ ſedis* Apoſtolicæ *offenſione perſuaſivus aliquis orator conſurgeret in Suevorum partem excuſator & defenſor, & veritatem nudam de utriusq; Germanis ſcilicet & Italis proponeret, comparando fidem utrorumque ad Chriſti ſacramenta, reverentiã ad* Apoſtolicam *ſedem, obedientiam ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, affectũ ad terram ſanctam: timorem ad Eccleſiaſticas cenſuras, & omnium quæ ad populum Catholicum*

licum ſpectant, profectò videri poſſet, Germanos fore virtuoſos, ſanctos & juſtos Chriſtianos; Italicos verò per omnia in decuplo defectuoſos. Nam moleſtias & inſolentias graviſſimas ſancta Romana Eccleſia paſſa eſt, et patitur quotidie ab Italicis, de quibus iam multis annis repletæ ſunt aures noſtræ usq; ad nauſeam, & audire dedignamur, ne in ipſa ſcandalizemur Eccleſia, quæ per iniquos Italiæ præfectos prodita, agitata, vexata, depopulata & ſpreta non ſentit, & ſentire ſe diſſimulat, nec obruatur & penitus exturpetur de Italiæ finibus. O quã grande volumen comportari poſſet, ſi quis colligere vellet Italorum graviſſima ſcandala, rebelliones, contemtus, inobedientias, Eccleſiæ impugnationes, contumacias, dolos, perfidiam & horrenda alia eis quotidiana & communia ac nefandiſſima vitia! Si quis, inquam, hæc tantâ diligentiâ & ornatâ eloquentiâ conſcriberet: ſicut Suevorum Dominorum ſuorum & Germanarum Gentium conſcribi & deſcribi fecerunt exceſſus, profecto grande volumen fieret, quo Italia terra nobilis propter generationem malam & adulteram, & gentem ignobilem omni vitio vitioſiſſimam, exoſa, odioſa, & abominabilis Chriſtiano vero & vir-

tuoſo redderetur. Vides felicitatem, concordiam, devotionem, ſanctitatem, quam tantopere boni iſti homines in ſuis caſtris militantes commendant!

G. *Duravit etiam lis de Inveſtitura*, ſeu jure Patronatus, quod contra Papam defenderunt a. Magnates *Angliæ. Matth.Par.*p.495. *Ipſis quoque temporibus Comites & Barones & alii Magnates Angliæ, ad quos ab antiquo jus patronatus Eccleſiarum ſpectare dignoſcitur, dolentes ſe privari ſua libertate, & per cupiditatem Romanæ Eccleſiæ jure conferendi Eccleſias enormiter privari, & alienigenas præcepto Papali illos ditari, quorum perſonas & conditiones penitus ignorabant, licet ſerò Domino Papæ ſcripſerunt, & ipſam Epiſtolam per dictum Robertum de Tuinge militem, qui per eandem violentiam privatus jure ſuo ſuper patronatu Eccleſiæ de Lubun, in diœceſi Eboracenſi, conqueſtus eſt graviter nobilibus regni, quod Archiepiſcopus ſe aſſeruit nihil poſſe contra Romanam Eccleſiam velle recalcitrare.* Literis igitur cauſam ſuam Angliæ proceres proſequi cœperunt. Vide *Matth.Par.*l.cit. b. *Galli*: quamvis Regi non placuerit, ſi *Genebrardo* fides adhibenda. Ita enim ille p.635. *Cum Ludovico inſtituendi paſtores à Pontif. poteſtas facta fuiſſet*

ſet, ad idque diploma Legatus rediens attuliſſet: Quòd mea, inquit, Romæ negotia ſtrenue obieris, laudo. Quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo. Intelligo enim, quanto cum periculo animæ meæ, & regni id ſuſciperem. Ac protinus diploma in ignem conjecit. *Germanorum* fortè mentem exprimit *Naucl.* ſub fin. Gen. 43. p. 239.

H. *Tandem etiam cenſus Papæ denegârunt.* Cùm an. Ch. 1231. Papa adeò expilaret regnum Angliæ, Barones cum Academicis Profeſſoribus tandem communi conſenſu concludunt, Pontifici nihil amplius dandum. *Calviſ. Pariſ.* Rex etiam tallagiũ Papæ ſolvi prohibuit; *Bzov.* p. 689. Videmus ergo hinc, quàm multi à decreto Bonifacii; *Omnes Chriſti fideles de neceſſitate ſalutis ſubeſſe Pontifici Romano*, ſe exemerint. Vide ſup. p. 481.

B. Reſtat reliquus *Clerus*, de quo obſervandum 1. *quod Interdicta, & excommunicationes Epiſcoporum multi flocci penderint.* A. Ch. 1361. *facta eſt magna contentio inter Henricum Epiſcopum Argentinenſem, de Staheleck, & inter civitatem Argentinenſem, ſuper quibusdam juribus, in tantum quod Epiſcopus omnem clerum mandabat exire civitatem ſub privatione beneficiorum, & cum totus Clerus exiviſſet, po-*

ſcit Epiſcopus interdictum arctiſſimum, prohibens ſacerdotibus quibuſcunque, ne pueros civium baptizarent, aut cuiquam ſacramenta adminiſtrarent. H*is non obſtantibus invenerunt cives tres ſacerdotes, qui contra interdictum Epiſcopi celebraverunt, & omnia ſacramenta incolis adminiſtraverunt.* Naucl. Gener.43. pag.239. 2. *Quod Magiſtratibus quoque Politicis parere multis in locis ſit juſſus.* Quid? quòd an.Chr.1205. Balduinus, Conſtantinopolitanus Imperator, Innocentio III. Romam ſcripſit & ex dicto Petri, *ſubditi eſtote*,&c. concluſit, quòd ſacerdotium ſit ſub Imperatore, Imperium præemineat, & Imperator jurisdictionem habeat tam in ſacerdotes, quàm in laicos, *Calviſ.* Id Imperator ipſe longa docuit praxi, teſte *Vitodur*. p. 18. a. Confer *Matth. Par.* p.542. Et acta Regum Angliæ in electione Archiepiſcopi Cantuarienſis *ſup.* p.597. *Calv.* item a. Ch.1209. & 1212. *Bal.* Cent.3. pag.264. ubi inter alia, *quòd Iohannes Plantagenet*, R*ex, in quosdam clericos ſecundum ius patriæ animadvertit, quod mulierem quandam occidiſſent,&c.* Hinc fortè diſſenſiones illæ inter regnum & ſacerdotium, quarum meminit *Par.* 236. Sic idem *Matth. Par.* i Henr. III. An. Ch. 1231. R*ex Anglorum* H*enricus ad natale tenuit curiã ſuã apud Lambethi, Huberto Angliæ iuſtitiario neceſſaria omni feſt.*

feſtivitati Regi procurante. Ac deinde VII. Cal. Februarii, convenerunt ad colloquium apud VVeſtmonaſterium Rex *cum Prælatis & aliis Magnatibus regni, ubi exegit idem* Rex *ſcutagium, de quolibet ſcuto tres marcas, ab omnibus, qui Baronias tenebant, tam laicis, quàm Prælatis. Cui* Richardus *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, *& quidam Epiſcopi cũ eo audacter reſiſtentes, dixerunt, quod non tenentur viri Eccleſiaſtici judicio ſubjici laicorũ, cum absque illis conceſſum fuiſſet ſcutagium in finibus transmarinis. Tandem vero poſt multas hinc inde diſceptationes, negotium, quantum ad Prælatos reclamantes pertinebat, uſque* 15. *dies poſt Paſcha dilationem accepit. Omnes alii, tam laici, quam clerici ac Prælati, favebant regiæ voluntati.* 3. *Quod Monachatus fuerit* multis ἀλγηδὼν ἐν ὀφθαλμοῖς. a. Ipſe *Papa* non ſemper ad eorum fuit palatum. *Vitoduran.* de Innocentio IV. *Ipſe Papa contra fratres* Minores *& Prædicatores, iniquas conſtitiones edidit, quas poſtea ſucceſſores tractaverunt.* Et concilio Religionum diverſitas nimia, (ne confuſionem induceret) fuit ſublata: *Bzov.* an. Chr. 1275. S. 3. b. Theologi *Pariſienſes*, eos aperto oppugnârunt Marte. *Quidam Theologi*

logi Pariſienſes duplici corde compoſuerunt librum infamiæ contra venerabiles Fratres Prædicatores & Minores, qui tale habuit initium: Ecce videntes clamabunt foris. *Id.* p. 21. a. Præ cæteris ſe illis oppoſuit *VVilbelmus de S. Amore*, Magiſter Pariſienſis, & Belouacenſis Canonicus an. Ch. 1250. Vide *Catal. Teſt. Verit.* lib. 16. p. 669. Librum ejus contra Monachos mendicantes (noluit enim, eleemoſynis vitam eſſe, absque ſalutis periculo, mendicantium more, tolerandam; *Vitod.* l. c.) ſcriptum Alexander IV. P. Papa combuſſit, *Calviſ.* a. Ch. 1255. & æterno edicto abolevit; *Plat.* p. 221. a. *Bzov.* a. C. 1245. S. 20. *Eadem tempeſtate Avenione, Arelate, & in aliis urbibus* Galliarum, *non tam ab hæreticis, quàm ab invitis aliquibus clericis, multam calamitatem paſſæ ſunt* Religiones *mendicantium. Cauſa fuit, quod in partem miniſterii Eccleſiaſticæ Hierarchiæ tum concionibus ad populum faciendis, tum confeſſionibus excipiendis operam maiorem, quàm illi negligentiores navarent.* Divinitus verò eos contra audacius ire juſſos, *monet idem.* Sic *Regnum contra ſe diviſum quomodo ſtabit?* Sed & *Deſiderius Longobardus* multis ſcriptis impugnavit ordines mendicantium contra quem Thomas. *Geneb.* p. 639. c. *Angli, tam Clerici, quam Laici Monachatum graviter exagitârunt.* Cùm enim Monachi, Pontifici gratificaturi,

Ste-

Stephanum de Langethune Archiepiſcopum elegiſſent Cantuarienſem, Johannes Rex in furorem converſus, *miſit Fulconem de Cantelon, & Henricum de Cornhelle, milites crudeliſſimos, & humanitatis ignaros, cum Miniſtris armatis, ut eos, ſicut criminis læſæ Maieſtatis reos, à regno Angliæ expellerent, vel ſententia capitali condemnaret. Illi autem mandatum Domini ſui non ſegniter exequentes, Cantuariam ſunt profecti, & nudatis enſibus Monaſterium ingreſſi, voce furioſa Priori & Monachis ex parte Regis præceperunt, ut velut proditores regiæ maieſtatis, in continenti de regno Angliæ exirent. Et ſi hoc facere noluiſſent, affirmaverunt cum iuramento, quod ipſi iniecto igne, tam in ipſo Monaſterio, quàm in aliis officinis, omnes illos cum ipſis ædificiis cõcremarent.* Matth. Par. p. 214. Confer. p. 538. Et pag. 783. *Anno ſub eodem, quidam Prælati & Religioſi Eccleſiarum conventualium liquidò comperientes, quod undique quos ſolebant habere defenſores, ſenſerunt iam manifeſtos perſecutores Epiſcopos, & Laicis ac ſecularibus nociviores, nec non ſummũ Pontificem, qui quanto potentior eſt, tanto gravior ad opprimendum, ſtuduerunt confœderari, ut alteru-*

terutrum onera portantes minus gravarentur. Confœderati ſunt igitur cum Abbate & Conventu de VValtham, conventus Eccleſiæ Epiſcopi Cantuarienſis, Et. p. 893. *Sicut Londinenſium tepuit devotio penes Minores, ita & Pariſienſium refrixit charitas verſus fratres Prædicatores, qui univerſitatis antiquas & approbatas cōſuetudines conati ſunt infirmare.* Refert *Bal.* ex *Matth. Par.* p. 270. an. Chr. 1221. ortam diſſenſionem inter Richardum de Matiſco Epiſcopum Dunelmenſem, & ejusdem cœnobii Monachos, adeo ut Romæ ſe mutuo accuſarint de Simonia, adulterio, ſacrilegio ac perjurio. Et cùm ſervus Epiſcopi ejus loci Monachum ſemel percuſſiſſet: Malè ei eveniat (inquit Epiſcopus) quòd tonſum illum non occiderit. *Fel. Fab.* Hiſt. Suev. p. 129. commemorat, Suiceros tempore Rodolphi Imperatoris *plurimum Monaſteria moleſtare cœpiſſe*, Quid cauſæ fuerit, cur ita ſordeſcere ubique cœperint Monachi, colligere proclive eſt ex eis, quæ prolixè ſupra citavimus, p. 362. & deinc. quibus querelam adde *Matth. Par.* in Henr. III. pag. 795. *Erubeſcant moderni mollibus ſubtilibus & pretioſis veſtiti, imò potius adornati: Quid de tunicatis & pileatis referendum? O ſi ſanctus Benedictus hæc videret reſuſcitatus, imo certè videt, qui univerſum*

ſum mundum ſub ſolari radio quandoque cernebat collectum, qualiter offenderetur? Hæc ſi cerneret beatus Bernardus, qualiter obgrunniret? dicebat namq; Monacho lautius paſto, decentius veſtito, ſtrictius calceato, nihil Deo abominabilius. *Alii* contra *contemto clero Monachis faverunt.* De Rodolpho Habſpurgico refert *Vitoduranus* p.23.b. *quod Fratres Minores ſibi & ſuis liberis Confeſſores adoptârit, & præ cunctis religioſis elegerit ſacerdotibus contra & ſecularibus minus detulerit, & favoris ſui gratiam ſubtrahens infeſtus nimis fuerit.* Unde & *Monaſteriorum proviſor* dicebatur, *Felix Fab.* Hiſtor. Suev. pag. 129. Conſpirationem Nobilitatis Gallicæ contra clerum Gallicis expreſſam literis habes apud *Matth. Par.* pag. 697. Et. p. 698. tale contra clerum recitat ſcriptum: *Quia clericorum ſuperſtitio non attendens, quod bellis & quorundam ſanguine ſub Carolo Magno & aliis,* Regnum *Franciæ de errore Gentilium ad fidem Catholicam ſit converſum, primo quodam humilitate nos ſeduxit, quaſi vulpes ſe nobis opponentes ex ipſorum caſtrorũ reliquiis, quæ à nobis habuerant fundamentum, jurisdictionem ſecularium Principum ſic abſorbent, ut filii ſervorum ſecundum leges*

ſuas

ſuas iudicent liberos, & filios liberorum, quamvis ſecundum leges priorum triumphatorum deberent à nobis potius iudicari, & per novas conſtitutiones non deberet anteceſſorum noſtrorum conſuetudinibus derogari, cum nos deterioris conditionis faciant, quam Deus etiam voluit eſſe Gentiles, cum dixerit: Reddite *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, et quæ ſunt Dei, Deo. Nos omnes* Regni Maiores *attento animo percipientes, quod regnum non per jus ſcriptum, nec per clericorum arrogantiam, ſed per ſudores bellicos fuerit adquiſitum, præſenti decreto omnium iuramento ſtatuimus et ſancimus, ut nullus clericus, vel laicus alium de cætero trahat in cauſam coram ordinario iudice uel delegato, niſi ſuper hæreſi, matrimonio, vel uſuris; amiſſione omnium bonorum ſuorum, & unius membri mutilatione transgreſſoribus imminente, certis à nobis ſuper hoc executoribus deputatis, ut ſic iurisdictio noſtra reſuſcitata reſpiret, & ipſi hactenus ex noſtra depauperatione ditati, quibus Dominus propter eorum ſuperbiam prophanas voluit revelare contentiones, reducantur ad ſtatū Eccleſiæ primitivæ, & in contemplatione viventes, nobis ſicut decet, activam vitam ducentibus, oſtendant*

dant miracula, quæ (NB. quid igitur juvat, ſtentorea ea ubique voce crepare? Vide ſup. p. 456.) *dudum à ſeculo receſſerunt.* Hæc *cum audiviſſet Papa, ingemuit ſpiritu perturbato, & cupiens eorum emollire corda & conſtantiam enervare, admonitione præmiſſa eos minis perterruit, nec ſe ſic ſenſit prævalere. Contulit* (vides illices Pontificum!) *igitur multis conſanguineorum eorum multa beneficia Eccleſiaſtica, & licentiâ plura obtinendi cum indulgentiis multis, nec non & plura ipſis nobilibus cõtulit donativa, & ſic multos eorum à prædicta præſumtione revocavit. Multos tamen perterruit tenor hujus Epiſtolæ, credebaturque hæc in conſenſu Fridericum manâſſe.* Romanæ præſertim harpyæ potiùs, quàm clerici, in Anglia nummos corradentes, & frumentum, graviter ab Anglis quibusdam duce VVilhelmo Witham, ſive Roberto de Thinge fuerunt multati. *Diſtracta erant horrea Romanorum per totam ferè Angliam. Largas Eleemoſynas advenientibus diſtribuebant egenis, & quandoque nummos inter pauperes ſeminantes eos colligere hortabantur. Matth. Par. p. 362.* Alibi opibus ſuis ſpoliati, non ſocios infortunii, imò ne συμπαθοῦντας quidem habuerunt laicos. Vide ſup. p. 499. Tandem & Henricum Regem, &

Iſabellam Reginam Cypri clerum oppreſſiſſe queritur *Bzov.* an. Ch. 1222. S. 1.

Sectio VI.

De ECCLESIA FALSA.

Eccleſiæ falſæ propagationem oſtendimus in Gentiliſmo, [*a*] Judaiſmo, Muhammediſmo, [*b*] Pſeudo-Chriſtianiſmo, & [*c*] Antichriſtianiſmo.

[*a*] Cui ſua propter favorem Chriſtianorum incrementa non deerant. Audiamus ipſum *Bzovium* a. Ch. 1288. S. 8. *In Germania reliqua quieta, præter quod* Rudolphus Rex *Romanorum quendam Mohirem* (eſt R. *Meir*, de quo ſup. p. 541.) *Rothenburgium* Hebræum *in carcerem retraxerat. Non deerant Hebræorum primores, qui apud Nicolaũ Pontificem conquererentur, ſine cauſa, innocentemq; in vincula conjectum eſſe. Monuit itaq;* Rodolphum *Nicolaus, ut ſi is nihil contra fidem orthodoxam deliquiſſet* (Judæus, juratus Chriſti hoſtis, blaſphemiis incoctus, nihil contra fidem orthodoxam derelinquat? quàm frigidum Judaicæ Inquiſitionis fuit examen, collatum cum carnificina, qua

VVal-

VValdenſes vexabantur?) *necuſpiam in regiã Majeſtatem commiſiſſet, illum liberaret. Fortè* Rodolphum *commoverat juſtus zelus, ſi is aliquorum Chriſtianorum fidei conſtantiam pertentaret. Per eos enim dies recutitorum contagio in plurimos pervaſerat ſectamq; Iudaizantium, & rejudaizantium ex promiſcua confluge fecerat.* R*itus rejudaizantium commemorabat Eymericus, pars ridendos, pars abominandos. Imprimis requirebant, ſi vellet facere* tevilah, *ſcilicet* balneationem, *ſive* lotionem *in profluvio aquæ currentis. Affirmante illo infelici, dicebat præfectus myſteriorum,* baal teſchuvah, *ſcilicet* revertaris à ſtatu peccati, *& interim omnibus veſtimentis ſpoliatum, nudumque primum in calida aqua abluebat: Iudæi verò adminiſtri, arena totum corpus ad Iudaiſmum revertentis perfricabant, maximè vero frontẽ, pectus, & manus, & loca ſancto chriſmate peruncta, tum pilos totius corporis deradebant, & ungues manuum ac pedum usque ad ſanguinis effuſionem præcidebant. Ad eum modum raſum ac præciſum, in aqua fluvii currentis, caput ter demergebant, orantes:* Benedictus Dominus Rex cœlorum, qui præcepiſti nobis ſan-

ctificari ſuper aquam iſtam ſeu balneum revilah. *Lotum poſtea novo induſio induebant, oſculabantur, & nomine novo, vel illo quo ante baptiſma ſuſceptum appellabatur, conſultabant. Ille aut interim legem Moſaicam profitebatur, & tum ſervare, tum defendere, tum ſecundū formulam eius vivere promittebat: atque ſacrum baptiſma, fidem Chriſti, ritus & mores Chriſtianorum diſerte execrabatur, quorum omnium teſtimonium, inſtrumento publico deſcripto, accipiebat, & ad Iudaorum ſacra admittebatur. Qui à Chriſtianiſmo ad Iudaiſmum tranſibant, præter ſuperiores actiones circumcidebantur, vario tamen ritu, ab Iudæis natis, ut ab illis diſtinguerentur. Horum cum non infrequens numerus quotidie in Germania multiplicaretur, Nicolaus Pontifex* Max. *contra eos ſanxit, eam, quæ ſequitur, conſtitutionem, univerſis Inquiſitoribus præſcriptam.*
Turbato corde audivimus, & narramus, quod non ſolùm quidam de Judaicæ cæcitatis errore, ad lumen Chriſtianæ fidei converſi, ad priorem reverſi eſſe perfidiam dignoſcuntur: Verum, quum plurimi Chriſtiani, veritatem Catholicæ fidei abnegantes, ſed damnabiliter ad ritum Judaicum tranſtulerunt: quod tanto magis reprobum fore cognoſcitur, quantò ex hoc Chriſti

Chriſti nomen ſanctiſſimum, quadam familiari hoſtilitate ſecurius blaſphematur. Cùm autem huic peſti damnabili, congruis & feſtivis deceat remediis obviare, univerſitati veſtrę per Apoſt. ſcripta mandamus. quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos, auctoritatę ſedis Apoſtol. deſignatos ſuper præmiſſis, tam per Chriſtianos, quàm etiam per Judæos, inquiſita diligenter & ſollicitę veritate, contra omnes, quos talia inveneritis hactenus commiſiſſe, ac committere in futurum, tanquã contra hæreticos, contra fautores quoque receptatores, & defenſores eorum, tanquam contra fautores, receptatores & defenſores hæreticorum procedere ſtudeatis, Judæos autem, qui Chriſtianos utriusque ſexus, ad eorum ritum execrabilem induxerint, aut inveneritis de cætero inducentes pœna debita puniatis. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Datum Reate Non. Sept. Pont. an. 1.

[b] Quo nomine Hæreticos intelligimus & Schismaticos. Eos magno nnmero in Hæreticorum Catalogis referunt ſcriptores Pontificii, I. Ponunt *Almaricum*, Doctorem Pariſienſem, de quo prolixè *Alph. à Caſt. Sander. Luzenburg.* & cumprimis *Gault.* ab an. 1200. ad 1300. *Bzov.* Geneb. De viri huius dogmatibus multa apud authores citatos. Statuiſſe dicitur, inter cætera

a. unumquemque obligatum eſſe credere, ſe membrum fuiſſe Chriſti; *Bzov.* an. Chr. 1216. b. Nullam prorſus in Miſſa eſſe transſubſtantiationem: Gault. pag. 684. *Geneb.* p. 626. *Bzov.* an. Ch. 1215. S. 2. c. Altaria ſanctis dicata, & imagines thurificare, ſanctorumq; invocationes eſſe Idololatrias, Gault. *Bzov.* l. c. d. Imagines templis eſſe ejiciendas *Domi. Sot. Bal.* Cent. pag. 235. *Bzov.* an. Chr. 1209. S. 11. II. Davidem Dinantium, Almarici diſcipulum, Gault. p. cit. cuiusmodi habuit plurimos, *Bzov.* 1209. S 11. III. *Guilelmum de S. Amore, & Deſiderium Longobardum,* quod mendicitatem Religioſorum improbarent: *Gault.* l. c. IV. *Stadingenſes,* de quibus *Bzov.* an. Chr. 1234. S. 20. *Eodem anno Gregorius Pontifex, contra* Stadingenſes Hæreticos *in Confiniis Friſiæ & Saxoniæ inviis paludibus & fluminibus circumcinctos crucem prædicavit: eo quod dudum à ſed* Apoſtolica *excommunicati & interdicti claves Eccleſiæ contemnerent.* S. 22. *Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ contra Stadingenſes & Albigenſes hæreticos victoriam obtinuiſſe ſcribit.* Et S. 26. alius meminit cladis dogmatum item Verba ejus, ex *Alberto* Stadenſi Epiſcopo ſunt An. *D.* 1234. *Henricus Dux Brabantiæ, & Florentinus, Comes Hollandiæ, Bremæ exiſtentes, cantra Stadingos hæreticos viriliter ſe ac*

cinxe

cinxerunt, tanquam contra inimicos manifeſtos Eccleſiæ. Nam ſicut probatum eſt ſuper eos, & per Mindenſem, Lubecenſem, Ratisburgen*ſem, Epiſcopos, Papæ auribus intimatum, ipſis doctrina matris Eccleſiæ penitus vilipenſa, ipſius libertatem conculcaverunt, nulli parcentes ſexui, vel ætati. Quaſiverunt reſponſa Dæmonum, ſimulacra fecerunt cerea, conſulentes etiam in ſuis ſpurcitiis erroneas Pythonyſſas, & quod deterius eſt omnibus, viaticum æternæ ſalutis horribilius quam exprimi decet, pertractantes, Clericos etiam &* Religio*ſos, impiè lacerantes, cruciabant omni genere tormentorum. Nec propria eis ſuffecit perditio. Sed omnes quos poterant, & maximè ruſticos in foveam ſuæ perfidiæ ſecũ trahere nitebantur, &c.* Vide & S.23. V. Nicolaitas, ſeu Condormientes (ita enim propter ἄμικτον μῖξιν dicebantur *Bzov.* an. Chr. 1233. S.13.) Manichæos, *Bzov.* an. Chr. 1234. S.5. 1251. S.3. *qui ſingulis annis ex Alemannia,* G*allia,* I*talia, cenſum annuũ* Medio*lanum* (conf. *Naucl.* Gen. 41. p. 211.) *ubi diverſarum hæreſium & errorum primatus agebatur, transmittebant. Certis ſignis circa januas domorũ vel ſupra tecta, peregrini circumeuntes, complicum ſuorum habitationes reperiebant.*

Bzov. an. Ch. 1235. S. 1. *Patarenos* etiam vocat, contra quos multa Gregorii IX. ſunt decreta, *Id.* S. 2. 3. VI. *Albigenſes*, de quibus *Matth. Par.* pag. 231. *quod illorum perverſitas adeo divinam contemſerit ſeveritatem, ut videntibus Epiſcopis & Presbyteris, libros Evangeliorum in ſemitas projicerent, & calices cum vaſis ſacris in deſpectum corporis & ſanguinis Chriſti enormiter dehoneſtarent.* VII. *Circumcelliones Bzov.* a. Ch. 1249. S. 5. *Quidam* Circumcelliones, *pulſatis campanis, & convocatis Baronibus terrarum in* Halla *Suevia feruntur prædicâſſe in publica ſtatione, quaſi Pontifex eſſet hæreticus, omnes Epiſcopi & Prælati Simoniaci &* Hæretici, *inferiores quoq; Prælati cum* Sacerdotibus, *qui in vitiis & peccatis mortalibus, non haberent authoritatem ac poteſtatem ligandi & ſolvendi, omnes eſſent hominum ſeductores. Item, quod Sacerdotes in mortalibus conſtituti, non poſſent conficere altaris ſacramentum. Item, quod nullus vivens, neque Papa, neq; Epiſcopi, neque alii poſſent interdicere divina, & qui prohiberent, eſſent hæretici & ſeductores, & ideo permittebant civitatibus interdicto ſuppoſitis divina peragere, ut populi ſacramenta Eccleſiaſtica liberè perciperent,*

perent, atque ipſis perceptis, mundarentur à peccatis. Item, quod Fratres Prædicatores & minores falſis prædicationibus perverterent Eccleſiam, & quod omnes illi fratres una cum Ciſtercienſibus & aliis, pravam vitam ducerent iniuſtam. Item, quod nullus eſſet, qui veritatem diceret, & qui fidem iuſtam opere, niſi ipſi & eorum ſocii ſervarent: & ſi ipſi non veniſſent, prius quàm Deus fidem ſuam periclitari ſineret, de lapidibus alios excitâſſet, qui Eccleſiam Dei vera prædicatione illuſtrâſſent. Prædicaverunt, dicebant, ad hoc tempus Prædicatores noſtri falſitatem, & ſepelierunt veritatem: nos è contra prædicamus veritatem, & ſepelimus falſitatem, &c. Vide ſup.p.602. mentem eorum de Indulgentiis. VIII. *Humiliati*, & *Pauperes de Lugduno*, de quibus *Fel. Fab.* p.117. *Sub iſto Friderico exortæ ſunt duæ religiones celeberrimæ & ſanctiſſimæ, quas ſancta mater Eccleſia inſtituit contra duas ſectas contagioſas paulò ante exortas. Prima religio eſt Prædicatorum* (quorum initium ad præcedens pertinet ſeculum, vide ſup.pag 99.) *per quam ſublata eſt ſecta Humiliatorum.* Humiliati vide p.100.) *quippe nulla habita authoritate & licentia, nec ſcientia, populis prædica-*

 bant,

bant, Confeſſores audiebant, & vitâ plebium tegere ſatagebant. Alia religio eſt Frat. Minorum*, per quam ſublata eſt ſecta Pauperum de Lugduno ſeu VValdenſium, quæ dicebat, ſe vitam Apoſtolicam tenere, nihil volentes poſſidere, & nunquam in eo loco ſtabiles manebant, & in occultis dogmatizabant, & multos errores ſeminabant.* IX. *Flagellantes*, de quibus ſup. pag. 362. & *Gault.* 686. X. *Fratricellos*, quorum dux Hermannus Italus, *Idem.* XI. *Pſeudapoſtolos*, Chirurgo Gerardo Sagarello, de quibus Id. *Ib.* Cui *Bzov.* a. C. 1285. S. 13. adjungit *Dulcinum Novarienſem*, quorum Doctrina non à Parmenſibus tantùm, ſed multis aliis Italiæ in Inſubria civitatibus recepta erant. Dogmata eorũ, præter alia, erant: 1. Tota authoritas à Domino Jeſu Chriſto tradita & collata Eccleſiæ Romanæ eſt omnino evacuata, & jam dudum ceſſavit, propter malitiam Prælatorum. 2. Eccleſia Romana, quam tenent Papa & Cardinales, & Clerici, & Religioſi, non eſt Eccleſia Dei, ſed reprobata Eccleſia, quæ perſeverat hodie ſine fructu. 3. Romana Eccleſia eſt illa meretrix, quæ à fide apoſtatavit, de qua ſcribit Johannes in Apocalypſi. Cætera vide apud *Bzov.* & *Gault.*

Ita Pontificii. Nobis alia de illis mens eſt. Omnes ferè illi, quos Catalogo modò præmiſſo exhibuimus, VValdenſes ſunt ſeu Albigenſes: unde &

de & ipſe *Bzov.* an. Chr. 1234. S. 22. Stadingenſes cum VValdenſibus conjungit. Quæcunque proinde pro VValdenſium (quos Nicolaitarum, Manichæorum, Condormientium hic & alibi Pontificii ſcriptores onerant convitiis) innocentia dedimus & Orthodoxia Sec. XII. hîc etiã repeti debent. Unde verò, quæras, factum, quod tot monſtroſorum dogmatum lerna & ſentina VValdenſibus imputetur? *Reſp.* Odio Religionis affingebantur ab illis, à quorum ore cæteri dependebant. De VValdenſium doctrina nonniſi pauciſſimis judicare dabatur. Cæteris nutu Dictatorum ſententiam probâſſe ſatis erat. Unde ingenua Naucleri, Gen. 11. p. 211. confeſſio. *Albigenſium dogma nemo ad hunc diem notus Scriptor reliquit. Et cum* Hæreticos *eos vocent, atque ob eam culpam exterminatos eſſe authores tradant, genus tamen hæreſeos prætereunt, puto eos, quoad conjectura aſſequi poſſum, arcanam peſtem ſecutos, fœdis quoque amoribus &c. induſſiſſe, ideoq; legitimas nuptias & carnis eſum damnâſſe.* Non fuit Nauclerus, qui longè poſt VValdenſium in viviſerat ortum homo obſcurus; Ignoravit tamen eorum dogmata, de quibus ex iis tantùm quæ vel ex convitiis Pontificum, vel publicis ad conflandam innocentiſſimis hominibus invidiam, editis decretis collegerat, indicium fecit.

Certè,

Certè, qui primam in VValdenſium pertexenda Hiſtoria fregerunt glaciem, moderatores erant & mitiores, poſteriores demum, quorum conjecturæ, vel calumniæ potius, putidæ oracula eſſe cœperant, tam prodigioſam nobis cuderunt VValdenſium Theologiam. Atque hoc eumprimis diligenter eſt obſervandum. Quòd tamen qui ſint, ſive Almaricus, quem tamen *Bal.* pag. 235. κατ' εὐφημίαν hominem vocat eruditum, ſive Stadingenſes, ſive alii, qui contraria τῇ τῶν ὑγιαινόντων λόγων διδασκαλίᾳ tradiderunt, ab iis Eccleſia noſtra alieniſſimam ſe profitetur, iis contenta, quæ communiter cum his ſacræ Scripturæ dicto & ductu damnat, cuiusmodi eſt cultus imaginum, Transſubſtantiatio, &c. Verùm, ut primis inſiſtamus veſtigiis, malè ſana hæc dogmata VValdenſium adverſariis atra bilis dictavit, & nocenti libido.

[c] Quo loco ab ipſis in Papatu viventibus præſidibus Papiſticis habita eſt Eccleſia Pontificia. Vide ſup. 611.

SECULUM XIV.

SECTIONES ejus ſunt ſex.

I. De Chriſtianiſmo.
II. De Muhammediſmo.
III. De Gentiliſmo.
IV. De Judaiſmo.
V. De Doctrinæ Συμβίβασει.
VI. Appendix de falſa Eccleſia.

SECTIO I.

De

CHRISTIANISMO.

I. Auſpicamur, pro Methodi noſtræ inſtituto, Seculi decimi quarti Hiſtoriam, à curſu *naturæ* qui, quò propior fuit fini Mundi, eò etiam plures paſſus eſt anomalias.

Notantur enim omnes illi futuri judicii prodromi, de quibus Chriſtus *Matth.*24. v.6. & deinc. unde aut. *Faſcic. temp.* p.85.b. *Ecclipſis Solis fuit in principio Martii & duravit quaſi duabus horis. Terræ motus maximi fuere per diverſa loca. Et Baſilea tota cecidit a. D.*1356. *cum mul-*

multis caſtris in circuitu. Tunc homines velut beſtiæ in ſilvis commorantes vix civitates intrare audent, Bella etiam plura & peſtilentiæ & fames fuerunt. Terra in multis locis aquam albam & fœtentem evomuit, quæ caſtra & loca fortia caſui dedit. Tempora inſuper periculoſa propter hæreſes (errat bonus vir) *& ſectas plures. Et ſuperbia & iniquitas nimis invaluit, & populus curioſus & levis nimis. Vnde in libro B. Brigittæ* 1. c. 45. *dicitur, quòd, ſecundum rigorē iuſtitiæ, mundus merito deberet perire, quod pejor eſt, quam tempore diluvii: ſed precibus ſanctorum miſericordia parcit ei.* Sed de ſingulis iſtis paulò fuſius. Notantur ergo, ab Hiſtoricis 1. *Fames*: Joh. Vitodur. p.m.70. An. Chr. 1341. *in quadrageſima tanta multitudo Tartarorum, & aliorum paganorum, famis inedia compulſa, terram* Regis *Cracoviæ & Vngariæ ingreſſa eſt: de his Paganis talis opinio volavit, quod alimonia & victus neceſſaria in regionibus ſuis defecerunt, & fames crudeliſſima illic invaluerat, propter locuſtarum voracitatem:* An. Ch. 1313 Fames & peſtilentia Germaniam ita afflixit, ut ex Sicilia frumentum exportaretur in Germaniam. *Ann. Suev.* An. Ch. 1316. Fames graſſabatur in Thuringia adeò ut intra mœnia Erdfurdiana ad

ad octo millia hominum fame perierint, qui carpentis evecti ſunt, ac peſtis inde orta. In hujus famis memoriam adhuc etiam panes coquuntur, quorum unus ſex nummis tum emptus eſt, quorum hodie vel decem uno nummo emuntur. *Calv.* An. Ch. 1314. ea Angliam vexavit fames, ut qui fortè propter maleficia in carceres trudebantur, ab iis, qui jam incluſi erant, protinus ſemivivi devorati ſint. Multi alienos liberos ad famem depellendam intercipiebant, neque à propriis etiam natis ſibi temperabant; *Bzov.* S. 7. An. Ch. 13 13. In Alemania, Brabantia & Anglia Cometam tanta ſequebatur fames, ut mendici in viis & in portis pro templorum foribus inedia animam efflârint. *Id.* S. 7. Polonia duobus annis tam acerba afflicta fuit fame, ut nullo quamvis fœdo edulii genere, ac ne cadaveribus quidem humanis vulgo abſtineretur, ac, ſi Dugloſſo credendum, parentes in liberos, & hi viciſſim in illos ſævirent. *Id.* S. 13.

2. *Peſtis*, quæ ferè famem excepit, præſertim in Anglia, Polonia, Germania an. Ch. 1315. *ubi tanta fuit vaſtitas, ut quotidie in ſingulis pene oppidis ſexageni, ſeptuageni ve efferrentur, quorum alii ſexta die, alii tertia, multi ſecunda, nonnulli ſtatim in ipſo morbi adventu extinguebantur. Multitudo omnis perterrita in omnes ſylvas & loca devia fugiens, vacuus errabat in agris. Alii in templis divorum*

*vorum aris affixi divinam implorabant o-
pem. Explicari oratione non poteſt, quant-
fuerit ejus temporis calamitas, qui gemitus
quæ lamentationes nocturnæ, diurnæq;.* Bzov.
Bruſchius ait, *tantam peſtem hoc anno per u-
niverſam Europam graſſatam eſſe; ut tertia
pene pars humani generis ea abſumeretur.*
Ioh. Vitodur. p. m. 49. b. *Circa a. D. 1318. Iohanne
Papa Eccleſiæ præſidente, anno quo Imperator
Ludovicus ſecundo in Italia demorabatur,
peſtilentia ingens in Germania orta, tam ex-
ceſſivè ſæviebat in populo tempore quadrage-
ſimale, ut quandoque una die in civitate Ba-
ſileenſi, ubi tunc præſens eram, 20. funera re-
perta fuerint tumulanda. In* Winterthur *ve-
ro, unde nativitatis originem traxi, & in mul-
tis aliis locis clerus non ſuffecit populo in exhi-
bitione ſeu miniſtratione ſacramentorum Ec-
cleſiaſticorum. Nam multi tam repentina mor-
te deceſſerunt, ut à Presbyteris ad hoc ma-
gno conatu paratis confeſſionis, abſolutionis,
Euchariſtiæ, extremæ unctionis remedium aſ-
ſequi non valuerint. Imò, quod gravius erat,
ſacerdotes volentes ſubditis ſatisfacere, in ad-
miniſtratione Sacramentorum, morte ſubi-
tanea & ex improviſo de medio ſublati ſunt.*

Hæc

Hæc mortalitas tam perniciosè & valenter in civitate Moguntina invaluerat & excreverat, ut ducenti vel fortè trecenti homines una die abſumerentur, quemadmodum ſive ligna intellexi relatione: Proceſſionibus tandem ad S. Albanum inſtitutis cives hanc averuncâſſe cladem, Pontificius more ſcribit Ponticio: quæ tamen felicitas non diu duravit. Anno enim Chriſti 1347. peſtis, quæ graſſata hactenus, ſuerat in Aſia, imò & ipſa incepit India, *Geneb.* 703. tandem in Europam rediit, adeò violenta, ut ſex annis totum pervaſerit orbem. Europam cumprimis ita vaſtavit, ut nec tertia (alii dimidia; *Geneb.*) pars hominum ſupereſſet. Florentiæ in Italia ad ſexaginta hominum millia abſumta ſunt, Lubecæ in Saxonia nonaginta millia, ita ut viginti quatuor horarum ſpatio mille & quingenti perirent, continuata eſt triennium. Ultimo anno ita atrociter ſæviit, ut nunquã majs. In cœnobio quodam, teſte *Spangenbergio*, inventus Catalogus Monachorum Carthuſianorum hac peſte extinctorum, qui fuit 124434. Ad hanc ſedandam *Flagellatores* in Ungaria excitati venerant in Germaniam. *Calviſ. Bzov.* a. C 1348. S. 12. & deinc. & 1349. S. 1. 1351. S. 7. Paulò poſt A. Ch. 1381. peſtis adeò inclementer Pragæ ſæviit, ut vel uno die aliquando obierint 1116. *Trith. Calviſ.* Vide etiam *Faſc. temp.* p. 84. b.

3. *Terræ motus.* Vide ſup. ex *Faſcic. temp.* Cujus

 etiam

etiam meminit *Calv.* an. Ch. 1356. Et ex Chro[n.]
Aug. *Id.* an. Chr. 1348. Ingens terræ motus i[n]
Germania orientali, Auſtria ſcilicet, Pannoni[a]
& Carnia factus d. 25. Januarii, qui 40. diebus du-
ravit, & viginti ſex urbes cum multis arcibu[s]
proſtravit; quem ſecuta eſt peſtis, quæ ante an-
num etiam vehementiſſima fuerat. De terræ
motu Neapolitano conſulatur *Bzov.* a. Ch. 1343
S. 28. Oliſſiponenſi an. Ch. 1344. S. 10. Romano
an. Ch. 1348. S. 16.

4. *Varii & inſoliti morbi.* Peſtem illam trien-
nalem, quæ ab India in Europam uſque pene-
travit, quamque infectis per Judæos fontibus
tribuebant, excepit ſanguinis profluvium, in-
audito genere cruciatus infinitos abſumens, ſa-
cri item ignis aduſtio, carnem ad uſque oſſa pe-
nitus conficiens, adeò ut etiam mortuorũ inva-
dens cadavera inſepulta, carnes antequam ſepe-
liri poſſent, conſumeret. *Chron. Hirs. Geneb.* 1349
Bzov. a. eod.

5. *Monſtroſi partus.* *Bzov.* an. Chr. 1312. S. 1[3]
*Per id temporis in agro Florentino, puerum bi-
corpore effigie, geminis capitibus, quaterni[s]
manibus, circa genitales partes connexum, ſi[c]
quod non amplius, quàm in geminos pedes de-
ſineret, viderunt illic omnes. Hic partus pau-
cis diebus ſupervixit. Extat ejus effigies Flo-
rentiæ in Hoſpitali ad ſcalas exſculpta.* Et. S. 14
Circa idem tempus, quo ad montem Altinum

collatis Florentinorum & Piſanorum ſignis decertatum eſt, monſtrum in agro Veronenſi editum, ex aqua quadrupes fœdus humano capite, ad cuius murmur & vagitum, & confuſum humanæ vocis ſonum occurrens ruris illius accola, & novo attonitus ſpectaculo exectum ingenti gladio, monſtrum caput, præter callem acuto baculo ſuffixit. Quam ob cauſam ad iudicium tractus, & de monſtruoſi partus origine, & de occidendi cauſis interrogatus, horrore atque abominatione rei tantùm ſe feciſſe reſpondit: de cæteris nihil omnino: & ruſticitas hominis, & publicatio facinoris, quod occultari potuerat, ſuſpicionem omnem ademerunt. Equa etiam in Patavorum finibus novem pedibus edita, *Ib.* Huc pertinet puerperium Margaritæ, Comitiſſæ Hollandiæ, quam ferunt uno partu peperiſſe 363. pueros. *Annal.Holl.Geneb.* Et puella illa, quæ novem nata annos ex filio mater facta fuit. *Geneb.* p.600. addit que: *Ne hoc incredibile videatur, puella octo annorum apud Lectorates an D. 1562. gravidata à puero æquali peperit filiam tam feliciter, ut ipſa intra annum 22. matris ſuæ, illam aviam ſobole propria reddiderit. Illa etiamnum familia ibi durat.*

5. *Phaſeis, chaſmata, cometæ*, aliaque cœli prodigia. *Bzov.* an. Ch. 1312. S. 14. *Ante annum quoque obſidente Brixiam Henrico Imperatore, in Galliis Solis ac Lunæ ſimul Eclipſin & minacem inſueti ſideris faciem viſam, Lunæ quoq; tergeminæ ſpeciem, ſpecies varias, & arculos etiam cælo ſparſos crucis imaginem continentes; & in Italia deflagrantes poſt partes, ac ſine ullis fulguribus aut nubibus, & (ut dici ſolet) ignaro Iove horrendum cecinisſe memorant.* Vide plur. ib. An. Ch. 1315. menſe Decembri Cometa circa nativitatem Chriſti apparuit, qui circa polum ſe volvens caudâ in diverſas orbis partes, in Orientem, Occidentem & Septentrionem extendit, & duravit uſque ad finem Februarii, ubi paulò poſt alius exortus eſt. *Albertus Argent. Calviſ.* an. Chr. 1337. duo ſcribuntur Cometæ exorti, quorum alter præceſſit alterum ferè unius menſis ſpatio *Bzov.* S. 13. an. Chr. 1341. alius apparuit Cometa in libra, viſus propè ſpicam virginis, qui ſingulis diebus ſingulis ferè gradibus progrediens cùm ad leonem perveniſſet, evanuit. *Faſcic. temp.* p. 85. a. *Portentum ignis in cælo viſum eſt, quod à Philoſophis vocatur candela rotunda.*

6. *Eluvies aquarum*, tam fluminearum, quàm pluviarum. An. Chr. 1310. Pluviæ & inundationes plurimæ fuerunt tempore veris & æſtatis: unde

unde ingens penuria frumenti. Calv. Polon. circa a.D. 1333. *Lucernæ particulare diluvium, per reſolutionem aquoſæ nubis, repentè & ex inſperato factum eſt, circiter feſtum S. Iohannis Baptiſtæ, hora veſpertina, quod contra minorem partem oppidi Lucernenſis tanta abundantia & impetu fluebat, ut hominibus habitantibus in oppido memorato initio incutere potuerit horrorem nimium & pavorem. Nam excidiũ & deſtructionẽ ſuo curſu vehementiſſimo minabatur & inſolitum exterminium, Nam terram abduxit, & arenam ſolam reliquit poſt ſe, quum ſuper hortos & olera ſparſit, & ſic texit, ut nihil aliud appareret. Foſſam & vicos oppidi aqua & arena replevit, tuguria quoq; & horrea ſecum tulit, ut omnes homines dormientes repertos in ipſorum fæno ipſis ignorantibus prope villam Lucernenſem devexit, & lapidẽ grandem trans altam ſepem jecit. Incudem unius fabri de loco ſuo radicitus evulſam ad fo-ſſatum villæ Lucernenſis deportavit, lectiſternia & varia utenſilia hominum ſecum importuniſſimè detraxit, & in fluvium dictũ* Rüß *fluentem per oppidum Lucernenſe, projecit,* Ioh. Vitodur. ad annum 1343. p. m. 78. b. *Conſequenter plura præcedentibus ſtupenda annectã*

 de

de inundationibus aquarum. Sunt autem iſta, quod in una excreſcentia importuna, & à retroactis temporibus inſueta & inaudita Rheni fluvii ſupra memorata homines pericula rerum, corporumque metus & terrores horribiles incurrerunt & damna. Nam Rhenus ultra modum incrementa ſuſcipiens de Lauffenburg oppido, ferè 12. domos cum pratis abſtractione abduxit. Inſuper ultra muros oppidi Seckingen influens rapidiſſimè habitatores univerſos ferè eius excluſit, & effugavit cum plurimis etiam domibus, quæ miſerabiliter diſſipando, & à locis ſuis avellendo abduxit nihilominus pontem oppidi Reinfelden *conſtructum ex pilis, lapides totaliter dirupit. Nam impetuosè plures domos & propugnacula & alia diverſi generis ædificia deducens, & cum eis in ſtatuaria lapidea & firmiſſima impingens ipſa funditus de ſuis locis evulſit. Habitatores quoque caſtri, iuxta pontem in medio ſui, quaſi ſiti & fundati, deprehenſos funis miſerrimis angustiis & ſubmerſionis metui, & aliis calamitatibus variis & ſæviſſimis implicavit, quæ per trium hebdomadarum ſpatium continue perdurantes ex utraq; parte ripæ Rheni incolas terræ quaſi ad ſpectaculum attraxerunt. Illo etiā*

anno

anno, fama ſatis communis conteſtabatur, mare plus ſolito, imò plus quàm unquam ante viſum fuerit, decreviſſe: audientes autẽ Aſtronomi Pariſiis conſtituti æquoris inſuetam diminutionem, & in quibusdam regionibus inſolutum aquarum exceſſum & cauſam illorum rimari, atq; indagare ſatagentes repererunt, ut fertur, fortè in Aſtronomiæ tabulis quandam ſtellam excellenter rutilantem, aquas nimis haurientem ac elevantem & poſt refundentem, regnare, quam ante quingentos etiam annos regnâſſe et uſque ad illum annum ultra non, et ab illo anno uſq; poſt iterum totidem annos ultra non regnaturum aſſerebant. Faſcic. temp. p. 84. b. *Aquarum inundatio fuit maxima: non ex pluviis, ſed ſcaturientium terræ venarum damna fecit infinita in toto orbe.*
A. Ch. 1307. die purificationis B. Mariæ Virginis glaciei ac nivibus reſolutis, maxima circa Rhenum & Moganum inundatio aquarum facta eſt, quæ penè infinita hominibus circummoranti-bus damna intulit, evertens domos & habitacula multa, hortos & vineas, agrosq; & prata incredibili furore devaſtans. Pontem ſuper Moganum Francofordiæ nimio ſuo impetu dejecit, muros Moguntinos in parte ſubvertit, duas in muro Colonienſi turres funditus evertit, & multos in diver-

diverſis locis homines demerſit. *Bzov.* an. Chr. Confer 1309. S. 13.

7. *Grandines, tempeſtates, fulgura, procellæ.* A. Ch. 1307. *ad oppidum Vredeland veteris* Mar*chiæ in ſolo Vandalico grando de cælo cecidit, in qua igniti lapilli, qui plurima excitaverunt incendia, ubi ſtramina & paleas, aut aliam arſuram materiam inciderunt.* Res *prioribus ſeculis in comperta* Id. Ib. Et an. Chr. 1312. *In Anglia viſum eſt fulgur horribile, quod duravit ab hora nona diei per totam noctem ſequentem magno cum tonitru & crebis ictibus. Deinde multis in locis arbores virentes aruerunt. Eccleſia quoque Midletonii una cum campanali, campanis, ornamentis, libris & monumentis* Monachorum, *quo tempore hi ipſi matutinis precibus interfuerant, ab eodem fulgure arſit. Nec multò poſt, ſcil. prid. Non. ejusdem menſis* Septembris *turbo vehementiſſimus exortus, multas arbores frugiferas & aliquot turres proſtravit.* Thom. *VValſing.* Hiſt. Anglic. in Ed. 2. Et *Bzov.* l. c. quod repetit a. 1309. S. 13. Sævam etiam tempeſtatem notat Trithem. an. Ch. 1342. vide *Calv.*

8. *Locuſtæ, fruges ubiq; depaſcentes.* An. Ch. 1336. *& deinceps triennio, Poloniam,* Auſtriam, *Bohemiam & inde totam Germaniam vaſtarunt* *tan-*

tantâ copiâ, ut ſi volarent, umbram facerent nubium inſtar. Carolus filius Regis *Bohemiæ aliquando exploraturus exercitum locuſtarum, invenit eum in latitudine habere ſeptem milliaria* Germanica*, ſed longitudinis finem invenire non potuit, omnia depopulabantur.* Anno tandem 1338. per totam æſtatem à ciconiis ictibus, vulturibus, corvis & monedulis abſumuntur, & ſimul omnes nive obruuntur. Earundẽ meminit *Ioh. Vitodur.* a. Ch. 1337. his verbis: *In partibus Alemanniæ innumerabiles locuſtæ apparuerunt virorum galeatorum, vel mitratus armatorum ſpeciem prætendentes, & ut caſtrorum acies turmatim volantes, ſtrepitum & garritum in aëre magnum & raucum facientes, quæ diætas ſuas agentes in aëre elevatæ & ſuſpenſæ ſuper altitudinem arborum lucem diei obfuſcabant, præ nimia earum multitudine & denſitate ſolares radios obducendo, ſtationes ſuas humano more quaſi habebant de ſuperioribus ad inferiora terræ deſcendendo, & ibi ſimul quaſi ad diſcumbendum conſidendo. Viridia tunc quoq; herbarum, arborum & graminum depaſcebantur, et ea ad inſtar flammæ pertranſeuntis toſta et ardua in ſuo receſſu reliquerunt: Plures quoq; civitates, quarũ una fuit* Winterthur *proceſſiones devotas*

 (cujus

(cujusmodi ſimiles habemus alibi: vide in *Anal.* p. 32.) *faciebant, in ipſis Dominum deprecantes, ut ab ipſis liberari mereantur. Secundum conjecturas aliquorum hominũ in ſe gerebant prognoſticum & præſagium futurorum. In aliquibus terris, ut fertur, à quibusdam hæc plaga tam perniciosè ſæviit, ut depaſcendo agros & vineta ibidem panis & vini cariſtiam intulerint, & in tanta ſpiſſitudine terræ faciem operuerint, ita ut pedes hominum perambulantium eas ultra talos aſcenderint, & quòd quaſi in limo profundi infixi eſſent, hæſerunt. De habitationibus etiam hominum, in modum ſtercoris fætidi, ejiciebantur, & in fluvios præcipitabantur, ne ex cadaveribus eorum putrefactis contingeret aërem corrumpi, & peſtilentiam hominum generari, ſicut accidiſſe legitur temporibus Ludovici Imperatoris, filii Caroli* Regis *Franciæ, & Imperatoris* Romanorum. *Nam, ut quædã Chronica teſtantur, in Galliis locuſtarum innumeroſitas & infinitas orta fuit, quæ uſq; ad mare Britannicum perveniens flatu ventorum in profundum maris demerſa eſt, ſed æſtu oceani ad littus rejecta, ex putredine ſua aërem infecit, unde mortalitas maxima & fames prævalida eſt ſecuta,*

ita, ut ferè tertia pars hominum interierit. Vide ſup.p.647. Ita an.Ch.1353. infinitus locuſtarum numerus iterum in Africa, Aſia, Cypro & aliis locis exortus, à quibus omne,quod viride eſſet, depaſtũ fuit. Conf. *Bzov.* a. Ch.1365. S.3.

II. Translatum à Latinis ad Græcos *Orientis* Imperium [*a*] à quatuor ordine Imperatoribus adminiſtratum, ad interitum paulatim, [*b*] per tyrannidem Turcicam paratum, vergere cœpit.

[*a*] I. *Andronicus II.* ſeu *ſenior*, cognomento *Palæologus*, qui Patri ſucceſſit an. Chr.1283. Aſſumſit hic ſocium Imperii Michaelem filium, quem alii generum ejus fuiſſe putant an. Chr. 1319. A quo conſortem fecit alium Deſpotam, in locum defuncti Michaëlis. Unde irritatus hujus filius Andronicus inſurgens adverſus avum Imperatorem, eum acie vicit, ope Gemuenſium. Sed Veneti ſenem reſtituerunt, qui cum annum 70. ſuperâſſet, vivere deſiit an. Chr.1332. II. *Andronicus III.* ſeu *Iunior* cognomento *Palæologus*, Michaëlis filius ultra ſex annos bellum adverſus avum geſſit: quo tempore etſi ſæpius pax facta fuerit, interventu amicorum utriusq; non tamen duravit, usque dum An. Ch.1332. Andronicus junior intra urbem admiſſus fuit, qui nulla avum moleſtia afficiens, ſenem ſecum regnare permiſit quandiu vixit. Eo verò mortuo, glorioſa victoria de hoſtibus ſuis potitus eſt: cumque

que quinquageſimum annum ageret, correptus febre & dolore capitis intra quartum morbi diē expiravit. III. *Iohannes III. Palæologus*, cujus tutor & ſocius in Imperio fuit *Cantacuzenus* ab an. Ch. 1341. donec tandem Iohanne, ille qui & *Calojoannes II.* dicitur, Imperium ipſe, profligato Cantacuzeno, ſuſceperit: qui tamen quinto anno poſt, Calojoanni & matri ejus bellum intulit, primusque fuit, qui Turcarum arma in Europam adduxit. Cantacuzenus tandem Conſtantinopoli potius nulli hominum vim intulit, ſed cum Iohanne Imperium partitus eſt, data ei filia etiam in matrimonium. Poſtea autem cùm *Palæologus* urbe pulſus fuiſſet, bellum exorſus eſt opera inprimis Turcarum, quibus & habitationem in Europa primus aſſignavit, & ſic Conſtantinopolin ingreſſus eſt anno à N. Ch. 1357. Ibi *Cantacuzenus* deſperato Imperio Monaſticam vitam ſectatus eſt. *Matthæus* verò filius ejus ad ſocietatem cum Palæologo adſpirans, deſiſtere coactus. Obiit Iohannes an. Ch. 1384. IV. *Manuel II. Palæologus*, qui annos 31. hoc eſt ad an. Ch. 1418. imperavit: quo anno in patris dignitate conſtitutus eſt filius Iohannes, de quo ſeculo ſeq. Septem, decedens reliquit filios. *Laonic. Chalcocond. Niceph. Greg. Onuph. Gault. Arch. Coſm.*

[*b*] Cujus quidem infortunii fabri ipſi fuerunt Græci Imperatores, qui ſcriptum ex Turcis militem magno ſuo malo adhibuerunt, Calojohannes enim cum Amurate Turca ſocietatem

iniit

iniit contra Principes Græciæ, Bulgarorum ope fretos, Theodoro natu minimo dato obſide, factusque vectigalis filio ſuo Andronico natu majori, filiam Sulmani Myſiorum Regis, & ſororem uxoris Amuratis, dedit in uxorem. *Calcocond.* lib. 1. de reb. Turc. *Geneb.* p. 701. *Hæc*, addit, *fuere initia triſtiſſimæ ſervitutis, quæ nihil aliud præter inane Imperii nomen attulerunt. Nam deinceps militare cogebantur, per ſeſe et filios contra quos Turcæ vellent, nec capeſſere nec uſurpare Imperium niſi accepta ab eis poteſtate. Amurates cum 60. millibus Turcarum an. Ch. 1363. uſus Genuenſiũ triremibus, numerato in ſingula militũ capita aureo nummo, trajicit in Europam, tanquam ſocius vel inviti Cæſaris ad reliquias belli perſequendas et pænas exigendas de defectoribus. Mox Callipolin in Cherſoneſo et aliquot vicina Helleſponti oppida expugnat, Thraciam pervagatur, Philopolim occupat, deinde Adrianopoli, fruſtra Palæologo initum cum infido hoſte fædus et res perditas deplorante, regni ſedem conſtituit, nunquã deinceps de relinquenda Europa cogitaturus.* Et pag. 709. *Græci tum inter ſe miſerè certant de Imperio, fiunt ſub poteſtate Turcici Imperatoris, totamq; ferè Græciam amittunt. Andronicus cum filio Iohanne*

contra

contra patrem Calo Ioannem & fratrem Emanuelem à BajaZete precario Imperium obtinet, & ejus ope Bazantium expugnavit, quam 4. plus minus annis tenuit: donec Emanuel promiſſis tributi nomine tribus myriadibus aureorum, Imperio reſtituitur à BajaZete, apud quē deinceps Andronicus et ejus filius facti Ianiſſarii, ut vocant, diu manſerunt: Chalcocond. lib. 2. de reb. Turc. quanquam alii inſtitutum Ianiſſariorum, Amurati ſecundo hujus nepoti tribuunt. *Bzovius* crebriùs hujus Imperii orientalis in præcipitio conſtituti, accîſarumq; in Græcia rerum meminit; cauſamque in ipſam ſeceſſionem eorum ab Eccleſia Romana transfert: Sed quid ſi Græci ſeditiones & diſſenſiones, quibus occidens etiam æſtuavit, tot quoque in Eccleſia Pontificia graſſantibus malis tribuant? Aut, quod ex Vitodurano mox audiemus, Eccleſia Pontificia ſeceſſionis hujus occaſionem præbuerit? vide pag. 644.

III. In *occidente* habemus 1. Adminiſtrationem [*a*] Imperii. 2. Varia certamina, quibus Pontifices Romani Imperatoriam Majeſtatē ſibi ſubjicere, eamq; pro arbitrio vexare ſunt conati. Ex qua utriusque ordinis colliſione innumera [*b*] orta mala, Eccleſiam Romanam tantùm non peſſundederunt. [*a*]

[a] Quæ fuit penes I. *Henricum VII.* Principem Luzenburgicum, qui Francofurti electus eſt Calend. Novemb. Electionem Papa hac conditione firmavit, ut profectus in Italiam bella civilia componeret, quæ jam ab annis 60. Imperatorem non viderat, inque ſuo ipſa natabat ſanguine, ſpoliata divitiis ac direpta à variis regulis vel tyrannis potius, qui mutuis ſe comminuebant latrociniis. Ingreſſo cum validis copiis Imperatori omnes ſe civitates ac Principes Italiæ ſubmerſerunt. Gliſcebant tunc maximè Guelphorum & Gibellinorum factiones. Henricus cum Gibellinos foviſſet, adverſam factioné graviter afflixit, variisq; Guelphos ſuppliciis affecit. Hinc profectus Romam diadema à Pontifice ſumſit Calend. Auguſt. a. Ch. 1312. Cùm autem Florentiam urbem obſidione cinxiſſet, deſtituti viribus Florentini ſubornaverunt Monachum Iacobinum, qui veneno tinctam hoſtiam (qua de re poſtea) præbuit Imperatori. Unde mortuus eſt Princeps magnæ virtutis & longiore vita digniſſimus, cùm ſolos ſex annos regnâſſet an. Chr. 1313. die 24. Auguſti. Sepelitur Piſæ. II. *Ludovicum V.* qui pluribus ſuffragiis diademate cinctus eſt Aquisgrani, licèt Fridericus, Alberti filius Bonnæ ad Rhenũ electus eſſet Anticæſar ab Archiepiſcopo Colonienſi. Hoc pacto Germaniâ in partes ſciſſa, bellum civile exortũ eſt, quod octo annis duravit: quanquã induciç interceſſerint, multiq; conciliare diſſidentes Principes fruſtra

fruſtra conati facerint. Poſtremo Michaëlis feſto an. Chr. 1322. Fridericus acie fuſus à Bavaro, ac caſtello incluſus ſuper Nabam fluvium in ſuperiore Palatinatu: Exemptus poſtea carcere ea conditione, ut, donec viveret, nomine quidem Imperatoris uteretur, à gubernatione autem & poteſtate Imperii abſtineret. Fertur porrecto philtro occiſus d. 13. Januarii an. Ch. 1330. Hoc igitur ita extincto, ſolus Ludovicus Bavarus Imperator factus in Italiam ivit, Romæque cum uxore à Pontifice coronatus. Magnum ei cum Johanne XXII. Papa obtigit litigium. Excommunicavit hic Imperatorem, mandavitque. ut Carolus Bohemiæ Rex ſalutaretur. Ludovicus, ut conciliaret ſibi Principum animos, promulgato edicto ignovit omnibus, qui Friderici Auſtriaci partes ſecuti fuerant. Poſt hac comitia habuit Argentinæ, irritamque pronunciavit excommunicationis ſententiam, à qua ſe ad concilium provocare dixit. Papa verò irarum plenus arctius conſtrinxit vinculum, in mandatis dans Germaniæ & Italiæ Principibus, ut deſerto Bavaro Bohemum ſequerentur, quæ res multarum calamitatum cauſa fuit. Mortuus eſt Imperator an. Chr. 1347. Imperii 33. De fide Tigurinorum in Ludovicum alibi dicemus: malè enim à Ludovici aſſeclis Tigurinos à Geneb. p. 697. excludi, ex eis, quæ ſecundæ Analectorum parti reſervavimus patebit. III. *Carolū IV*. Johannis Bohemici Regis filium. Hic, etſi Ludovico vivo

vo electus fuiſſet, Electores tamen poſt Ludovici obitum, eo repudiato, Cæſarem dixerunt Guntherum Comitem Suarceburgenſem: Verùm hic non diu ſuperſtes fuit. Nam Carolus corrupto pecunia medico perſuaſit, ut languenti Principi ſuo pro medica potione venenatam porrexerit. Hauſit Guntherus partem, cumque venenũ datum ſibi ſuppicaretur, coëgit medicum, ut reſiduum exhauriret, qui cùm aliter non poſſet correptus vi veneni mortuus collapſus eſt. Huic non diu ſupervixit Guntherus. qui Francofurti in æde Bartholomæi ſepultus jacet. Sublato Imperii æmulo, Carolus in Italiam profectus eſt an. Ch. 1354. ſumſitque coronam ferream (de qua *Onuph.* de Comit. Imperat. p. 408.) Mediolani, auream deinde Romæ. Reverſus in patriam in Mediomatricum urbe poſt Norimbergæ comitia habuit celeberrima, fuitq; auctor legis Caroline, quam *Bullam auream* (eam *Onuph.* cit. p. 413. & *Plat.* a. Chr. 1356. S. 1.) vocant. Impetravit poſtea ab Electoribus, ut filium ejus deſignarent ſucceſſorem, nomine VVenceslaum, qui cinctus diademate uxorẽ duxit Johannam, ducis Bavariæ filiam Hollandiæ & Seelandiæ Dominam. Factus voti compos Imperator obiit Pragæ an. D. 1377. d. 27. Maij, Imperii 32. IV. Succeſſit filius *VVenceslaus*, cum annum ageret 15. Ferunt eum facie fuiſſe deformi, ut Satyriſco ſimilior fuerit quàm homini, nec pulchrior mente, quàm corpore, homo hebetis ingenii, libidinoſus, cru-

delis, ebrietati & crapulæ ſupra modum deditus. Suſpicionibus adeò indulgens, ut miniſtros cubiculàriosq; propria manu jugulaverit. Coëgit his vitiis ſuos ad ſeditionem, ut captum eum carceri mancipârint, è quo poſt 4. menſes evaſit. Tandem pertæſi hominis ignaviam, Electores dignitatem Imperialem ei abſtulerunt anno à parentis obitu 22. Ipſe autem Pragæ mortuus erat anno ætat. 57. quo inventus dicitur pulvis nitratus & machinæ bellicæ in magnam generis humani perniciem, & fortitudinis decrementum, à Monacho (nam hujus κακοῦ ἐφευρετὴς ordo Monaſticus erat) Berchtoldo Schvvarz dicto. V. *Robertus* Palatinus, qui ultimo huius ſeculi anno Imperator fuit creatus: de hoc poſtea. *Duo hic notanda veniunt.* 1. Magno ſemper, etiam poſt Reformationem, auream Bullam loco eſſe habitam, *Geneb.* p. 701. quam tamen non uno modo praxi hodierna immutatam eſſe videmus. 2. Interregnum hic notari, menſium 14. ab obitu Henrici VII. *Geneb.* pag. 697.

[*b*] Id quod cumprimis ex Ludovici Bavari Hiſtoria notum eſt. Eam hoc loco ex *Vitodurano* noſtro Mſc. proponemus αὐτολεξεί. Specimem hic locus ſuppeditabit illuſtre Papalis φιλονεικίας, & quàm incautè Regum ſemper & Imperatorum idem ſecum ſentientium noſtris opponant exemplum. Anno Domini 1344. circa purificationem Mariæ Virginis, fama celeberrima univerſaliter in Alemania perſonuit, inter Papā & Im-

& Imperatorem ante mediam quadrageſimam, vel ad longius ante feſtum Paſchatis cõpoſitionem plenam, & firmam certiſſimè omni dubio poſtpoſito celebrandam. Nam tam efficaciter, & tam virtuosè in arbitros fideliſſimos & omni acceptione digniſſimos, compromiſſa erat, ut impediri nullatenus poſſet. Quæ tum in Ianuis fore putaretur, & ab univerſo populo cum ſpe inæſtimabili & deſiderio indicibili diutiſſimè concupito præſtolaretur, evanuit, & ad nihilum redacta eſt, ſicut aqua decurrens. Nam circa feſtum S. Marci rumores nulla proſpera, ſed lamenta portantes Sueviam communiter percurrebant ipſam compoſitionem jocundanter ſperatam penitus eſſe divulſam, ſciſſam, & diſſutam, Iſta compoſitio, quemadmodũ pluries ſupra diſſerui, *ſæpius attentata eſt, ſed, heu fruſtra à Ludovico Imperatore cum Apoſtolicis ſibi contemporaneis, in malum grande totius Eccleſiæ. Diſcordia enim inter illa capita duo per multa annorum curricula durata ſeminarium malorum innumerabilium miniſtravit. Nam capita, memorata, cùm tam periculosè ægrotent, non eſt mirum ſi membra graviter infirmantur,* juxta illud: Cùm caput ægrotat, cætera membra dolent. More antiquo deberent ſibi mutuò cooperari in neceſſitatibus, ſed heu adverſantur, *& ideo* R*egnũ Eccleſiæ ſub eis diſſipatur* & diſcer-

ſcerpitur, juxta verbum Chriſti: Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur. Propter quod Græci dudum ab obedientia ſedis Apoſtolicæ diſceſſerunt in ſuo Patriarcha Conſtantinopolitano contenti, propter diſſenſionem capitum prædictorum in patribus Aſiæ, multi Epiſcopatus, Patriarchatus, ad paganiſmi vomitum receſſerunt, præter Eccleſias ſimplices quaſi innumerabiles. Si enim capita Eccleſiæ concordia extitiſſent & ſibi mutuò cooperativa fuiſſent, tanquam homines Zelum Dei tenentes magis propter hoc & ſalutem animarum quærentes ad debellandum hoſtes fidei majus ſtudium & operam dediſſent, & Eccleſiam Orthodoxam ſolicitus in ſuo robore conſervaſſent, ſe unanimiter tanquam murum contra adverſarios opponentes, & quia hæc contra ſe diviſi, neglexerunt, ideo eam Chriſti ſponſam gentilibus, quantum ad extra, tanquam lupis & aliis beſtiis rapacibus ad devorandum reliquerunt; ab intra vero diſſenſionibus, flagitiis, prævaricationibus ſordidatam, dilaceratam, ipſam ſubactam permiſerunt. Ergò non improprię ſignificari poterat in lib. judicum per Levitæ uxorem conciſam in fruſta propter ſcelera in ea, mirabilia, perpetrata. Nam crudeliter per Schiſmatum, diſcordiarum, guerrarum & vitiorum vanorum abominabilium vepres dilaniata & dirupta eſt. Unde in Eccleſia & membris ejus adimpletum eſt fidelibus hoc verbum Moyſi in Deuteronom. dicentis: Conſumentur fame,

ıme, & devorabunt eos aves morſu amariſſi-
no. Item in Geneſi ; Fera peſſima devoravit fi-
um meum Ioſeph, id eſt, ſcelerum immenſa fe-
ocitas Chriſtum ın membris ſuis, quia Chriſtũ
erſ-queris, juxta illud Act. Apoſtol. Quid me
erſequeris ſupple, in membris meis. Item ad-
ptare poſſum verbum Prophetæ dicentis : Et
ngularis ferus depaſtus eſt eam, id eſt, Eccle-
am. De vepribus Chriſti verbum in Evange-
o applicare poſſum, dicendo : Et ſpinæ ſimul
xortæ ſuffocaverunt illud i e. bonum ſponſæ &
ıatris Eccleſiæ. Sponſæ dico Chriſti, & matris
delium. Propter etiam capitum fidelium prin-
ipalium memoratorum repugnantiam & alio-
ım conſequenter negligentiam, hæreticæ pra-
itates, & errores mortiferi Eccleſiam in varia
ruſta Schiſmatum & diſcrepantiarum Deo ini-
nicarum flebiliter *à ſua unitate & integritate
implici diviſerunt, quamobrem tunica Chriſti
nconſutilis repræſentans integritatẽ Eccleſiæ,
amentabiliter diſſuta eſt & in partes ſecata.*
Hæc inſuper capita, ſecundum verbum Chriſti
Evangelici ſenſum allegoricum gladii duo voca-
i, minùs per multa annorum tempora Eccleſiæ
uffecerunt. *Neuter enim in ſua iuriſdictione,
uthoritate ſibi tradita vel conceſſa laudabili-
er proh! uſus eſt : Fidem Catholicam minime
oboraverunt vel protexerunt, debilẽ curam*

 &

& niſum divino cultui adhibuerunt, viliter & remiſſe ipſam erigendo, augmentando, vel emendando. Bonos & juſtos parumper focillârunt, malos non repreſſerunt in ſua malitia, obſtinatos nec compeſcuerunt, iuſtitiam malè reſpexerunt, radice peſtifera idolorum, ſervitute moti, & avaritia corrupti, cuncta facienda quaſi omiſerunt, non fienda permiſerunt, Deum raro intendebant in ſuis actibus, vel Reipub. vel Eccleſiæ communem utilitatē, ſed tantùm quæ ſua ſunt, vel fuerunt, juxta Apoſtoli verbum, quæſiverunt. Propter hæc & alia multa, in quibus prædicta capita exorbitaverunt, meritò & congruè vox divina in dotatione larga & pingui largitione terrarum, Sylveſtro Papæ & ſuis ſucceſſoribus ab Imperatore Conſtantino noviter baptizato ac ad fidem Chriſti converſo, facta, dicere poterat, ut legitur. *Hodie per mundum Venenum diffuſum eſt. quod hodierna die luce clarius cernimus*, tam oculis mentis, quàm carnis: Imò experimur malis quotidianis graviter & importabiliter jacturam & diſpendia honorum, corporum, animarum & rerum propter hoc ſuſtinendo, propriè venenum Eccleſiæ infuſum à voce memorata dicitur, quia illa liberalis datio & munifica erogatio Conſtantini Regis Romanorum ſummo Pontifici exhibita, *fomes & occaſio*, quanquam bono Zelo fecerit,

erit, Schiſmatis prælibati, contentionum, præ-
orum, homicidiorum, ſcandalorum innumera-
ilium à capitibus ſæpe dictis promotorum, pro
egnis & terrenis bonis ſeu poſſeſſionibus tem-
oralibus capiendis extitit. Unde Apoſtolus
ene poterat dicere ad Timotheum: In noviſ-
mis diebus, in quibus ſumus, inſtabunt tempo-
a periculoſa, *quod jam plus ſentimus, quàm
a codicibus legimus, ſtatum Eccleſiæ perver-
um & miſerabilem propter capitum memora-
orum diſſenſionem* ſuccinctè & proſaicè, im-
nediatè à me peroratam & perſecutam aliquot
erſibus infra poſitis, à me editis, etiam proſe-
uar, ut in hoc opuſculo iſta proſa utar, quod
amen verſifictura ſeu metrum in toto me non
ffugiat:

Eccleſiæ capita nimis extant obtenebrata,
Delirant penitus Satana deluſa potenter,
Diſcrepant pariter, quòd vigeat latiùs,
Primùm Romanus Cæſar, ſed Papa ſecundùm
Hæc ſi ægrotant, quòd cætera membra gravantur,
Ipſis infirmis contigit illa pati.
Dimiſſis rebus cæleſtibus atque beatis,
Contendunt regnis pro terrenis capiendis.
Schiſmata quòd dederant pernicioſa ſatis.
Alter in alterius meſſem falcem malè mittit,
Neuter jure ſuo contentari bene ſentit,
Hinc pereunt animæ (NB) vivere quæ poterant.

Vox Conſtantini Regis temporibus almi,
De cælis lapſa dicens fore ſua venena,
In terris patuit nunc & in acta ruit.
Papa cupit nimium ſibi terras eſſe ſubactas,
Sed Rex Romanus negat hoc ſimul atque reclamat.
Sic neuter remanet proprietate ſua.
Rex Conſtantinus, cum ſucceſſoribus ejus,
Si papæ regna tam pinguia non tribuiſſet,
Tunc humilis ſtaret ſimplicitate pia:
Hinc non immeritò vox cœleſtis reſonabat:
Nunc eſt in mundum virus miſerabile fuſum.
Unde perit concors Eccleſiæ bonitas,
Sed quia dotavit Cæſar nimis atque ditavit
Fertilibus terris Papas, ideo tumuerunt,
Et cupidi certant carpere plura bona:
Rex gliſcit terras cunctas ſibi ſuppeditari
Multò plus Papa cupit ipſis prædominari,
Hæc peſtis ſæva cauſat avaritia!
Eccleſiam nummus idem fecit meretricem,
Nam pro mercede ſcortum dat ſe cupienti,
Nummus cuncta facit nil bene juſtitia,
Cunctis proſtituens pro munere ſeque venalem,
Singula facta negat vel agit pro ſtipite ſolo,
Divino zelo nulla ferè peragit:
Sed quis prævaleat, fit decertatio longa,
Et plus quis cupiat ab eis ſententia fertur,
Morbida multimoda, quæ ratione caret.
Transgreditur quiſq; limites proprios ſine cauſa
Alte-

Alterius damna reputans fore proſperitatem
Ejus & adverſa lucra ſibi fieri.
Taliter Imperium Romanum diriperetur,
Gentiles capient, ut propriis ſocient,
Mos interdicti pœnæ meruit maledictæ
Plus cæteris longè cenſuris Catholicorum,
Quam tulit in plebem Papa nimis temerè;
Extinguit cultum (NB. Domini, fidei quoque lumen
Devotos animos indurans reddit ineptos:
Suſcitat ac hæreſes improbitate ſua.
Schiſmatis illius præclara figura videtur,
In libro veteri, per ſciſſuram mulieris,
Multam Levitæ, quæ vitioſa tulit,
Ni fœdus fiat capitum bona conſona ſtatim,
Æterni ſponſa ſponſi citius laceretur
Grex ovium dabitur aſperitate lupis.
Eccleſiam Chriſti Sponſam cognoſcito Lector
Per dirosque lupos, Saracenos noto cunctos,
Ac alias Gentes, Idola quæ ſapiunt:
Acriter hi ſponſam ſubitò diſcerpere tentant,
Si non Chriſticolæ concordati reſipiſcunt,
Ut dictos reprimant à feritate ſua:
Tunc Petri navis arcta, maris concuſſa procellis,
Flebiliter caderet ſine ſpe reditus in abyſſum.
Quod Deus abſtergat cum pietatis ope:
Sic Chriſti tunica nunquam conſuta pateretur
Rupturis multis hinc & diſſuta periret,
Per ſeculi rurſus irrevocabiliter.
Præfanum multos duravit ſchiſma per annos,

Quapropter veſtis Joſeph eſt tincta cruore
Cum tanta rabie, dicere quod nequeo,
Ad Sixti Papæ clementis tempora traxit
Et Regis pariter Ludvvici ſe malè fluxu,
Radix perverſa litibus apta malis.
In fortem fortis impegit, ſed ceciderunt.
Ambo tam graviter, quòd tardè ſurgere quibunt
Incurrit lapſum, qui nimis alta petit:
Rex (NB) miſit Papæ dignos non raró Legatos,
Qui vacui ſemper omni gratia redierunt,
Ardua perdentes munera cum precibus
Eccleſiæ gremio matris quod ſuſciperetur:
Poſcebat humilis ſatis hic à Præſule celſo,
Funditus excluſus, ſed minus obtinuit.
Qui Cæſar penitus Papæ ſe ſubdere ſprevit,
In juris pacto nimium culpabilis eſſet
Et meritò lueret improba damna ſua:
Hi gladii bini non ſufficiunt bene mundo,
Neuter vult reliquo modicum præſtare juvamen,
Hinc bona depereunt maxima, quæq; manent.
Annis millenis trecentis & quadraginta
Inſuper & quarto, homine diſcordia dicta,
Ad finem venerat, ſpes ut aperta fuit,
Fœderis ac pacis ſperanda pacta ferebat
Fama ſatis celebris tunc ſed Marci propè feſtum
Conticuit penitus proſpera nulla gerens:
Mortuus anno milleno C triplicato
Cæſar ſepteno Ludvvicus & in quadrageno,
Octobri menſe, nullo læſus tamen enſe,

Sed

Sed dum venatur eques caſumque ominatur
Equo detrahitur, mox poſt ſepelitur:
Annis ter denis regnum tenuit bene lenis,
Et tribus ut fatur, cum tempus ei nuntiatur
Octava facta jam mors & luce peracta:
S. Franciſci Confeſſoris benedicti.

Hæc *Iohannes Vitoduranus*, qui, tum temporis, in monte ſancto vixit Franciſci ordinem ſecutus. Ἀσπουδον etiam Papæ animum haud obſcurè in ſequentibus prodit. Summa eſt. Spem amicæ conteſſerationis & compoſitionis affulſiſſe minimè contemnendam. Legatos Româ miſſos an. Ch. 1344. Moraviæ Marchionem, Bohemiæ Regis filium natu maximum arbitrum conſtitutũ Baſileam abiiſſe, ut Legatos expectaret. *Imperatorem etiam, cum terminus* (utor verbis authoris) *eventus prædictorum appropinquaret, circiter principium Autumni in ſingulis parochiis Epiſcopatus Sueviæ Auguſtenſis, nec non in ſingulis Diœceſibus & parochiis terræ Bavariæ iejunium trium feriarum ſextarum in pane & aqua devotè ab univerſis fieri demandaſſe. Conſtituiſſe etiam ſeu edixiſſe in eosdem partibus proceſſiones ſupplices & obnixas, & in eisdem Dominum obſecrationibus votivis & humilibus exorari voluiſſe, ut Spiritum concordiæ, pacis & unitatis inter ipſum & Papam & conſequenter in tota Eccleſia infundere*

fundere & immittere dignaretur. Et ut ipſe aliis exemplum ſe præberet, in propria perſona jejunâſſe modo prætaxato, & in proceſſione devotiſſimè proceſſiſſe. His ita peractis, ſingulis civitatibus, Epiſcopatibus Alemanniæ mandâſſe, ut de potioribus aliquot cives ſibi transmitterentur, quia cum ipſis decernere vellet, quid accidere vel reſpilere competeret ſibi in illis, quæ ſibi ex parte Papæ in placito compoſitionis injungi contingeret, quia nulla illic niſi mediante conſilio vel auxilio attentare diſponeret. Igitur circa feſtum Nativitatis Mariæ convenerunt Imperator & cives una cum Principibus Electoribus in Francfurt, ſecundùm quoſdam verò in Bachram ad placidandum de concordia reformanda inter capita memorata. Intellexerunt autem ab eo Legatorum Papæ, ſi præſentes fuerunt, ut quidam affirmant, vel ex literis Legationis Papæ, ſi Legati abſentes fuerunt, tam gravia onera, & pacta tam importabilia, quæ Papa à Cæſare Ludovico exegerat, ut nullatenus acceptanda forent, ſed penitus aſpernanda. Dixerunt ergò Imperatori, nos non conſulimus, nec aſſentimur vobis, ut iſtas conditiones ſuſcipiatis, quia in detrimentum & præjudicium veſtræ digni-

dignitatis & noſtræ, in perpetuum vergerent, ſed ſuademus vobis potius, ut jura regni, honoris & excellentiæ veſtræ & noſtræ totis viribus teneatis. Quæ confirmans Imperator adjecit: *Ecce, ſicut conſtat vobis, ego humiliavi animam meam, per procuratores, intercesſſores, meos legatos, in emendam exceſſuum meorum, & ut gratiam Papalis benedictionis invenire ſeu attingere poſſem pulſando aures iſtius Papæ, & ſuorum prædeceſſorum, contemporaneorum meorum non ſemel, ſed pluries cum magnis ſumptibus meis; ſed heu! nihil profeci; ſed magis irriſionis, opprobrio & contemtui datus ſum; qui me non modo confuſibiliter rejecerunt ut velut* Hæreticũ *& Latronem, verum etiam nuncios meos tam clericos, quàm Laicos ſolennes, & omni acceptione dignos, tanquam ſcurras cum injuria remiſerunt; etiamſi nunc ſummi Pontificis indiſcretis deſideriis ſatisfacere non ſolum in regni diſpendium, verum etiam in meum & poſteritatis meæ damnum irrecuperabile, duratione perpetua redundaret, hac approbando. Principes cum civibus referuntur tale reſponſum Imperatori ſubintuliſſe. Poſtulatio Papæ nil quidem innuere videtur aliud, niſi quod*

quod vos regni gubernacula & nos Electoriæ dignitatis apicem à tempore Caroli ad nos devoluta reſignemus, & ad extraneos transferri permittamus contra monita ſapientis ſalubria dicentis; ne des alienis honorem tuum. Sed hæc nec vobis nec nobis expedire digno ſcuntur, ſed potius ſatagere debemus ad conſervanda jura & privilegia noſtra in ſuo robore priſtino & virtute. His reſpondens Imperator adiiciendo ait: Ego, quantum in me eſt Clementi Papæ obtemperare ad nutum, in omnibus pœnis, cenſuris vel pactis mihi imponendis pro ſatisfactione exceſſuum meorum, ſi quid contra ſedem commiſi Apoſtolicam, cum tamen eſſent conſona rationi. Sed quia cernitis, eum poſcere ea, quæ libram ſeu dictamen rectæ rationis excedunt, idcirco vobis conſentio penitus in hac parte. Alii verò famant, quod Principes magnam diſplicentiã, propter nimiam ſui humiliationem erga Papam conceperunt, quia culmini Regalis Imperialisq; celſitudinis derogaret, & ideo expreſſè ei in faciem reſtiterunt, non aſſentiendo, ſed contra dicendo apertè, ſuæ exceſſivæ ac indebitæ erga Papam humiliationi. En Henrici IV. & Gregorii VII. manes! vide ſup. Sec. XI. p. 271. 273.

IV. *Ori-*

IV. *Orientalis Græcorum* Eccleſia à Romana pridem avulſa in Schiſmate non [a] modo, perſtitit; ſed & variis [b] Papæ primatum & Eccleſiam oppugnavit rationibus. Imperatores, interim, ut [c] adverſâ preſſi fortunâ, Turcarumq; irruptionibus territi, religionem ferè habuerunt cum aſſeclis ſuis venalem: Ita Pontifici, de [d] Unione maximè ſolicito, ad obtinendum auxilium, ſuam ſæpe ea in re [e] adduxerunt operam. Non deerant alioquin Græciæ ſeculo hoc viri [f] eruditi, quorum nonnulli, Scholaſtica [g] diſſerendi libertate allecti, in quæſtionibus ſuas periclitari cæperunt vires, curioſis: alii glebæ Monaſticæ [h] aſcriptitii ſuperſtitiones defenderunt [i] avitas, non tamen, ſine luculentis veteris Chriſtianiſmi poſteritati [k] relictis ſtricturis. Reliquæ per orientem Eccleſiæ [l] nomine magnam partem potius Chriſtianæ fuerunt, quàm dogmatibus.

[a] Repete teſtimonium *Vitodurani* p. 660.

[b] Quam magno molimine tractavit Controverſiam *Barlaam* Monachus, de Papæ principatu, cujus ſupra jam meminimus. Ipſe, capite libri

libri ſui ultimo, ἀνακεφαλαίωσιν libri ſubnectit, ex quo abundè patet, δὶς διὰ πασῶν utramque differre Eccleſiam. I. demonſtrat, ὅτι ἕκαστος τῶν ἁγίων Ἀποστόλων καθολικὸς ποιμὴν τε καὶ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἀμέσως ὑπὸ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ προεβλήθη; *Sanctorum Apoſtolorum unumquemque totius orbis terrarum paſtorẽ, doctoremq; immediatè à Domino Chriſto fuiſſe conſtitutum. In ipſa verò membri hujus explicatione probat nihil datum eſſe Petro, cujus reliqui participes facti non fuerint: omnes vero eorum ſucceſſores particulares, vel hujus vel illius Eccleſiæ eſſe Epiſcopos. cap. 2.* II. Ὅτι ὁ μακάριος Κλήμης, οὐ τῆς οἰκουμένης ἐπίσκοπος, ἀλλ' ἰδίως τῆς ῥώμης, ὥσπερ ἄλλος, ὑπὸ οὐ κορυφαίου κεχειροτόνηται, καὶ οὔτε πρῶτος, οὔτε ἔσχατος ὁ ῥώμης ἦν θρόνος, ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν καὶ τῶν εὐσεβεστάτων βασιλέων νομοθεσίας πρῶτος ἐγένετο, *Clementem, non totius orbis Epiſcopum, ſed ut alium quemvis,* Romæ *ſpecialiter ac propriè à primario Petro creatũ fuiſſe: ſedemq;* Romanam, *nec primam fuiſſe nec poſtremam, atq; Sanctorum Patrum* Regumque *piiſſimorum legibus primã evaſiſſe. cap. 3. 4. 5.* III. Ὅτι καὶ τὸν τῆς νέας ῥώμης θρόνον, ὡς ἐκεῖνον ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς μεγαλύνεσθαι ἐθέσπισαν πράγμασι, *ut novæ* Romæ *ſedes in rebus Eccleſiaſticis perinde*

inde atq; illa, ſumma emineret poteſtate; eos-dem ſanciviſſe c. 6. *Ex can.* 3. *Syn.* 2. *& c.* 36. *Syn.* 6. IV. Ὅτι οὔτε νόμος τις κελεύει, οὔτε συνήθεια ...εκράτηκε τοὺς πατριάρχας, ὑπὸ τοῦ πάπα χειροτο-...εῖσθαι, καὶ μὴν οὐδὲ ἐγένετο. *Nulla lege præcipi, ...ut conſuetudine obtinuiſſe, ut Patriarchæ à Papa conſtituerentur; neq; verò ita fuit facti-...atum aliquando. c.* 7. 8. 9. ubi inter alia: *Evo-...utis igitur Canonibus, ego hanc tum Papæ præ-...ogativam præ aliis fuiſſe reperio, ut primo ſe-...deret loco, primusq; frater appellaretur; atque ...deo in myſticis divinæ liturgiæ precibus pri-...ma illius mentio fieret.* V. Ὅτι οὐκ ἐξῆρχεν ὁ πάπας τῶν συνόδων, ἀλλ᾽ αἱ σύνοδοι καὶ τῇ περὶ αὐτὸν ...κκλησίᾳ ἐνομοθέτουν, *Papam Conciliis minimè ...præfuiſſe; quinimo Concilia leges ipſius Eccle-...ſiæ dictâſſe. c.* 10. ubi Synodi decretum Roma-...næ Eccleſiæ cælibatum clero temerè injungenti, ...pponitur. Canon Concilii ita habet: ἐπειδὴ ἐν ...ῇ ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδεδόσθαι ...έγνωμεν, τοὺς μέλλοντας διακόνου, ἢ πρεσβυτέρου ἀ-...ιοῦσθαι χειροτονίας, καθομολογεῖν ὡς οὐκέτι ταῖς ...ὐτῶν συνάπτονται γαμεταῖς. Ἡμεῖς, τῷ ἀρχαίῳ ...κολουθοῦντες κανόνι τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας καὶ ...άξεως, τὰ τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν κατὰ νόμους συνοικέσια καὶ ...πὸ τοῦ νῦν ἐρρῶσθαι βουλόμεθα, μηδαμῶς αὐτῶν τὴν πρὸς ...αμετὰς συνάφειαν διαλύοντες, ἢ ἀποστεροῦντες αὐ-...τοὺς τῆς πρὸς ἀλλήλους κατὰ καιρὸν τὸν προσήκοντα ὁ-

μιλίας id eſt. *Quia in Romana Eccleſia Canonis loco traditum dignovimus, ut qui Diaconi aut Presbyteri ordinandi ſint, cum uxoribus ſe impoſterum rem minimè habituros profiteantur: nos, veterem Canonem Apoſtolicæ accurationis & ordinis ſequentes; legitima ſacrorum virorum cum uxoribus conſortia deinceps rata eſſe volumus: ita ut conjugii vinculum cum uxore nullo modo tollatur aut mutuo ſuo tempore ſocietas eis denegetur.* VI. Ὅτι διεῤῥέθη ὑπὸ τῶν θείων πατέρων ἡμῶν τίνας τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν ὑποκεῖσθαι δεῖ τῷ πάπᾳ, καὶ τίνας ἑκάστῳ τῶν λοιπῶν πατριαρχῶν, *Divinos Patres diſtinctè conſtituiſſe, quænam orbis terrarum Eccleſiæ ſubiicerentur Papæ, quæ itidem unicuique Patriarcharum.* c. 11. Ὅτι δὲ inquit, μόνας τὰς δυτικὰς ἐκκλησίας ὑπὸ τοῦ πάπα οἰκονομεῖσθαι οἱ θεῖοι πατέρες διετάξαντο, τῶν δὲ λοιπῶν ἄλλας ὑπ' ἄλλον ἀνάγεσθαι πατριάρχην. καὶ μὴ ἐξεῖναι τινὰ ἐπὶ τὴν ἐνορίαν, τὴν μὴ αὐτῷ προσήκουσαν, τί χρὴ καὶ λέγειν, τοσούτων κανόνων ταῦτα διορίζομένων: *Iam verò ſolas Occidentales Eccleſias Papæ gubernationi à Sanctis Patribus fuiſſe commendatas; reliquas autem Eccleſias alii ſubjectas Patriarchæ; eos etiam caviſſe inſuper, ne quis in finitimam Eccleſiam, quæ ad ipſum minimè ſpectet, invaderet, quid attinet*

dice

dicere, cùm tot Canonibus iſta ſancita ſint? Rejicit deinde lectorem ad Can. 7. Con. 1. ſecundum item ſecundi, ac viceſimum octavũ quarti. VII. Ὅτι οὐκ ἔξεστι τινὶ τῶν πατριαρχῶν ἢ τῷ πάπᾳ ὑπερτιθέντι δογματίζειν ἄνευ τῆς πάντων γνώμης, *Nemini licere Patriarcharum aut ipſi Papæ de rebus gravioribus aliquid, ſine omnium ſententia, decernerè, c.* 12. VIII. Ὅτι ἐμμένοντι τῷ πάπᾳ τοῖς τῶν πατέρων δόγμασι χρὴ ἀπονέμειν αὐτῷ τοσαύτην τιμὴν, ὅσην οἱ κανόνες διορίζονται, δίκαιον δὲ, μὴ ἐμμένοντα, φεύγειν αὐτὸν ὡς λύκον καὶ λυμεῶνα τῆς ἐκκλησίας. *Eum honorem Papæ, Patrum ſcitis acquieſcenti, deferendum, quem definiunt Canones, non acquieſcentem ut lupũ, ac hoſtem Eccleſiæ meritò fugiendum, c.* 13. quo artes Papiſtarum, quibus in citationibus teſtimoniorum utuntur, detegit. Ea ajt illos magnificè extollere, quæ ad rem faciant; cætera ſupprimere. Sed & ſarcaſmo tritam Pontificorum objectionem, quæ negat, Papam hæreticum fieri poſſe excipit: τί φῂς ἄνθρωπε; νεκρὸν βλέπω, καὶ λέγεις μοι, ὅτι ἀδύνατον ἀποθανεῖν Hem, *quid ais, mi homo? Mortuum video, mihiq; dicis eum mori non poſſe?* Ita Franciſcum quemdam alloqutur. IX. Ὅτι εἰς τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν καὶ πίστιν πιστεύειν δεῖ τοὺς χριστιανοὺς, καὶ οὐκ εἰς μερικήν. οὕτω γὰρ ἐξ ἀρχῆς νενομοθέτηται, *Chriſtianorum eſſe, ut in Catholicam ſeu univerſalem Ec-*

 cleſiam

cleſiam ac fidem credant, non autem in particularem, cum ita ab initio ſancitū fuerit; c. 15. Senſus ejus eſt, non æqui pollere Catholicum & Romanum, quod tamen nobis verborum involucro præſtigiatores, quidam imponere conantur. Verba ejus ſunt: διαφέρει παρὰ τοῖς ἁγίοις πατράσιν ἡμῶν, ἐκκλησίαν ῥωμαϊκὴν εἰπεῖν, καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν. Καθολικὴν μὲν ἐκκλησίαν λέγοντες, τὸ σύστημα νοοῦσι τῶν ἁπανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ὀρθοδόξων χριστιανῶν, τῶν ἀκίνητα καὶ ἀσάλευτα τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα διατηρούντων, ῥωμαϊκὴν δὲ ἐκκλησίαν ὅταν εἴπωσι, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἄλλων κατὰ τὴν οἰκουμένην μερικῶν ἐκκλησιῶν τοῦτο λέγουσι, καθάπερ ὁ εἰκοστὸς τέταρτος κανὼν τῆς ἐν καρθαγένῃ συνόδου, οὕτω λέγων. ἤρεσεν ὥστε περὶ τῆς διχονοίας τῆς ῥωμαϊκῆς καὶ Ἀλεξανδρινῆς ἐκκλησίας πρὸς τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ιννοκέντιον γεγράφῆναι, ὅπως ἑκατέρα ἐκκλησία πρὸς ἀλλήλας εἰρήνην φυλάξωσιν, ἣν ὁ κύριος παρήγγειλε· οὐδὲν δὲ ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν καθολικὴν ἐκκλησίαν. ῥωμαϊκὴν ποτὲ εἶπεν, i. e. R*omana Eccleſia & Catholica Eccleſia, non unam rem aliquam apud ſancto patres, ſed diverſas ac diſcrepantes ſonat. Nam cum Catholicam Eccleſiam dicunt; Chriſtianorum intelligunt cœtum, qui uſquam terrarum, de fide rectè ſentiunt, pietatisq; dogmata immota & inconcuſſa obſervant.* R*omanam autem Eccleſiam cum dicunt ut illam à cæteris*

i.

in orbe Eccleſiis particularibus diſtinguant, ſic loquuntur. Prout Concilii Carthaginenſis centeſimus quartus canon habet, his verbis: De diſſenſione inter Romanam & Alexandrinam Eccleſiam orta ad ſanctiſſimum Papam Innocentium ſcribi placuit; ut utraque Eccleſia inter ſe pacem & concordiam colat, quum Dominus præcepit. Iam verò pro Catholica Eccleſia, Romanam nemo unquam dixit. X. Ἐπὶ πᾶσιν ὅτι μέρος ἀποκεκομμένον τοῦ ὁλάπητος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐστὶ, καὶ νενεκρωμένον οἱ τὰς τῶν ἁγίων Ἀποστόλων καὶ τῶν θείων πατέρων ἀθετήσαντες παραδόσεις, καὶ εἰς μερικὴν ἐκκλησίαν, καὶ πίστιν πιστεύειν ὁμολογοῦντες· οἷς δὲ οὐδὲν οὐδέπω τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας παραδόσεως νενόμισται προτιμότερον, οὗτοι δήπου τὸ ὑγιαῖνον ὑπάρχουσι μέρος, οἷς καὶ μόνοις εἰκὸς εἰς ἐκκλησίαν καθολικὴν φάναι πιστεύειν. *Eos denique qui ſanctorum Apoſtolorum, divinorumque Patrum traditiones reſpuunt ac rejiciunt ſeque in particularem Eccleſiam & fidem credere profitentur; partem eſſe à toto Catholicæ Eccleſiæ corpore abſciſſam atque emortuam. Contra verò eos, quibus nihil unquam fuit antiquius Catholicæ Eccleſiæ traditione, ſanam demum eſſe partem, quibus ſolis fas eſt dicere, ſed in Eccleſiam Catholicam credere,* id eſt, fidem Catholicam retinere,

Monet Clar. *Salmas.* *De Barlaamo Monacho quod dicat, ſe non habere. Quis fuerit, quando vixerit, & quid ſcripſerit, juxta cum ignariſſimus neſcire.* *Bzovius* ejus in Hiſtoria ſeculi 14. crebrò meminit, præſertim an. Ch. 1331. S. 12. & 13. ubi tamen dubitat (hæc extrema adverſariis anchora eſt, quam nobis tamen eripere illi conantur, ut alibi monuimus) an ſermones qui nomine ejus circumferuntur de proceſſione Sp. S. & de primatu Pontificis contra Latinos, γνήσιοι ſint. Ita ſolent, qui cauſæ ſuæ timent, Pontificii. Rejiciunt, contemnunt inſectantur, νοθείας accuſant, quæcunque Papam ejusq; primatum labefactant. Sed cur non, Talionis lege, ea potiùs ſuſpecta, quæ ſine ratione pro Papæ πρωτοκαθεδρείᾳ & unione Eccleſiæ à *Bzovio* annalibus l. cit. inſeruntur, quàm reliqua tota rationum fulcris ſuſtentata? Cujus etiam farinæ cenſeri queat Epiſtola ejuſdem Alexio Calocheto ſcripta, pro reducendis Græcis ad Eccleſiam; *Bzov.* a. C. 1330. S. 59. Nobis tamen eundem Barlaamum *Bzovius* vertumnum facit, qui & Græcorum ſacra ad tempus defenderit & Latinorum inſtituta probârit. Verba ejus an. Ch. 1331. S. 12. ita habent: *Frater Barlaamus* Monachus, *Latinorum moribus & legibus educatus, acutus alioquin & perſpicax, & ad intelligentiam explicandam diſſertiſſimus, inſuper in Euclide, Ariſtotele, Pla-*

*latone volutatus, & ob id illuſtri fama, è Ca-
abria profectus, Theſſalonicam hac tempeſta-
e venerat: ab Orthodoxa* Rom. *Eccleſ. tran-
ſitione, ſeu vero, ſeu ſimulato animo facta, ad
ſchiſma* Græcorum. *Ibi cum ſe Latinorũ do-
mata profligaturum ſimulâſſet, libellis adver-
ſum illos compoſitis, concluſione rationum de-
monſtrabat, eos in religionis doctrina hallu-
cinari ac labi,* Græcisque *gaudebat inſtitutis
& legibus, & à ſe Latinorum ceremonias at-
que dogmata ex animo damnari apertiſſima
dabat indicia, quemadmodum apparebat. Ob
hanc igitur & ſacram & illam aliam civilem
eruditionem, Imperator* Andronicus *Iunior
honore & amore eum dignabatur & magnus
quoq; Domeſticus Iohannes Cantacuzenus cura-
bat & diligebat.* Poſtea demum conflictui cum
Monachis *Quieſcentibus* (*Haſchaim*, Eſſæis, quorum
profectò propago quædam videbantur) ſeu *So-
litariis* dictis, commiſſus, pro Eccleſia Romana
pugnare cæpit. Quicquid ſit, ſive eundem dicas
Barlaamũ ſive alium, illius libri cujus modò ca-
pita recenſuimus, autorẽ; ita comparatus eſt, ut
non contemnendis rationibus Papæ primatum
concutiat. Scriptum etiam Barlaamo Monacho
tribuitur Orthodoxum, de Proceſſione Spiri-
tus Sancti à Patre & Filio; *Bzov.* an. Ch. 1333. *S.* 2.

Sed & *Demetrius* Theſſalonicenſis ejusmodi de Eccleſiæ Romanæ eminentia movit dubia, quæ difficulter ſolvi queant. Vide *Bzov.* an. Ch. 1332. p. 683. Cantacuzenus etiã palàm aſſeruit; *Latinos ſua dogmata ab aliarum Eccleſiarum* R*ectoribus diſcutienda non propoſuiſſe, nimiumque ſibi, contemtis cæteris arrogâſſe.* *Bzov.* an. Ch. 1345. S. 15. Confer a. Ch. 1150. S. 25. 26. Paulò poſt, an. Ch. 1359. *Græci Latinos apertè hæreticos dixerunt, & Papam præter cæteros omnes,* teſte *Gennadio* & *Bzov.* S. 14. *Hinc* addit Gennadius, *unionem refugiunt, neq; Papæ memoriam audire, neque qui unionem ex illorum ſacerdotibus amplectantur videre ſuſtinent: neq; qui cum ipſis communicant, omnino pro Chriſtianis habent.*

[c] Hoc illicio fortè *Barlaam*, de quo ſupra, mentem mutare fuit coactus. Conjecturam certè noſtrã non obſcurè confirmant verba *Bzov.* an. Ch. 1339. S. 52. *Barlaam Abbatiam Monaſterii S. Salvatoris Conſtantinopolitani nactus, cũ nobili viro* Stephano *Dandulo, Robertum* Siciliæ, *& Philippum Galliarum* Reges *primo convenerat, & ab eis auxilia Græcis adverſus Turcas poſtulans, literas ad ſummum Pontificem ejusdem rei gratia poſtulaverat, promittens, facile poſſe eo beneficio Græcos adduci*

uci ad unionem Eccleſiarum amplectendam: modò quatuor urbes præcipuè, à manibus Turcarum, ope Latinorum eriperentur. Nec alio omine commendant Pontificii Cantacuzeni pro unione ſtudium. *Bzov.* an. Chr. 1353. S. 25. *ollicebatur Cantacuzenus Innocentio ad unitatem Eccleſiæ venire, ſubitosq; populos adducere, ſed nonniſi ut Pontificem à ferendis auxiliis Iohanni Palæologo averteret, Imperiumq; ſibi & filio ſuo ſtabiliret. Ad eum modū Cantacuzenus ut rebus ſuis conſuleret, nunc iſtius, nunc illius amicitiā exambiebat, & inter hos am Clementi, quàm Innocentio, reverſionem ad Eccleſiam* Romanam *promittebat, cum alias nihil minus, quàm unionem cogitaret.*

[d] Hoc ſtudium fuit 1. *Clementis VI. Bzov.* an. Ch. 1346. S. 23. & 28. & an. Ch. 1351. S. 5. 2. *Benedicti* XII. Id. an. Ch. 1337. S. 8. & An. 1339. S. 18. & 22. 25. ubi oratio Barlaami in Conſiſtorio habita pro unione Latinorum & Græcorum. 3. *Iohannis.* Is duos Conſtantinopolin miſit Epiſcopos, qui concordiam in religione conciliarent. *Niceph. Bzov.* an. Chr. 1330. S. 60. & 1333. *Calviſ. Iohannes Mandevilla*, lib. 1. c. 7. referente *Bal.* p. 371. habet, Papam Iohannes 23. prolixè ſcripſiſſe ad Græcos, unicam tantùm eſſe Eccleſiam Chriſtianam, ſeque ejus eſſe caput ac Chriſti Vicariū. Cui Græci breviter reſpondebant: Potentiam

tuam ſummam erga tuos ſubditos, firmiter credimus: Superbiam tuam ſummam tolerare non poſſumus; avaritiam ſatiare non volumus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum. 4. *Innocentii VI.* cujus hortatoria extat Epiſtola tum ad Cantacuz. tum ad alios pro Eccleſiarum unione; *Bzov.* a. Ch. 1353. S. 20. & deinceps, & ad Palæologum a. Ch. 1356. S. 25. An. Ch. 1365. S. 5. ad eundem. Id. an. Ch. 1366. S. 10. & deinc. ubi & formula ejurandi dogmata Græca præscribitur. 5 *Gregorii XI. Bzov.* an. Ch. 1374. S. 1.

[*e*] Palæologus præſertim, de quo *Bzov.* an. Ch. 1355. S. 38. *Nactus liberam & abſolutam Imperii adminiſtrationem Palæologus, quod & à Turcis premeretur, & Græcis rebellionem metueret, opem Innocentii Pontificis poſtulavit; datis literis pollicitus, omnia ſe ſervaturum, quæ Archiepiſcopo Smyrnenſi Sedis Apoſtolicæ & Innocentii Nuncio ſpoponderat, ſcilicet 1. & ipſe reverteretur, & ſubditos omnes reducere conaretur, ad unitatem S. Romanæ Eccleſiæ. 2. Tria collegia Conſtantinopoli erigeret, in quibus literæ Latinæ filiis procerum & optimatum Græcorum publicè prælegerentur. 3. Palatium pro dignitate Apoſtolicæ ſedis, Conſtantinopoli deſignaret Apoſtolico Legato, qui indicem cum poteſtate rebus ſacris,*

&

& fœderi ſacro præſideret. 4. *Filium primogenitum Pontifice* R*omano, non tam obſidem, quàm diſcipulum daret, à cuius Magiſterio ille & Linguam, & fidem, & conſuetudines probatas Latinorũ ediſceret.* Literas Conſtantinopoli datas ſtatim ſubjungit. Et quemadmodũ Innocentius VI. & Urbanus V. ſeduli fuerunt in miſſitandis pro unione Eccleſiæ ſuaſoriis, ita & Palæologus Amurathis inſidiis territus in Italiam profugit, fidem Pontificiam profitetur, *Bzov.* a. Chr. 1369. S. 1. 2. ipſique adeò Papæ humilima obſequia defert & præſtat, ſtratoris officio, ex equo illo deſcendente, functus *Id. S.* 3. Et ut ne dubitandi rima relinqueretur, eam ſe intelligere Eccleſiam Romanam, cujus caput eſſet Papa, clarè & diſtinctè propoſuit Epiſtolâ, quam habet a. Ch. 1370. S. 8. Eandem etiam mentem tandem fuiſſe Cantacuzeni ex Imperatore Monachi, ſcribit *Bzov.* an. Ch. 1375. S. 1. Eum nobis introduxit acerrimum Majeſtatis Pontificiæ hyperaſpiſtam. Sed demus, nonnullas, ut *Bzov.* l. c. S. 3. utar verbis, *perſonas Eccleſiaſticas & ſeculares civitatis Conſtantinopolitanæ, Valachos etiam* G*ræcos,* Id. a. Ch. 1374. S. 2. *ad gremium Eccleſiæ Romanæ fuiſſe reductas,* certum tamen eſt; 1. Ejusmodi conatus paucorum fuiſſe, qui, ſupparaſitando, Papæ ſe ſperabant viribus defendi poſſe & ad alta promoveri. 2. Nunquam defuiſſe,

defuiſſe, quibus hi ſyncretiſmi ſuſpecti; ipſe verò Pontifex & Pontificii eſſent execrabiles. Exemplum habemus Cretenſium *Bzov.* a. Ch. 1375. S. 13. & aliorum a. Ch. 1397. S. 8. *Eadem tempeſtate, quàm ingenti odio Græci in Latinos flagrarent, non obſcuro indicio ſignificârunt. Theodorus Porphyrogenitus Emanuëlis Conſtantinopolitani Imperatoris frater, à progreſſibus Turcicis rebus ſuis metuens, Peloponeſi principatum, Corinthum, Spartam, & alias non ignobiles civitates, Rhodianis militibus vendiderat. Ibi Spartanus Epiſcopus, ritui Græco innutritis populis præfectus, ſuæ curæ ſubjectis ad concionem vocatis, tantum odium Latinorum apud eos concitavit, ut maluerint extrema omnia ſuſtinere, quàm illos in poſſeſſionem urbis admittere.*

[f] 1. *Barlaamus*, de quo ſupra p. 688. 2. Cantacuzenus, cujus quatuor contra Muhammedem, ejusdemq; dogmata, orationes Græcas, Latinitate donavit Rodolphus Gualterus. 2. *Georgius Pachymeres*, Hiſtoricus & Philoſophus, qui ab anno primo Michaëlis Palæologi ad 23. Andronici ſenioris Hiſtoriam Græcorum per annos circiter 50. fuit perſecutus, *Geneb.* pag. 692. Idem Cyro Athanaſio, Alexandrino Patriarchæ (nam & Patriarchæ, & Hierarcha Eccleſiaſtica ſub principibus Muhammedanis durabant, du

durantq;) ſuam Paraphraſin in Dionyſium dicavit, qui Conſtantinopolin veniens, fortaſſis legatus, ad eam edendam ipſum incitaverat. Eum, quia nonnulli confuderunt cum magno Athanaſio, Pachymerem in Hiſtoricum & Philoſophum dividunt. Hunc ad annum 370. illum ad initium hujus ſeculi referentes. Sed perperam. *Ib.* 3. *Nicephorus Calliſtus*, quem fabuloſum ſcriptorem, appellat & *Caſaub.* in exercit. p. 164. 459. & *Beza* hinc inde Not. in N. Teſtamentum. Vide Act. Apoſtol. c. 1. v. 13. Luc. 2. v. 2. ubi tamen notat, alicubi eſſe utilem. Sed & *Bellarmin.* de ſcriptoribus Eccleſ. p. 383. obſervat ex Baronio, *inveniri non paucos errores in rebus Hiſtoricis.* 4. *Nicephorus Gregoras*, Hiſtoricus Græcus, qui vixit an. Chr. 1344. ut ex fine operis intelligitur. Prior ſcripſit ab ipſa Chriſti nativitate ad an. Ch. 625. poſterior ab an. Ch. 1200. ad 1344.

[g] Sit ſpeciminis loco Controverſia de lumine Thaboritico. Gregorius Palama, cum Monachis montis Atho, contendebat, lumen, quod in monte Thabor diſcipulos colluſtravit, eſſe gloriam Dei, principio carentem, & Majeſtatē ejus & lumen divinitatis, & Deitatem, & naturale æternumque Dei lumen. Palamæ ſe opponebant Barlaamus, Acindynus, Gregoras, aliique. Monachis verò patrocinium deferebat Imperator cum reliquis Epiſcopis, & ipſo etiam Patriarcha. *Quatuor Synodos enumerat Cantacuzenus*

cuzenus à Græcis eam propter controverſiam congregatas. In prima, Andronico Imperatore præſide habita, Barlaami dogma fuit exſibilatum. In ſecunda, ſub ipſius Cantacuzeni Magni adhuc Domeſtici auſpiciis, Barlaamum & Gregorium Acindynum damnarunt, tomumque Synodicum, in quo contrariam ſuæ ſententiam anathemati ſubiecerunt, evulgârunt. In tertia Ioh. Patriarcham, Acindyni novum ſectatorem dignitate exuerunt, alterumque pro ſuis placitis tomum ſcripſerunt. Neque tamen pacificè triumphare poſt hanc Synodum poterant, licet jam tertiò victores Palamæ ſtudioſi fuiſſent pronunciati. Plerique enim ex doctoribus, exemplum Ioh. Patriarchæ ſecuti, tomo ſeu definitioni & decreto Synodi non acquieſcentes, libere contradicebant. Ex quorum numero Metropolitæ duo, alter Epheſi, alter Gani, item Niceph. Gregoras, & Deixus & totius Græciæ doctiſſimi quique, ad Barlaami & Acindyni caſtra traducti. Propterea, quarta convocata Synodo, à Cantacuzeno, poſt quam Conſtantinopolin jam obtinuiſſet, præſidente ipſo Cantacuzeno, & Calliſto Patriarcha Conſtantinopolitano, in locum dejecti Iohannis ſuffecto, Cantacuzeni, Iohannis Palæologi, Calliſti

liſti Patriarchæ, Metropolitarum, Epiſcoporū aliorumq; Miniſtrorum Eccleſ. ſubſcriptionibus, illi omnes damnati ſunt. Contra tomum ejus Synodi tot ſcriptionibus munitum libros decem ſcripſit Nicoph. Greg. *qui licet in prima Synodo, vivente adhuc* Andronico *juniore, Barlaamo adverſari videretur, cuius ſuæ mentis non obſcura indicia dedit lib.* 11. Hiſtoriæ *Byzantinæ extremo, poſtea tamen aperte Barlaamum &* Acindynum *tueri cœpit. Nicephoro Gregoræ reſpōdit libris quindecim Philotheus prius Monachus; poſtea Metropolita* Heracle*enſis, tandem Patriarcha Conſtantinopolitanus, quorū tres poſtremi potiſſimum agunt de lumine Thaborico, ut & undecim⁹: duodecimus Apologiam continet pro Monachis, & ἡσυχασαῖς, cùm alibi, tum in monte* Atho, *Bzov.*a.Ch. 1337. S.8. & deinc. Confer a.Ch. 1341. S.12. ubi Barlaam montis Atho Monachos, à precibus Euchitas & Omphaloplychos appellat; Gregorius verò Monachus, cognomento Ακίνδυν☉, Palamam non modò Omphalopſychiæ & adulterinarum precum, ſed & blaſphemæ Theologiæ accuſabat, ut qui novis vocibus in Myſtica Eccleſiæ Theologia uteretur, & monſtra ſe cernere profiteretur jactantiæ & arrogantiæ plena.

[*h*] Qui tum alibi, tum verò cumprimis in

Mon-

Monte Sancto (ſic vocant montem Atho) degebant, Hagioritæ vulgò dicti. Ἡσυχασταὶ etiam appellabantur: cùm aut ſuaviter dormirent aut dormitarent, aut ſomniarent cœleſti quodam & divino, ipſisque corporeis oculis conſpicuo lumine ſeſe circumfundi crederent; *Bzov.* a. Ch. 1331. S. 12.

[*i*] Unde & *Gault.* præf. in orat. Cantacuz. *Neq; hic movebant me ſcrupuli aliquot, quos in nonnullis locis, in tertia autem Apologia inprimis animadvertebam. Illic enim, prout temporum ſuorum ratio poſtulaverit, ſanctorũ imagines, interceſſionem Divorum, crucis religioſum cultum, & neſcio qua alia, ſatis conſtanter quidem, ſed minus firmis argumentis defendit.* Palamas etiam in divorum numerum relatus, quòd Barlaamum Italum, qui præter alia, lumen Beatorum in patria Deum non eſſe opinabatur, refutâſſet, *Bzov.* an. Chr. 1339. S. 19. Privatæ etiam meminit, a. Ch. 1342. S. 29. in quadrageſima Græcorum confeſſionis. Confeſſariũ, ait, vulgò, *πνευματικὸν*, vel *πατέρα πνευματικὸν* nuncupant. Continuavit inſuper controverſia de proceſſione Spiritus S. à ſolo Patre; *Id.* an. Ch. 1332. S. 5. Acceſſit prutitus quorundam licentius diſputandi de lumine illo Thaborio, qua occaſione plerorumque in Græcia mentes de Majeſtate divina fuerunt imbutæ, increatam quidē illam eſſe, ſed & viſibilem, & ab ipſa Dei eſſentia

diver-

diverſam. *Id.* a. Ch. 1337. S. 8. Sed & lis recruduit de obſervatione Paſchatis. Definierunt tandem coram Andronico religionis proceres, *ne quis ante æquinoctium vernale Reſurrectionis feſtum celebraret, ſed die Dominico poſt Paſcha Iudaicum, nimirum poſt plenilunium, quod æquinoctium ſequitur.* Id. an. Ch. 1330. S. 63. varias etiam controverſias peperit Patriarcharum electio, id quod poſt Eſajæ maximè obitum contigit, an. Ch 1332. S. 2.

[k] Primùm enim Græci Principia diſputationum ſuarum agnoſcunt, non Papam, ſed τὰ τέσσαρα εὐαγγέλια, τὰ τῶν Ἀποστόλων συγγράμματα, τάς τε καθολικὰς ἐπιστολὰς, καὶ τὰς μερικὰς, τάς τε τῶν Ἀποστόλων πράξεις, τοῦ θεολόγου ἀποκάλυψιν. Barl. de Pap. princip. c. 1. Addit quidem κανόνας Ἀποστόλων, κανόνας τῶν θείων πατέρων ἡμῶν, τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις οἰκουμενικαῖς ἑπτὰ συνόδοις συνελθόντων, ſed gradu inferiori longè poni, nemo eſt, qui dubitare debeat. Unde & ipſe Barlaam c. 6. Μικρὸν ἐπίσχες, καὶ τούτου τὴν λύσιν παρέξομεν, οὐκ ἀπὸ τῶν οἰκείων λογισμῶν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν θείων λογίων τὰς πίστεις κομίζοντες· οὔτε γὰρ ἡμεῖς πώποτε ἐξ ἀνθρωπίνων λογισμῶν περὶ τῶν μυστικῶς ἡμῖν παραδεδομένων εἰπεῖν τι τῶν ζητουμένων ἐπιχειρήσομεν, οὔτε τῶν ἄλλων τοῦτο τολμώντων ἀμαθῶς καὶ θρασέως, ἀνεξόμεθα, ἢ τὰς ἀκοὰς ὑποθήσομεν ταῖς βεβήλοις αὐτῶν κενοφωνίαις. *Attende pauliſper, hujusque dubitationis ſolutionem afferemus, argumentis non è proprio*

crebro depromptis; ſed e divinis eloquiis. Neque enim nos unquam de myſteriis nobis commendatis ex humano ingenio dicere aliquid conabimur; ſed neque alios, qui imperite & audacter id tentaverint, feremus: aut profanis illorum clamoribus aures præbebimus.

II. In explicatione Scripturæ, τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας εἶναι μὴ τῇ διαφορᾷ τῶν ῥημάτων προσέχειν, ἀλλὰ τῇ ταυτότητι τῶν πραγμάτων, *Noſtræ convenire pietati non tam ad verborum diverſitatē, quàm ad naturæ rerum cognationē attendere.* Senſus, id quod ſequentia docent, eſt, Scripturam ex Scriptura eſſe explicandam, *Id. c.* 2.

III. Omnes Paſtores particularium Eccleſiarum ſucceſſores eſſe Apoſtolorum, p. 105.

IV. Petri primatum in eo potiſſimum conſiſtere, quòd reliquorum os fuerit, & cæteri legantur αὐτῷ τὴν τοῦ πρῶτα λέγειν τιμὴν παραχωρεῖν, *id.* ib. & poſt: Νῦν συμπεραίνοντες τὰς διὰ πλειόνων ἡμῖν ἀποδεδειγμένα, λέγομεν. ὅτι τὰ μὲν πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἰσότιμοι πάντες Ἀπόστολοι ἐτύγχανον· τῆς δὲ ἱερᾶς αὐτῶν δωδεκάδος ὁ μακάριος Πέτρος ἐξῄρητο, τοῦτο πλεῖον τῶν ἄλλων ἔχων, τῶν ἄλλων παρόντων, αὐτὸς τῆς διδασκαλίας ἡγεῖσθαι, καὶ πρωτοκαθεδρίας ἴσως ἀξιοῦσθαι: *Nunc autem concluſis iis, quæ fuſius à nobis demonſtrata, omnes quidem Apoſtolos, quod ad Eccleſiam attinet, pari eodem-*

demq; plane fuiſſe honore; ſacri autem illorum duodenarii numeri Principem B. Petrum fuiſſe aſſeveramus: hac ſcilicet in re cæteris ſuperior, quod aliis præſentibus, primas ipſe docendi partes obierit, ac fortaſſe etiam primo loco ſederit. Id p.107. conf. p.110.

V. Patrum decretis Romanæ ſedi τὰ πρωτεῖα aſſignata, διὰ τὸ βασιλεύουσαν εἶναι τὴν πόλιν, quòd urbs illa rerum potiretur: pag.108. quam rationem expreſsis reddit verbis Canon. Syn. IV. Id p.111. qui ita habet: πανταχοῦ τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἑπόμενοι, καὶ τὸν ἀρτίως ἀναγνωσθέντα κανόνα τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων γνωρίζοντες, τὰ αὐτὰ καὶ ἡμεῖς ὁρίζομεν, καὶ ψηφιζόμεθα περὶ τῶν πρεσβείων τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως νέας ῥώμης· καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ πρεσβυτέρας ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν, ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα, καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως κρίνοντες τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ᾽ ἐκείνην ὑπάρχουσαν: *Sanctorum Patrum definitionibus ubiq; inſiſtentes; & modo recitatum Canonem Sanctiſſimorum centum quin-*

quinquaginta Epiſcoporum agnoſcentes; de ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ prærogativis, nos quoq; eadem definimus atque decernimus. Etenim ſedi veteris Romæ, propter urbis illius Imperium, Patres meritò primas detulere. Quia etiam eodem ſibi propoſito ſcopo, centum illi & quinquaginta Epiſcopi Deo chariſſimi, eadem privilegia ac prærogativas in ſanctiſſimam novæ Romæ ſedem contulere: Conſentaneum rati, ut urbs Imperatoria Majeſtate & Senatu ornata, eisdemq; cum vetere Imperatrice Roma privilegiis decorata; in Eccleſiaſticis itidem, ut illa, rebus, ſummam auctoritatem, ampliſſimamq; poteſtatem, utpote illi ſecunda, adipiſceretur.

VI. Ἀναμαρτησίαν Papæ validè impugnârunt. *Id.* c. 14. ubi & *impudicæ mulierculæ* (ἀκολάστȣ γυναικὸς) meminit, quæ Papa fuit.

VII. Cereos illos agnos Dei Græcos riſiſſe propterea, *quod in locum vituli conflatilis ſucceſſerint*, ipſe fatetur Bzovius an. Chr. 1367. *S.* 9. Ut Græcos ejurare doceret Papa errores de ceremoniis Eccleſiæ Romanæ, exiſtimat idem, Urbanum Papam, Imperatori Palæologo, tres particulas ceræ benedictæ, additis ſequentibus verſiculis, miſiſſe:

Balſamus, & munda cera, cum chriſmatis unda

Con-

Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum.
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum
Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit.
Prægnans ſervatur, ſimul & partus liberatur.
Dona confert dignis, virtutem deſtruit ignis:
Portatus mundè de fluctibus eripit undæ.

Diceres fortè, ejus tantùm ſeculi infelicitatem fuiſſe, quam ipſa verſuum ruditas, (eam agnoſcit *Bzov.*) & cruditas prodit; niſi & *Guilelmus Eſtius*, Theologus & Canonicus Lovanienſis politiori ſtylo carminis ſcabritiem ſuſtuliſſet, quod *Bzov.* l.c. ſuis inſeruit annalibus, & *Molanus*, itidem Lovanienſis Theologus, errorem Theologicum defendiſſet.

Tandem etiam Græcorum Sacerdotes uxoratos eſſe, larga manu concedit, *Id.* an. Ch. 1332. S.4. ubi tamen magno impetu, & fervida bile diſcrimen objicit, inter Reformatos & Græcos κληρογαμίας fautores.

[*l*] Nam 1. Papa ſuos ubique habuit emiſſarios & Legatos, quorum opera homines vel in recepto confirmarentur errore, vel ad eundem imbibendum compellerentur. A.Ch.1325. *Iohannes* 22. Iſnardum Antiochenum ſedem occupare juſſit; *Bzov.* S.12. Non una tantùm ſuſcepta legatio ad *Armenos*, teſte eodem a.Ch.1332.S.14. *In Armeniam*, inquit, *jubente Pontifice* (*Ioh.*

Ioh.22.) *non parva manus fratrum Minorum hoc animo penetravit; inter quos præcipuum fuiſſe ferunt Gonzalum Sauratum, virum doctiſſimum, qui tum concionibus, tum pluribus libris in illam linguam converſis, multum profecit. Eodem etiam ferme tempore & Paſchalem inter* Medos, *& Gentilem inter Perſas verſatos eſſe accepimus.* Illi multa inter Gentes barbaras convitia devoranda, hunc infelici in addiſcenda lingua Arabica ſucceſſu territum in Italiam regredi decreviſſe, reverti autem ab adoleſcentulo quodam juſſum, adeò exactè linguam deinceps illam didiciſſe, ut ne nato cederet Arabi. Sit fides penes authorem, cui officioſum mendacium in fratrum gratiam non unum excidit. Armenis graviter jugo Saracenorum preſſis, ſolicitéque opem & operam implorantibus *Bzov.* an.Ch.1338.S.21. & an.Ch. 1341. S.9. Papa polliceri nihil prius voluit, quàm formulam fidei ab illo præſcriptam & à *Bzov.* an. Chr.1351. S.20. repetitam, reciperent. Non ſuſpicimus patrocinium errorum, quibus Armenorum Eccleſiæ pridem ſunt diffamatæ; Negamus etiam, ovum ovo ſimilius non eſſe, quàm Armeniorum errores Calvinianis, ut inepto paralliſmo orthodoxa doctrina parattagædiatur à *Bzov.* an.Chr.1341. S.9. Non tam ægrè ferimus, habere nos multa cum Armenis, Papi

ſtico

ſtico fermento nondum infectis, communia, ex communi S. Sc. penu depromta. Habeant autem Armeni iſti *Catholicum* ſuum, ſeu *Patriarcham*, qui nulli paruit: vide *Bzov.* an.Chr. 1330. S.56. *Salmaſ.* de prim. Papæ pag. 221. quanquam ſint, qui exiſtimant, Armenorum *Catholicum* unicum fuiſſe, & omnes complexum provincias, in quibus poſtea & Perſidis Catholicus & Bagdadenſis fuit inſtitutus: quod ex Brocardo *idem* mox refutat. Quòd verò & *Bzov.* an.Chr. 1338.S.21. & *Paulus Venetus* meminerint Armenorum ac Neſtorianorum, quaſi vel electionẽ, vel confirmationem Patriarcharum & Archiepiſcoporum à Pontificis nutu ſuſpenderint, id illi tribuendum eſt ætati, qua Eccleſiarum illarũ ſtatus afflictus, ejusmodi non modò extorſit blanditias, ſed & ſuppeditavit conſilia, de quibus anteceſſores nunquam cogitârent. 2. Neſtoriani, qui & Chaldæi, *Bzov.* an. Chr. 1330. S.21. Maronitæ, Iacobitæ, &c. magnam Orientis partem occupabant, de quibus *Salmaſ.* lib.cit.p.216. & deinc. *Bzov.* an.Ch.1330. S.53. & 1349.17. refert, *Barbaros tunc ſolis Iacobitis fuiſſe propitios, propterea quòd Nili accolæ facile fluvium alio divertere potuiſſent.* Sed & Syriam invaſerunt. De Surianis & Gregorianis, qui Græcis proximè accedunt, vide *Bzov.* an.Ch.1330. S.52. 57. De illis nos mitius ſentimus, quàm vulgus Doctorum Pontificiorum.

V. Oriente peragrato redimus in *Occidentem*, in quo ſpectabimus ſtatum *Scholaſticum, Monaſticum & Eccleſiaſticum.*

VI. *Scholaſticum* ſtatum pro ætatis illius ratione, tolerabilem ſatis fuiſſe, &, tum [a] Academiarum, [b] Bibliothecarumq; erectionibus felicem, tum etiam ingeniis [c] præclaris abundantem, tum deniq; artium, [d] facultatum, ſcientiarum & [e] linguarum cultura, ſplendidũ, nõ negamus. Reviviſcere [f] enim paulatim, & in honore eſſe bonæ literæ apud quosdam cæperunt. Hoc verò eſt, (ut de Academicorum [g] inſolentia nihil dicamus) quod merito temporis injuriæ adſcribimus, Reginã illam ſcientiarum Theologiam, [h] Exegeticam; Allegoriis infuſcatam; Elenchricam verò Methodo [i] Scholaſtica, i.e. confuſa & perplexa tractatam fuiſſe, pluribus indies difficultatibus ac ſpinoſis quæſtionibus involutam: omnesq; illos, qui literarum luce & beneficio eluctari ex tenebris contendebant, ludibrium cæteris debuiſſe, publicamve [k] Antiſtitum cenſuram ſubiiſſe. Ipſum denique

Papam

Papam novis decretis [*l*] multas fidei ſuæ conſecrationis moleſtias creâſſe.

[*a*] Ad hoc enim ſeculum refertur 1. Academia *Aureliana*; an.Ch.1312. *Chron. Gall. Buchhol.* à Philippo Pulchro, Clementis auctoritate inſtituta *Geneb.* pag.693. 2. *Piſana*, 1339. approbante Pontifice, *Volat.* 3. *Heidelbergenſis*, fundata à Roperto II. Comite Palatino Rheni a.Ch. 1346. alii referunt ad an.Ch.1387. diem 18. Octob. Primi verò Rectoris creationem ad diem 17. Novemb. Primam glaciem fregiſſe *Marſilium de Ingenheim* (Geneb. *Marſilium de Ingen*; Balæus verò Cent. p.512. *Marſilium de Ingelne* Anglum appellat) Doctorem Pariſienſem & Canonicum, theſaurariũ Colonienſem, qui in Magiſtri ſententiarũ quosdam textus commentatus eſt. Plura de hujus Academiæ ortu, ſucceſſu, primo Rectore habet *Middendorp.* de Acad. p.216. Confer *Buchholz.* a. Ch.1387. Fuit aliquamdiu Germaniæ μȣσεῖον & ἔρεισμα, imò ſol, oculus, anima literarum & ſapientiæ clariſſima officina, ad expugnationem uſque, a.Ch.1622. factam. A quo tempore bonæ literæ ſiluerunt. Nunc iterum tam felicibus eſſe contingit, ut votis non modò παλιγγενεσίαν vetuſtiſſimæ illius Archipalatinæ, ſedis & domicilii Muſarum, eheu! diu ſatis Bellonæ ſævitia eviduatæ, quæ his ipſis Calend. Novemb. 1652. quibus hæc ſcribimus, inſtat, proſequi, ſed & corporibus intereſſe noſtratium multis liceat.

Ne ἀσύμβολος abirem, Tetraſticho votorum meorum ſummam exprimere volui:

O Deus omnipotens, fac, Heidelberga, perennis
Sit ſedes ſancti Nominis ipſa Tui!
Mars, Bellona ſuis longè abſit unguibus, atque
Res Chriſti creſcant, curia, Templa, Schola.

4. *Colonienſis*, an. Chr. 1387. ſumtibus Senatus inſtituta, & ab Urbano Pontifice confirmata *Cal. Buch. Trith.* & cumprimis Middendorp. de Acad. p. 126. &c. 5. *Erfordienſis*, a. Ch. 1392. *Kranz.* l. 10. c. 15. *Buchh. Geneb.* à Roberto olim Francorum Rege condita, & à Bonifacio nono privilegiis ornata; *Bzov*: an. Ch. 1391. S. 14. 6. *Cracovienſis*. Fundamenta ejus jacta fuerunt an. Ch. 1364. erecta verò & conſummata, vel inſtaurata à Ingellone Uladislao Rege, conſentiente Bonifacio IX. Prima lectio in jure Canonico incepta eſt feria 2. poſt Iacobi Apoſtoli, per Archiepiſcopum Cracovienſẽ. *Mechov. Fulſtein. Buchh. Func. Calv. Munſt. Geneb Bzov.* an. Ch. 1362. Profeſſores à Pragenſi accerſebantur Academia, cenſus è Salanis & telonio deſumti. Vide plura apud *Geneb.* pag. 710. 7. *Pragenſis*, a. Ch. 1360. *Cal. Bzov.* a. Ch. 1360. S. 10.

His temporibus Carolus Imperator, cum eſſet vir doctus, (quippe qui in Gymnaſio Pariſiorum multo tempore literis operam dederat, amaretq; præ cæteris viros eruditos) univerſitatem Pragenſem pro decore Boemiæ regni laudabiliter inſtituit, quæ multis privilegiis & donatio-

nationibus ab eo illuſtrata, brevi tempore ultra omnes totius Germaniæ univerſitates gloriæ & numero perſonarum crevit,&c. Confer Faſc. temp. p. 85. Geneb. 701. 8. *Ferrarienſis* Academia dicitur circa an. Ch. 1391. S. 13. 9. *Viennenſem* à Rudolpho inſtitutam Albertus ſucceſſor perfecit & cenſibus auxit. *Cuſpin. Calv.* an. Chr. 1367. Plura de his Scholis apud *Hoſp. & Midd.*

[*b*] De *Oxonienſis* Bibliothecæ origine ex Mſc. Bibliothecæ Vaticanæ de rebus Ang. ſic loquitur *Bzov.* a. 1332. S. 12. In Anglia morte intercepto Ludovico Dunelmenſium Epiſcopo, Monachi ſuffragiis communibus ſuffecerant Reveriũ ex Monacho Epiſcopum. Eum quamvis Eboracenſis Archiepiſcopus conſecrâſſet, Iohannes tamen Pontifex Rege Edwardo intercedente gradu movit, & Richardum Angerviliũ illi Eccleſiæ præpoſuit: quod is Edvvardo Regi in Cancellariæ munere, & in legationibus operam ſuã probâſſet. Hic ut erat ſingularis & abſolutæ cujusdam in omni liberali arte & Philoſophia, atque ſacroſancta præſertim Theologia cognitionis, ita bonarum literarum promovendarum & propagandarum incredibili quodam ſtudio incendebatur, ſummaq; benevolentia omnibusq; auxiliis & officiis doctos viros proſequebatur. In optimorum librorum lectione totum fere tempus triviſſe videtur, & fuiſſe, (ut olim de Catone dictum eſt) helluo, ut ita dixerim, librorum.

rum. Cùm autem prudenter intelligeret, ſine librorum inſtrumento & ſubſidio neminem ad illuſtriorem aliquam doctrinam accedere poſſe, viderétq; multos per rerum tenuitatem minimè ab opportunis ad ſtudia libris paratos eſſe poſſe, aut alia onera ſtudiorum, præ ſumtu, quem illa deſiderant tueri, utriq; incommodo ad multorũ luculentum commodũ abunde proſpexit, & non modò lautam librorum ſupellectilem Scholaſticis Oxonienſibus ſuppeditavit, ſed & aulam, quam Dunelmenſem etiamnum vocant Oxonii Scholaſticorum habitationi conſtruxit, Utq; illi ſcirent, non ſolùm quo conſilio, & in quem uſum Bibliothecam illam inſtructiſſimam comparâſſet, ſed & qua ratione ſe compararent, ut deſideratos ex librorum lectione ſtudiorum fructus uberrimò perciperent, librum, quem Philobiblum appellaverat, in eorum uſum ſcripſit. Et *Iacob. Middendorp.* de Acad. l. 8. p. 473. Richardus Angervilæ Epiſcopus Dunelmenſis Philobiblus dictus, Bibliothecam in publicum ſtudiorum uſum optimis autoribus undiquaque conquiſitis inſtruxit.

[c] Id quod abundè probat *Balæus* in ſuis Centuriis, 4. 5. 6. *Autor Catal. Teſt. Verit.* lib. 18. *Bellarm.* de Scriptorib. Eccleſ. & alii. Sed & ex iis pateſcet quæ, inſtituto ſelectu à nobis proponentur.

[d] Initio igitur facto à *Philoſophia* in genere, magnos ejus cultores fuiſſe obſervamus ſequentes. Primus eſt celebris ille & famoſus *Raimundus*

dus Lullius, de quo ſup. p. 345. Eum tamen alii referunt ad a. C. 1311. ita ut *Scoto* ferè coætaneus eſſet. De hominis conatibus varia & olim & nunc fuerunt judicia. Scripta ejus in ipſa ſæpe Eccleſia Romana reperiuntur damnata. Qua de re prolixè ſcribit *Bzov.* Vitam ejus, mores, ſtudia, & lucubrationes ex Carolo Bovillo recenſet a. Ch. 1312. S. 18. Gregorii XI. contra ejus libros decretum narrat S. 19. 20. Et S. 21. miratur hominẽ illum à *Genebrardo*, *Bernhardo Luzenburg. Prateolo* & aliis, in hæreticorum phalange oſtendi, & tamen Chriſtum inſtituti ſui authorem habere miraculis poſt mortem clarere, à Majoricanis in divorum numerum referri: quod tamen poſtremũ alii ita excuſant non novum eſſe, homines hęreticos, Martyrum loco à Pontificiis coli. Vide eundem S. 18. Varia cumprimis de Lullio & Lullianis ſcriptis judicia corraſit an. Ch. 1372. *S.* 9. & deinc. Sed & argumenta Lulliſtarum pro Patriarcha ſuo in aciem producuntur & profligantur S. 18. &c. A. Ch. 1377. *S.* 29. inſerit confirmationem Decreti Gregorii pro libris Lulli exurendis. *Gault.* in Tab. Chronog. p. 685. eum *hiſtrionem* appellat: *Mariana* lib. 15. c. 4. de rebus Hiſpanicis, συντόμως ejus ſcripſit hiſtoriam. Raymundus, inquit, gente Catalanus in Balenſi majore natus, juvenis mercaturam exercuit ſpe, queſtus, majorum veſtigia domeſticamque laudem in eo ſecutus. Cum ætate, rerum humanarum tædio, in ſolitudinem abſceſſit, congreſſu ho-

ſu hominũ vitato. Quo tempore artem conſcripſit, quæ novis tramitibus compendio, in artium ingenuarum, Philoſophiæ atque adeò divinarũ rerum cognitionem inducit: magna hominum admiratione, cum literarum omnino expers, ut ne Latinè quidem ſciret, ſermone patrio, viginti amplius voluminibus juſti ponderis evulgatis, ea de rebus tum divinis, tum humanis tradat, quæ vix ac ne vix quidem expoliti doctrina homines aſſequantur legendo: ut præſtigiæ oculorum, & ludibria potius artium, quàm veræ artes quibusdam videantur. Ipſe ea ſe divinitus accepiſſe confirmat, in monte objecta Chriſti Dei ſpecie, quaſi cruci affixi. Eo haud dubio meritus laudem, quod ſtudio Religionis in Africa propagandæ Bugiam in ora Mauritaniæ delatus, cùm operi inſiſtens, monendi, caſtigandiq; finem non faceret, lapidibus petitus occubuit. Dorpus in Balearem majorem translatum, magnam populis venerationem habet, tantùm non memoria conſecrata, nomineque in faſtos dato. Ce libris non una opinio fuit, pleriſque accuſantibus, quaſi ineptos noxiosque, alii defendunt, quaſi delapſos cœlo, humanæ ignorantiæ remedia. Quingenti errores de Religione ex iis libris decerpti nihilominus, Gregorii XI. Pontificis Maximi juſſu, Avenione anathematis ignominiâ notati, agente Aymerico ex Prædicatorum ordine Inquiſitore adverſus hæreticos in Hiſpania. Ex iis propoſitionibus Petrus Tarraconenſis

nenſis præſul centum evulgavit, Directorii Inquiſitorum parte altera, in quibus, ſi verum fateri convenit, non paucæ duriores ſunt & abſonæ cum Eccleſiæ placitis pugnantes. Sed nos bardi craſſoque ingenio aſſequi non poſſumus ea, in quibus Raymundi ſectatores reconditas ſignificationes & arcana majora contemplantur melioribus oculis. An hallucinantur potius, & videre ſe fingunt, aut ſomniant, quod non vident: & digito conantur oſtendere, quod nuſquam eſt? quorum eſt noſtra etiam ætate magnus numerus. Schola etiam Barcinone iis libris explicandis dicata, conquiſitis, lectitatisque poſtquā reprobati ſunt; habendi licentia oblivionem attuliſſe. Hæc *Marian.* Certè in Germania etiam & quidem inter ipſos Reformatos Lullii non paucos vidimus admiratores ſectatores, qui miraculoſa potius quàm compendioſa docendi Methodo montes pollicentur aureos. Catholicum fingunt ſeu panaceam in maxima, quantū ego obſervavi, diſciplinarum confuſione. *Quid verò mirum*, ſcribit *Keker*, Præcog. Log. tract. 2. p. 94. *ſi Alchimiſtico* (his enim artibus deditus erat Lullius) *ingenio acceſſit ad Logicam, ut eam ſomniaret talē diſciplinam eſſe, in qua non generales notiones ſecundæ, ſive Noëmata, & organa intelligendi traderentur, ſed ipſarum diſciplinarum reales termini ſub generali* *bus*

bus Alphabethi revolutionibus miſerrimè confunderentur.

II. *Guielelmus Ockam*, Minorita, Iohannis Duns diſcipulus, poſtea verò acerrimus ejus Antagoniſta, *Nominalium* Coryphæus. *Bal.* Cent. p. 396. Actia his cum *Realibus* ſæpe fuerunt certamina. Meminit *Ramus* lib. 1. Schol. Metaph. controverſiæ inter Nominales & Reales in Academia Pariſienſi agitatæ dirum in modũ, aliis Nomina, aliis res in Categoriis ſeu Prædicamentis eſſe contendentibus, & quidem non verbis tantum & argumentis, ſed ſanguine, cæde civili propè diſcordia & ſeditione, ut Regum authoritate fuerit opus ad tantos cõpeſcendos fluctus. Nec dum hæc partium ſeu ſectarum ſtudia in Gallia præſertim, deferbuerunt. Incidas facilè in ipſos Philoſophiæ tyrones, quod mihi certè Burdigali Aginnum tendenti accidit, qui obvium quemlibet, vel ſuſpicione ſtudioſum, compellant, Nominalium ne an Realium ſectetur caſtra. III. *Iohannes Baconthorpius*, Anglus, Carmelita, Averroiſtarum Princeps dicebatur, *Bal.* p. 382.

In *Specie* verò *Logica* peritia profunda, ſed ſeculi vitio turbata tribuitur *Iohanni Botrell*, Carmelitæ, *Bal.* Cent. p. 520. *Oratoria* & *Poeſeos* laude eminuiſſe dicuntur *Petrus Babyon*; *Bal.* p. 467. *Franciſcus Petrarcha*, qui ob eloquentiam Romæ in Capitolio corona Poëtica donatur an. Chr. 1339. juxta *Naucl.* aut 1338. juxta *Plat.* *Dantes Aligerus*,

Flo-

Florentinus, qui pulſus Patria exilii ſedem apud Aragoniæ Regem quæſivit. Mortuus an. Chr. 1321. æt. 56. *Matheſin*, *Aſtronomiam* cumprimis, excoluerunt 1. *Richardus VValingforde*, celeberrimus illius ætatis Mathematicus *Bal.* p. 397. 2. *Iohannes Killingvvorth*, Id. p. 461. qui ſcriptis Aſtronomicis inclaruit. 3. *Nicolaus de Lynna*, Id. p. 468. 4. *Iohannes Halifax* coluit *Matheſin tam expedito cognitionis ſucceſſu, ut exemplum pene inimitabile poſteris exhibuerit.* *Id.* p. 502. Unde & ejus ſepulchro Aſtrolabium fuit inſculptũ. 5. *Gualterus Britte*; *Id.* p. 503. 6. *Iohannes Duns* de Saxonia, qui ſcripſit Canones Eclipſales *Calv.* an. Chr. 1330. 7. *Iohannes de Lignariis*, qui primus Aſtronomiam Pariſiis inſtauravit, Id. *Ib.* Unde & ingenioſo ſcientiarum Mathematicarum inventa hoc ſeculo enarrantur. Circa a. Ch. 1303. *Flavius* quidam Melfenſis in regno Neapolitano reperit aciculam ſive Indicem, ſive Boſſulum *marinum*, cujus cuſpis Magnete intingitur, ut perpetuo proſpectet ad Aquilonarem Polum, polaremve ſtellam. Valet adverſus maris fluctus, tempeſtates & pericula, ut ſcias quo in loco verſeris, quo ſit, deflectendum. Eſt ſpecies Aſtrolabii. Eo nondum utuntur Græci, neq; Caſpii, neque rubri maris nautæ, ſive propter ignorationem, ſive quia illorum navigatio eſt brevis. *Geneb.* p. 690. Incidit etiam in hujus ſeculi veſtibulum ἐποχῆς mutatio. Neque enim deinceps à

paſſione Domini, vel potius conceptu ſive incar nNatione, ut olim, ſed à nativitate numerari cæptum eſt. *Id.* ib. Sed trium menſium duntaxa ſtatuitur differentia. Cæteri, qui limites Aſtronomiæ tranſeuntes, futurorum ſibi notitiam ex aſtris tribuebant, turpiſſimè ſe aliis deridendos propinabant. Exemplo eſt *Ioh.Davidis* Toletanus, an.Chr.1322. Is, applaudentibus reliquis Magiſtris, programmate monuit, ann. Ch.1329. menſe Septemb. omnes Planetas in libra conjungi, & poſt futuram Eclipſin Solis & Lunæ. Unde prædicebant futura bella, & annonæ caritatem, terræmotum, & tantas ventorū procellas, ut nullus locus ſit tutus futurus. Iubebant itaque præparari cameras ſubterraneas, & commeatum in triginta dies. Affirmabant præterea omnes Philoſophos, Aſtronomos, Hiſpaniæ, Arabiæ & Græcis idem ſentire. Quo verò eventu? Totus ille annus quietus fuit & temperatus. *Calv.* a.cit. *Chron. Bohem.* In *Muſica* novos quosdam de ſeculo Anglico inauditos canendi modulos velut Amphion alter, Anglis monſtrabat Iohannes Tanetus *Bal.* p.402. Sic *Petrus Hiſpanus*, Monachus Dominicanus in Chronic. Francofurt. a.Chr.1370. annotat: *Muſica ampliata eſt: Nam novi cantores ſurrexere, & Componiſtæ & Figuriſtæ inceperunt alios modos aſſuere.*

Superiorum facultarum quæ fuerit ratio, paucis diſpiciamus. A. De *Theologia*, monuiſſe ſati

ſi

ſit 1. *Dari aliquot huius Seculi Theologos Practicos, ſeu Concionatores, qui non modò vitia vitæ, ſed & errores doctrinæ ſubinde vellicârint.* Agmen ducit *Iohannes Taulerus*, Colonienſis, qui Argentinæ obiit a. Ch. 1379. 15. Julii. Sepulchro inſculpta eſt ipſius imago, digito agnum Dei monſtrans: *Catal. Teſt. Verit.* l. 18. p. 771. Regulas ejus practicas, & Aphoriſmis, & Alphabeto expreſſas habet *Bzov.* a. Ch. 1355. S. 12. & deinc. Habeo Mſc. Germanicũ, uſui aliquando Veſtalium Otenbacenſium apud Tigurinos deſtinatum, in quo hujus etiam Tauleriani Alphabeti aurei ſextat typus. Variant tamen nonnihil circumſtantiæ. *Bzovii* verba non repetã: quia obvia ſunt. Neq; verò ex Mſc. multa expetere juvat, cum in Concionibus Tauleri Baſileæ a. C. 1522. impreſſis reperiantur, archaiſmis tamen quibus Mſc. ſcatet, ferè ſublatis. Pontificii ipſi non idem de illo judicant. Quidam eum, ceu virum doctum & orthodoxum, venerantur. Alii hæreſiarcham eum nuncupant. Vide *Bzovium* a. Ch. 1355. S. 21. 22. Referunt etiã de ejus ſalute multos dubitaſſe: Scrupulum verò apparitione fuiſſe exemptum. 2 *Robertus Phymton*, qui inſito quodam docendi ardore totus cõflagrans, plebem à conſuetis mundi vitiis ſacris è ſuggeſtu concionibus avocabat, *Bal.* Cent. p. 379. 3. *Iohannes Repingale*, cui eruditioni atque pietatis locus à *Bal.* p. 425. tribuitur. *Eruditionis*, quòd tam copioſè & doctè ſermones è ſuggeſtu tunc fecerit: *Pietas* itidem, quòd ei functioni,

 quam

quam Chriſtus ante omnia ſuis mandaverat, a motis aliis tam firmiter inhæſerit. 4. *Iohannes de ſancta Fide*, qui ſacrarum Scripturarum lectione ac vulgandis ad plebem concionibus facundus pro ſuo ſeculo erat. Nec garrulantium Sophiſtarum clamores, aut dogmata multi faciebat; dum eſſet Oxonii Theologicæ palæſtræ Magiſter; *Id.* p. 441. 5. *Radolphus Acton*; *Id.* p. 393. 6. *Ekhardus*, & ætate & eruditione Taulero collatus. Vide *Catal. Teſt. Verit.* 18. p. 774. Opera Taul. Edit. ſub finem. Eiusdem in Mſc. citato aliquoties eius fit mentio, ut & M. Dieterici cujusdam, celebrium, ſine dubio, ejus ſeculi virorum. Sed & ſubſidiis paulatim concionatores inſtruebantur, ut ſunt commentaria Lyrani; Joh. Ridevall; Bal. p. 408. Hen. Coſteſay. *Id.* p. 409. ἀνωνύμου item illius, quem VValdenſem eſſe exiſtimant, in Apocal. de quibus *Cat.* l.c. p. 803. Lexica denique Biblica, cujusmodi adornavit *Guilelmus Breton*, quod frequens fuit tum in Anglia, tum alibi. Bal. p. 437. Sic & *Rogerus* Computiſta difficiliora vocabula Bibliorū explicuit. Id. 464. Nam & illud ea ætate multum & rariſſimarum avium cantus erat. Cæteri, aliter coccyſſantes in fabularum volutabro ſe delectabant, id quod ex gravi *Alig. Dantis* querela patet. Digna eſt quæ ex Cantu 29. Latine translata inſeratur:

Etiam iſthuc hic rurſum tolleratur
Minore odio, quàm cùm poſtponitur
Divina ſcriptura, & cùm torquetur,

Non

Non reputatur quando ſanguine ſtetit,
Cùm in mundo ſeminaretur, & quantum placet
Qui animo demiſſo ei adhæret.
Ut videatur quisque ſtudet, & profert
Sua inventa: & illa pertractantur
A concionatoribus: & Evangelium tacet.
Alius dicit, lunam ſe retorſiſſe
In Chriſti morte, ſeque interpoſuiſſe
Unde lumen Solis non ſe porrexit.
Alius, lucem ſe occultâſſe
Per ſe: Idcirco Hiſpanis atque Indis
Ut & Judæis talem Eclipſin viſam eſſe.
Non habet Florentia tot Lapos, totq; Bindos,
Quot hujusmodi fabulæ per annum
E ſuggeſtu hic & illic declamitantur.
Ita oviculæ quæ hoc ignorant,
Redeunt è paſcuis paſtæ vento,
Nec eos excuſat ſui ignorantia damni.
Non dixit Chriſtus ſuo primo cætui,
Ite & prædicate mundo nugas:
Sed verum illis dedit fundamentum.
Et illud tantum ſonuit in ore ipſorum;
Itaque illi ad pugnam, ut fidem accenderent.
Ex Evangelio fecerunt Clypeum & haſtam,
Nunc jocis & facetiis itur
Ad prædicandum: & modò bene videntur
Intumeſcit cuculla, nec ultra quicquam requiritur
Verum ea avis in roſtro nidum habet,

Quam ſi vulgus videret, cerneret
Veniam, cui confidit,
Per quam tanta ſtultitia in terra crevit:
Ut ſine approbatione cujusquam teſtimonii,
Cuivis promiſſioni conveniret.
Ex hoc ſaginat porcum Sanctus Antonius,
Et alios ſimul, qui magis ſunt ſues,
Moneta ſolvendo non ſignata.

II. *Scholaſticam Theologiam & magno ſtudio & à multis fuiſſe excultam.* *Illius* ſpecimen novum præbent Doctores Sorbonici, novo inſtituto, cujus *Geneb.* meminit, p. 693. his verbis: *Franciſcus Maronius Franciſcanus ſub an.* 1315. *magnanimum illũ Sorbonicum introduxit, quo æſtate per ſingulos dies Veneris reſpondetur à quinta matutina ad ſeptimam Veſpertinam ſine præſide, ſine ſocio, ſine prandio & paſtu, ſine ulla emigratione, in eadem perpetuo corporis ſede, & animi contentione, donec cunctis opponentibus ſatisfactum ſit, præſertim Baccalaureis primi & ſecundi ordinis, qui ſunt minimũ ſexaginta: & argumenta circiter centũ agitant. Nam ſinguli primi ordinis duo texunt, primus etiam (qui Priorẽ appellant) novem. Facinus inexperti formidabile, at cuius cauſa nemo hactenus in valetudinis diſcrimen venerit, plures melius habuerint, ſive quia vis audẽtes divina juvat*

ſiv

ſive quia mentis contentio non ſinit cogitare de corpore, minus de tempore. Sed & *multos* fuiſſe Theologiæ illius ætatis Doctores dubitare nos non ſinunt Catalogi, quos nobis de illis texuit idē *Geneb.* p. 691. ubi recenſentur: Guido Ferrarienſis, autor Margaritæ Bibliorū, Albanus Inſuenſis, Gerardus Leodienſis, Petrus de Verberia, Hubertinus Caſalanus, Gerardus Bononienſis, Malachias Dominicanus, Albertus Patavinus, Guilelmus Haffligineņſis, Joh. Vitalis Cardinalis Raymundus Eremita, Richardus Pampolitanus, Bernoldus Ciſtercienſis, Porchetus Salvaticenſis, Guido ſeu Gilo Cameracenſis Epiſcopus, Iacobus Vetulolonius, Eremita, Marſilius Paduan', Galterius Burgenſis Epiſ. Pictavienſis, Jo. Glodeſtus, Petrus Arvernus. *Et* p. 695. Nicolaus Aquevillanus, Franciſcus Maronius, Scotus, Petrus Aquēſis Archiepiſcus, Conradus Sanctogeorgianus, Auguſtinus Anconitanus, Guilelmus Occam Anglus, Guilelmus Abbas Pictavienſis, Martinus Pœnitentiarius Epiſcopus, Guido Majorenſis Epiſcopus, Alpharus Minorita. Guilelmus à Petra alta, Adamus Goddamus, Aſtaſanus ſive Aſteſamis, Monaldus, Lupoldus Carthuſianus, Ioh. de Tenera munda Carthuſianus, Guido mōtis Rocherii, Petrus Epiſcopus S. Pauli. *Et* p. 700. Hermannus de Schildis Auguſtinianus Eremita, Simon de Caſſia, Johannes Baconthorpe, Bartholomæus Sanctocordius Piſanus, Joh. Haſalanus.

nus. P. 704. Bernhardus Abbas Montiscaſſini, Michael de Maſſa, Fiſchatius, Joh. de Bachone, Gregorius Ariminenſis, Petrus Berthorius, Thomas Argentinenſis, Henricus à Balma, Joh. de Tambacho, Armacan, Helvicus, German. Henricus Conſtantienſis. P. 707. Richardus Notinghamius, Maximus Planudes Græcus Monachus, Jacobus Lauſanenſis. Nicolaus Oresmus Gallus, Guilelmus Anglus, Himbertus, Abbas Pruliacenſis, Matthæus Cracovienſis, Pelbartus Pannonius, Gualtherus Hunte Anglus. Bartholomæus Piſanus, Richardus Lavinham Anglus, Joh. Taulerus, Gerardus Magnus Daventrienſis, Paulus Venetus. Sic pag. 710. Joh. Rusborchius, Jacobus Peretz de Valentia, Simon Cremonenſis, Conradus Ratisbonenſis, Gallus Abbas aulæ regiæ, Laurentius Juſtinianus Venetus, Dionyſius Burgenſis Eremita, Matthæus Epiſcopus Wormatienſis, Ioh. de Hisdino Hoſpitalarius, Michael Angrianus Bononienſis, Gerardus Zutphanius, Renerus Pipernus, Henricus Boicius, Nicolaus Gorranus, Dominicanus, Philippus montis Galerii, Thomas Calenſis, Alphonſus Thoſtatus Epiſcopus Abulenſis, Hugo à Caſtro novo, Iacobus Magnus, Toletanus, Ioh Baromiardus, &c. Inter Anglos excelluiſſe ſcribuntur Robertus Walsyngham, *Bal.* Cent. pag 365. Ioh. Witton, *Id.* Ib. Ranulphus Lokesley *Id.* pag. 366. Atque horum Scriptorum nomina ſciri, noſtra multum refert. Erubeſcent fortè, u

cæter

cætera taceamus; Pontificii Neoterici, eorum, quaſi hæreticorum, rejicere teſtimonia; quos magni in Papatu viri Theologorum axiomate inſigniunt. Cur enim eorum, qui nimium ſuis commentis fræpum laxant, & quicquid in buccam venit, in Papæ ſubſidium, effutiunt, qualis *Pelbartus* eſt, *Bartholomæus Piſanus*, &c. eos pudeat? Cæteros verò, ut *Ockanum*, *Marſilium* Patavinum hæreſeos notent aut ſchiſmatis, & tamen inter Theologos Pontificios ab ipſis Pontificiis collocentur? Quæ hæc vertigo?

B. Sed & *juris prudentia* ſuos habuit cultores, quos inter excellunt 1. *Dynus Mugellanus*, Scriptis in Pandect. in tit. de Action. in Inſtit. & ſuper lib. 6. Decretal. celebris. Moritur an. Ch. 1304. Bononiæ. 2. *Iacobus Ravanus*, Lotharingus, qui omnium primus, quæ à majoribus ſimpliciter & perſpicuè tradita erant, ad Dialecticum arguendi diſputandive modum deduxit, quem reliqui deinceps fuerunt ſequuti. *Forſt.* Inclareſcere cæpit an. Ch. 1305. *Buch.* 3. *Bartolus de Saxo ferrato*, Cyni diſcipulus, juriſconſultus celeberrimus naſcitur an. Ch. 1309. Tanta hic ingenii vi præditus fuit, ut a. ætatis 14. ſe ad juris civilis ſtudium Peruſii contulerit, Bononiæ ſolennia inſignia Doctoratus a. ætat. 21. conſecutus fuerit, & poſtea æt. 25. Piſas ad juris profeſſionē accerſitus fuerit. *Mant. Patav. Fichard. Buch.* 4. *Bartholomæus de Pratis*, qui moritur Bononiæ an. Chr. 1319. 20. Septemb. 5. *Cynus* Iuriſconſultus obiit an. Chr.

 1336.

1336. Bononiæ. 6. *Baldus de Vbaldis* Peruſinus I. C. juris doctrinam Bononiæ profiteri, & ob inſignem eruditionem tam in jure civili, quàm Pontificio, clareſcere cæpit an. Chr. 1344. Extant ejus Comment. ad jus civile. 7. *Bartholomæus Salicetus*, Baldi coætaneus, floruit an. Ch. 1382. Huic plurimum debet Schola Ferrarienſis, in qua Profeſſionem juris feliciter fuit auſpicatus. *Forſter.* 7. *Reinerus* Forolivienſis Bartoli præceptor, moritur an. Ch. 1358. *Geneb.* Chronol. l. 4. pag. 692. addit his *Petrum de bella Pertica*, Burgundum; *Iacobum de Arena* Parmenſem: *Richardum de Malumbris* Cremonenſem, *Iacobum de Butrigariis*, Bartoli præceptorem; *Oldradum de Ponte* Laudenſem. Atque hic cumprimis iterum lacerti erant aptandi Papæ-Cæſareatus θεομάχοις, quibus ſe plurimi hoc ſeculo opponebant. Huc etiam Legum Pontificiarum novarum, Clementinarum cumprimis (ſic Decretaliũ liber VII. à Papa *Clemente* collectus vocatur) quæ à Johanne menſe nov. a. C. 1317. promulgabantur, pertinet tragædia, à paſtoribus ubique verè locorum excitata. Hinc enim qui tumultus exorti, quæ pericula Romanæ Eccleſiæ nata *Iohannis Vitodurani* verbis proferre lubet. *Clemente V.* (ſcribit p. m. 35. a.) *Papa huius nominis viam univerſæ carnis ingreſſo, ſedes, ut fertur à quibusdam, vocavit tribus annis, cui tandem ſucceſſit Iohannes XXII, oriundus de Cadurco, an. D. 1318. homo brevis*

brevis ſtaturæ, corpore macilentus, lingua velociſſima, qui, contra prohibitionem ſui prædeceſſoris, VII. Decretalium publicavit, propter quod tanta pericula, ſcandala, diſſenſiones, commotiones in populis, tot terrores, tot perplexitates, ſaltem in Teutonia ebulliebant, quod nemo dinumerare valeret, ſpecialiter per unam conſtitutionem libr. VII. incipientem: Cum de quibusdam mulieribus, &c. *quæ divulgata & peſſimè intellecta, & pertinaciter, mendaciterque in cancellis per univerſam* A*lemanniam pronuntiata, innumerabilia corda* Sor*orum tertii* S. *Franciſci ordinis, & etiā aliarum multarum fuerunt graviſſimè ſauciata. Nam depoſito habitu religioſo oportebat eas inducere ſecularem. Multæ enim in domibus propriis, vel parentum, quæ quadraginta & ultra annis griſeis, nigris, vel albis, Domino in caſtitate & aliis virtutibus, & bonis operationibus famulabantur veſtibus; cogebantur per parochianos ſuos ſibi aſſumere veſtimenta rubra vel crocea, viridia vel flava, & in illis, rejectis aliis, in Eccleſiis comparere, & ſi non ſarciebant modo & forma, vel conſuetudine ſeculari, Paſtoribus ſeu parochianis minimè ſatisfecerunt. Quot ludibria, quot cōtemtus,*

temtus, temeritates, irriſiones tum temporis pertulerit multæ pudorata & caſtæ ſorores, Deus novit: fuerunt etiam in ſpectaculum & in proverbium converſæ omnibus hominibus. O quàm ſæpe multæ verecundiam magnam paſſæ ſunt, cùm publicè turpiter tractæ & tractatæ fuerunt. Confuſio, quæ prætextu conſtitutionis Clementinæ eis inferebat, uſque quod dictu miſerabile eſt, multis occaſio ruinæ fuit. *Nam plures, quæ cælibem multo tempore vitam pro Domino actitabant, voto caſtitatis rupto, ad ſeculum redierunt, vel matrimonia contrahendo*, vel, quod pejus eſt, fornicationes multimodas committendo. *Sed illæ, quæ tum perſeverabant, tam in ingenti rabie perſecutionis in voto continentiæ; ſicut aurum in fornace, probatæ, dignum Deo habitaculum in ſua puritate præparabant.* Quod & quantos tunc labores & ſumtus apud ſedem Apoſtolicã fratres Minores, pro reparatione ac inſtauratione ſuarũ ſororũ habuerint, nemo facilè æſtimabit. *Si* quis vidiſſet & audiviſſet ſingultus varios, gemitus miſerabiles, lamenta amariſſima, ejulatus altiſonos, ſuffuſiones vultuum, ſicut ego cum clamoribus argutiſſimis, non ambigo, quin ipſis ex intimis præcordiis condoluiſſet. *Compellebant autẽ acerbiſſimè Parochiani eas, excæcati in ma-*

malitia ſua, neſcientes Scripturas, verba Decretalis hujus non intelligentes, vel aliqui ex eis intelligentes, ſed ex invidia & ex pravitate ſua ſtudioſè ſenſum verborum pervertentes, ſub prætextu præcepti Papalis, & per terrores, & comminationes, & calumnias per fulminationes excommunicationum & excluſiones à Sacramentis per verendos & pudendos latratus, horribiles clamores in conſpectu omnium hominum, ſingulis diebus Dominicis in Eccleſiis, ut quodammodo impletũ fuerit verbum Ieremiæ Prophetæ dicentis: Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus, &c. *quia uſq; in excelſa vociferata ſunt à nimia turbatione hominum, innocentiam ſuam præferentes, & injuſtitiam, quæ in eis exercebatur totis viribus querulantes: Nã conſtitutio de qua jam eſt mentio, non loquitur nec intendit, ut patet luculenter intuenti, niſi de Beginis, quæ nulli promittunt obedientiã, nec propriis renunciant, nec profitentur aliquam regulam approbatam, quanquam habitum deferunt Beginarum, quarum quædã perducta in mentis inſaniam de ſumma Trinitate & divina eſſentia diſputant, & prædicant, & ita articulos, & Eccleſiaſtica Sacramenta, opi-* *niones*

niones fidei contrarias Catholicæ, introducunt, &c. Atque hic Clementinarum liber, ut eſt in *Faſcic. temp.* p. 84. publicatus, & ad ſtudia univerſalia directus eſt per Iohannem XXII.

C. Reſtat *Medicina*, cujus Antiſtites erant 1. *Guilelmus Griſaunt* Anglus, *Bal.* p. 446. De quo tamen *Conradus Geſnerus* ſcribit, quòd Magica potiùs, quam ſolidè erudita tractaverit. 2. *Henricus David*, qui natione Anglus, Profeſſione Dominicanus, omnes vires ac poteſtates elementorum, radicum, herbarum, florum, fructuum ſeminum atque omnium eorum, quæ parens natura producit, ſe ſcire jactabat. Et Hippocratem ſecutus, medendi artem ad cauſarum cognitionem, ſignorum notitiam, rerum qualitates, & corporum diverſas habitudines, gradusq; revocare ſtuduit. *Bal.* p. 485. 3. De *Petro Aponio* ſic ſcribit *Bzov.* a. Ch. 1316. S. 14. *Patavii in Italia, nonnihil timoris turbarum propter memoriam Petri Aponii à Quæſitoribus ſacræ fidei damnatam. Fuit is primus, qui rem medicam poſt multa ſecula in Italiam è Græcia exactius traduxit, ac propter ejus artis in conciliandis opinionibus peritiam, Conciliatoris cognomen promeruit. Is, quod Magiæ ſuſpectus haberetur, hæreſeos ac necromantiæ, à Petro* Regienſi Medico *primùm anno Domini* 1306. *deinde anno* 1315. *fuerat delatus. Pendente adhuc judicio,*

dicio, mortuus, apud Baſilicam Divi Antonii Confeſſoris, de more ſepultus eſt. Et S.15. *Petro Aponenſi æqualis & ejusdem ferè fati fuit* Joanninus Sanguinacius, *medicus Patavinus, qui doctrina & experientia medendi cunctos medicos adeò excelluit, ut nec inſpecta urina, nec exploratis prius brachiorum arteriis, ex ſolo aſpectu vultus, & genus, & tempus, & paroxyſmum morborum divinaret. Hic hæreſeos ac magiæ à Franciſcanis accuſatus, Romamque ad cauſam dicendam pertractus, cum ſe purgare ſufficienter non valeret, in Melitam Inſulam in exilium perpetuum relegatus eſt.*
4. *Iohannes Mandevil*, Doctor in Medicinis, & miles in armis, natione Anglicus, circa hæc tempora fuit. Et mirabilem peregrinationem, quaſi totius mundi perfecit. Scripſit eam tribus linguis. *Faſc. temp.* p. 84 b. de quo plenius *Bal.* p. 479.

[*e*] De occaſione reſtauratarum in Italia Græcarum & Latinarum ita loquitur *Buchholz.* an. Chr. 1399. Hoc tempore in Italia literarum & linguarum ſtudia, poſtquam 700. ferè annis terra barbarie oppreſſa & fædata fuerat, renaſci vel excoli & reviviſcere cœperunt. Nam cùm Græci immanitatem Turcicam pertimeſcentes in Italiam ſecederent, & Muſis novas ſedes quærerent, literæ ſimul una cum viris illis doctis ſolum verterunt, & alpes transvolârunt, ut paulatim

latim felix quoddam omnis eruditæ literaturæ ſeculum exortum, lucis ſuæ fulgorem in vicina regna longè lateque ſparſit & propagavit. Inter hos exules Græcos primi fuerunt, *Emanuel Chryſoloras*, Byzantinus, qui Græcæ Grammatices theoremata ſcripſit: *Theodorus Gaza* Theſſalonicenſis, Græcè & Latinè doctiſſimus, quod plurima ejus ſcripta loquuntur: *Georgius Trapezuntius*, & alii. Hoc modo propemodum illud accidiſſe videri poteſt, quod de Judæis & Græcis Apoſtolus dicit, illorum ruinâ his ſalutem contigiſſe, & illorũ diminutione ac penuria hos locupletatos eſſe. Ita immenſo Dei beneficio artium igniculi in Græcia extincti, in Latium traducti & transportati ſunt: qua in re plus eſt miraculi, quàm in illo, quod Cranzius narrat, anno videlicet 1399. per brumam, gelu terras ac maria ita conſtrinxiſſe, ut ſicco veſtigio è Lubecea per mare in urbem Sundenſem, & inde in Daniam perveniretur, eaq; opportunitate uſos fratres Domus Teutonicæ Maſſagetis bellum intuliſſe, & proſperè pugnâſſe. Mira hæc, ſi vera ſunt, videantur, ſed longè admirabilius, quòd Græci navigiis turpiſſimam barbariem debellârunt, eique internecionem attulerunt: literarum verò ſtudiis vitam & decus pulcherrimum reſtituerunt. Alii ludum à Chryſolora in Italia excitatum referunt ad an. Chr. 1397. *Calviſ.* Scribunt, eum à Iohanne Palæologo miſſum, ut regum opem imploraret, perfunctum munere in

Ita

Italia ſubſtitiſſe. *Geneb.* p. 711. *Latina litera* multum debent *Franciſco Petrarcha*, qui primus omnium Latinam Linguam à barbaricę pravitatis mendis inculpatam reſtituit, ac undique laceram exornavit. *Buch.* a. Ch. 1374. quo mortuus eſt. Sed & decretum Concilii Viennenſis ſub Clemente habiti in hoc ſeculum incidit, ut convertendis ad fidem Chriſti alienigenis, linguarum Chaldaicæ, Hebraicæ & Arabicæ in Academiis Europæis prælectio haberetur; *Bzov.* an. Ch. 1314. S. 4. Initium Profeſſionis Hebraicæ Oxonii fecit Judæus quidam converſus. Has vero linguas omnes Pariſiis publicè fuiſſe doctas, ex Johannis geſtis colligimus. Vide *eund.* a. Ch. 1325. S. 13. Qui tam majori linguarum notitia polluerit, quàm *Adamus Eſton*, non vidi. Dicitur Hebraicè, Græcè & Latinè, quod ea ætate pro miraculo haberi poterat, ut ſcribit *Bal.* p. 516. peritus.

[*f*] Per eos præſertim, quorum modò nomina expreſſimus.

[*g*] Exemplum habet *Bzov.* an. Chr. 1354. S. 10. Dignum quod, quia ex Mſc. Vaticano deſumtum eſt, adſcribatur. Ex hoc enim patebit, magnam Academicorum inſolentiam Papæ ſemper & cleri immoderatis privilegiis fuiſſe ſuſtentatam. *Aliquis Scholaſticorum Oxonii in taberna vinaria ebrius, vinum in caput vinarii per temulentiam effuderat, eiusq́ deinde caput poculo in illud illiſo comminuerat, cùm oppidani, ci*

ni, civis ſui vindicandi cauſa, iram ſuam in reliquos omnes Scholaſticos *nimis effrenato impetu effunderent. Biduò quaſi inſtructa & hoſtili acie inter eos dimicatum eſt: multi utrinq; vulneribus affecti, aliquot etiam interemti. Cumque poſtridie viri* Monaſtici *ad placandum Deum, atq; leniendas & molliendas tantas offenſiones ſupplicationem habuiſſent, in qua ſacroſancta Euchariſtia deferebatur: ne hæc quidem ſacra terrorem aut religionem civium animis injicere potuerunt, aut à pugna deterrere, Imò* Scholaſticum *quendam, ut vitæ conſuleret, ad ſacerdotem, qui venerandam Euchariſtiam deferebat, ſubſidii cauſa confugientem, qui nihil eos læſerat, inſequutis graviſſimus & lethalibus vulneribus confecerant: Sedatus eſt tamen poſtea eodem die tumultus, videbaturq; utraq; pars ad pacem inclinata, quæ & publico edicto divulgata eſt. Tertio nihilominus die veteres pugnæ recruduerunt, civesq; accita ſibi ad ſubſidium ex vicinis pagis multitudine, in* Scholaſticos *irruerunt, domos illorum effregerunt, libros cultellis & ſecuribus diſciderunt, atq; diſcerpſerunt, ſupellectilem diripuerunt, & aliquot peremerunt: qui caſus vacuā & ferè deſolatam ad multos menſes,* Scholaſticis *alio*

ſe

ſe ſubducentibus, Academiam reddidit, ſolitis omnibus Scholarum exercitiis interruptis. Ob hanc cauſam Lincolnienſis Epiſcopus, Oxonienſibus ſacra Eccleſiaſtica interdixit: & Rex Edoardus datis ad Simonem Islepium literis, ſe vehementer offenſum teſtatus eſt, quod præclarum Cleri (per quem & Religionem Catholicā conſtabiliri, & magnam Reipubl. partem illius potiſſimùm conſilio prudenter adminiſtrari dicebat) ſeminarium eſſet diſſipatum. Mandavit itaq; jubente etiam Innocentio Pontifice, ut omnes nervos Islepius intenderet, ut diſſipatos ad Academiam revocaret, quos in ſuam ſe fidem & tutelam, ut eos ab omni injuria & cōtumelia deinceps integros & incolumes præſtaret, recipere profitebatur. Redierant itaq; tandem, & perturbata atque intermiſſa ſtudia repetierunt. Actione cuique ſua de damnis privatim acceptis reſervata, cives 250. libris Academiæ pendendis multati: Academia novis privilegiis munita: prima rerum in eo oppido adminiſtrandarum, pretiumque panis & vini, aliarumque rerum in foro venalium, quæ ad victum commeatumque pertinerent, conſtituendi poteſtas Academiæ Præſidi delata. Cives ad ſatisdandum adacti ſe deinceps

quietem & tranquillitatem Academiæ haud perturbaturos; quibus conſtitutis, tandem poſt triennium Cives ab interdicto ſoluti ſunt. Sed alia longeque crudelior in Academia Cantabrigenſi Civium orta fuit ſeditio, de qua *Id.* an. Ch.1381. S.13. *Alii cauſam malorum peccatis Dominorum adſcribebant, quia aliqui eorum nullum Deum eſſe, nihil eſſe ſacramentum altaris, nullam poſt mortem aut vitam, aut reſurrectionem fore credebant, ſed more jumentorum vivebant, &c. Alii mendicantium fratribus deputabant, quos ideo pauperes eſſe, & ab omnibus expeditos volebant Legislatores eorum viri ſanctiſſimi, ut pro dicenda veritate nihil haberent, quod amittere formidarent: illi verò poſſeſſionibus accumulandis intenti, procerum crimina approbarent, Principes adulationibus & plebem mendaciis ſeducerent, ac bonum malum; malum bonum dicentes, utroſq; ſecum in devium pertraherent, atque ſeſe pro virili errorum Magiſtro opponerent.* Hæc ex *Thom. VValſing.*

Lues etiam Academica fuit, quod doctiſſimi quique inter ſe commiſſi, laureolam quærebant in muſtaceo, honoris ſui, quàm publici cõmodi avidiores. *In quodam libro Quodlibetorum Roberti VValſyngham pervetuſto hoc reperi* (ſic

*Bal.*Cent.p.365.) *ſcriptum: Iſte Robertus adverſus Alexandrum de* Hales, *Gerardum Bononienſem,* Ægidium Romanum, *Iohannem Duns, Simonem de Feversham,* Henricum de Gandavo, *Thomam* Sutton, *Robertum Covuton, Richardum Conyngton, & alios adhuc ætatis ſuæ Doctores ſcholaſticos determinavit publicè per impugnationes ſubtiliſſimas, &c. docendo & diſputanto.* Et pag. 440. commemorat, circa annum D.1387. exortum eſſe Schiſma inter *univerſitatem Pariſienſem & fraterculos Dominicanos ſuper B. Virginis conceptione.* Concertationum inter *Nominales* & *Reales* ſupra meminimus p.714. Conf. *Bal.* p.411.

[*h*] Nam & alii, qui cornicum illius ſeculi oculos configere videbantur, Allegoriis, aliisque corruptelis ſuas defædabant Homilias. Huc refertur 1. *Iohannes Tytleshale, Bal.* p.433. 2. *Galfridus VVaterton,* qui per vanos verborum tropos & myſticas locutiones ſolebat Scripturas ſacras exponere, ut impura ſceleratorum hominum facta, puræ in Chriſtum fidei loco, nos juſtificare crederentur, *Id.* pag. 443. Id etiam *Nicolao* accidit *Lyrano,* qui & hoc & ſuperiori ſeculo floruit. Exempla quædam ex *Bibliandro* ſuppeditat idem pag.393.

[*i*] Fundamentum erat Theologia Thomæ, quàm ipſe Urbanus V. *tanquam veridicam &*

Catholicam Tholoſſatibus, ut eam ſequerentur commendavit; *Bzov.* an. Chr. 1370. S. 15. Verba edicti ſunt; Sanè cùm ſacrum & venerabile corpus B. Thomæ de Aquino ordinis Prædicatorum ſit de mandato noſtro ad Eccleſiam fratrum Prædicatorum Tholoſſanam de proximo transferendum, nos attendentes, quanta à Deo ſcientia dotatus, ordinem Fratrum Prædicatorum & univerſalem Eccleſiam illuſtraverit, ac B. Auguſtini veſtigia inſequens Eccleſiam eandem doctrinis & ſcientiis quam plurimis adornaverit: Volentesque prætereà idem corpus ſpeciali honorificentia attolli, univerſitatem veſtram requirimus & hortamur in Domino noſtro Jeſu Chriſto, vobis nihilominus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus dictum corpus, cùm ad partes easdem transferetur, benignè & honorificè ſuſcipientes, illudq; devotè & venerabiliter pertractantes faciatis ab aliis, quantum in vobis eſt, cum debita honorificentia & devotione ſuſcipi & tractari. Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis injungimus, ut dicti B. Thomæ doctrinam, tanquam veridicam & Catholicam ſectemini, eandemq; ſtudeatis totis viribus ampliare. Explicandæ verò hujus Theologiæ Methodus erat Sorbonica, quæ ut ſcribit *Bal.* Cent. p. 465. fuit novum quoddam litigandi genus, & ab antiquorum Patrum uſu longè alienum, quæ per quæſtiunculas & argutos Syllogismos for-

mata

mata, nihil præter Chimæras peperit. *Godfridum Cornubienſem* ſolennem appellat Doctorem *Bacontborpius*, qui tamen in Ariſtotele totus, in Chriſto nihil verſatus erat; *Id.* p. 388. Sic *Thomæ Langforde* teſtimonium perhibet, quod in Scripturis, Ariſtotelico ſpiritu intellectis non mediocriter fuerit doctus; p. 394.

[k] Id quod accidit I. *Danti Aligerio*. Eum ultione divina tactum, quia non uſque adeò ſenex obiit, ſcribit *Bzov.* an. Ch. 1321. S. 21. *quod is iniquiſſimus Romanis Pontificibus, omnibusque Pontificiis infeſtus, calamum calumniis intinctum in ſumma capita ſtrinxiſſet ac Romani Pontificis dignitatem poteſtatemque, in Ludovici Bavari gratiam nimis temerario auſu depreſſiſſet.* Imò novæ hæreſis, quam poſtea Ockamus etiam fuerit amplexus, author ſcribitur, compoſito de *Monarchia* libello: *Bzov.* an. Chr. 1338. S. 8. II. *Marſilio Patavino*, qui & ipſe cauſam tutius Ludovici, *infamia ſempiterna digniſſimus* judicatur ab eodem an. Chr. 1328. S. 15. Ejus errores notantur an. Chr. 1336. S. 3. III. *Petrarcha*, quem Innocentius *Magia* ſuſpectum accuſabat, ſed hic excuſabat, viciſſimque probra & convitia, tum in Pontificem, tum in aulam Avinionenſem, reponebat; id quod fatetur *Bzov.* an. Ch. 1355. S. 24.

[l] Ut ſunt I. *Clementinæ*, de quibus ſupra p. 724.

724. 2. *Edictum* Iohannis XXII. quo declaravit, *Hæreticum eſſe cenſendum aſſerere, Chriſtum & Apoſtolos nihil habuiſſe in proprio, nec in communi*; ut verba ſonant in *Faſcic. temp.* p. 84. a. Et *Plat.* p. 250. b. *Statim edictum propoſuit, quo eos declaravit pertinaces & hæreticos, qui affirmarent Chriſtum eiusque diſcipulos nihil privatim habuiſſe. Quod certè non multum cum ſacra Scriptura* (rectè Papiſticæ temeritati opponitur S. Sc.) *convenit, quæ multis in locis teſtatur, Chriſtum eiusque diſcipulos ac veros imitatores nihil proprii habuiſſe. Vt illud Evangelii: Qui non vendiderit omnia quæ habet, & pauperibus dederit, non poteſt eſſe dignus me diſcipulus. Præterea verò hæreticum putavit eſſe, ſi quis affirmaret ipſis diſcipulis vendendi, donandi, teſtandi, acquirendi, ſuapte ingenio ius non competere, quod ad regionem euntes in alterius arbitrium tranſeant: Vnde fit, ut Domini mancipia, non ſibi ſed Domino acquirant: vel acquiſita prius ex arbitrio & mandato ejus pauperibus diſtribuant. Harum autem inſtitutionum literas apoſtolicas ad gymnaſia publica transmiſit, ne amplius Scholaſtici ea de re diſputare auderent.* His tamen Papæ decretis Monachos acquie-

quieſcere noluiſſe, ſed bellum hoc diſputationibus publicis & privatis recruduiſſe, ex iis patet, quæ prolixè *Ioh. Vitoduranus* hanc in rem ſcripſit. Ita ille p.m. 41. De Johanne Papa XXIII. hujus nominis, plura conſequenter referam, quæ *legentibus non immerito ſtuporem & horrorem immittere poſſent, quia totam Eccleſiam commoverunt. Nam talia facta fecit vel promovit, vel fieri procuravit, quæ in retro actis annis & ſeculo audita non fuerunt, nec de cætero erunt, ut ſperandum eſt.* Nam *quadam inſania ductus*, rationibus & auctoritatibus aſtruere niſus eſt, *quòd Chriſtus meram cum diſcipulis ſuis paupertatem non habuerit*, ſed cum eis proprietates in communi tenuerit, & ipſis cum opportunitas & neceſſitas requirebat, uſus fuit talibus & ſimilibus verbis per modum quæſtionis elidere, & evacuare voluntariam & perfectam Chriſti paupertatem moliebatur, cui cum Fratres minores aſſenſum præbere nollent, *ſed ipſi viriliter reſiſtentes, falſum et erroneum dictũ eius affirmarent*, & paupertatem Chriſti in ſermonibus, lectionibus, diſputationibus, perfectam cauſam tam in privato, quàm in communi auctoritatibus evidentiſſimis & rationibus multis inſolubilibus extollerent, & magnificarent, dictis fratribus moleſtus cæpit eſſe, & graviter

ipſis inſiſtere, & ad perſequendum eos niſum & non modicum adjecit. Fautores verò ſuos Prædicatores benevolentia præcipua proſecutus fuit, ac multis beneficiis conſtanter fovit. Ut autē Fratres Minores facilius & commodius flecteret, ad aſtandum & conſentiendum ſibi capitula generalia, ipſorum in locis ſibi vicinis celebrare jubebat, *ut eos ibi minis & terroribus* in prædicta quæſtione ad ſuæ propoſitionis aſſertionem extorqueret. Nam ibidē *non paucas frivolas perſuaſiones* denegando una ſecum paupertatem Chriſti recipiebant, ſed fratrum diſperſiones ibi congregatæ unanimiter ad inſtar columnæ marmoreæ immobiles, in profeſſione ſanctæ paupertatis perſtiterunt: Nec enim blandimentis ejus ſeducebantur, nec ejus terroribus concutiebantur. Specialiter autem per Reginam Apuliæ conſortem Regis Roberti in ſingulis capitulis fratres permaximè extiterant roborati, ad perſeverandū in Chriſti altiſſima paupertate. Nam in Epiſtolis illuc directis efficaciſſimis ea, utpote mulier divinitus edocta & ſupernis irradiata fulgoribus, ſectatores Fratres prænominatos paupertatis Chriſti, hortabatur, ut conſtantes & inconcuſſi in ipſa perſtarent. Nam in S. Franciſco, ferventiſſimo ſectatore veræ perfectæque paupertatis Chriſti, ut in Legenda ejus luculenter apparet, *per 5. ſtigmata, ei divinitus impreſſa*, tanquam per bullas & ſigilla eſt firmiſſimè roborata. His & ſimilibus verbis, per unum lectis, fra-

Digitized by G

tres immenſo fuerunt gaudio perfuſi, & ad obtemperandũ ei inæſtimabiliter animati, &, ut verum fatear, ſi claudicâſſent, & ruinam, quòd longè ſit, facere viſi fuiſſent, per ejus monita auro & argento pretioſiora quaſi quodam fulcimento ejecti perſtitiſſent, nimirum quæ ordinẽ intimo & præcordiali affectu ipſius præcipitium ſummopere præcavebat. V*idens* igitur Papa *fratres invincibiles, & in ſancto ſuo propoſito immutabiliter* perdurare, ut aſſequi poſſet ſuum intentum, capitulum generale, proximè poſtea celebrandũ, jubet, ſub obtentu ſuæ gratiæ in villa Pariſienſi fieri, ut in loco ſibi magis ſubjecto & apto comprehenderet, cõprehenſos captivaret, captivos averteret, & ad ſentiendum cum eo, animas eorum converteret, qui ſicut prius dixi, iterum confortati immobiliter perſtiterunt. Nã per Regem Francorum ibidem dominantem, in tantum protecti, & cuſtoditi fuerunt, quòd illæſi omnes, *invito Papa*, & contra ſpem ſuam ad provincias ſuas redierunt. *Non eſt enim conſilium contra Dominum*, qui ſalvos facit ſperantes in ſe. Cùm autem Fratres Pariſiis conveniſſent, totam civitatem commotam, & minis turbatam repererunt. Innotuerat enim ei *Papæ intentio malitioſa*, & timebat quòd Fratres perculſi & perterriti per iram Papæ contra eos ferociter ſævientem *à propoſito ſancto* reſilirent, & pau-

paupertatem Chriſti, una cum Papa à primordio Eccleſiæ præconizatam, & per omnes Eccleſias ſolenniter prædicatam abnegarent, & ſic conſequenter *fidei Orthodoxa nexus rumperetur in perpetuum integer conſervandus*. Cùm verò Fratres diverſarum linguarum de diverſis nationibus illic in multitudine copioſa congregati, verbum Dei propoſituri conſurgerent, & loca eminentiora conſcenderent, tam clerus, quàm vulgus attentis auribus auſcultabat, an aſſertio paupertatis Chriſti, vel ejus abnegatio, de ipſorum faucibus procederet? Intelligens autem omnis multitudo & audiens ipſos conformiter valenterque Chriſti paupertatem, eructare, repleti ſunt gaudio indicibili, dicentes, Benedictus ſit Deus, qui *fidem*, extra quam non eſt ſalus, ut timebamus jam ſubruendam, & in ejus quodammodo *articulo famoſiſſimo ſubvertendam*, tam miſericorditer non ſolùm conſervavit, verùm excellentiſſimè magnificavit, ita ut dubitatione pertimeſcenda ſalubriter effugata, ſolida & ſana perſeveret. Penſemus & diligenter conſideremus, *quantum periculum Eccleſia incubuiſſet*, *ſi fides in profeſſione ſacratiſſima paupertatis Chriſti occubuiſſet*. Si enim *hac lucerna extincta & ſuppreſſa fuiſſet*, *quod aliud niſi tenebra denſiſſima* remanſiſſent ibi, ut putabatur, *Petri navicula naufragari ſuſpicabatur*.

tur. *Nam procellis conquaſſata tribulationis ſubmergi videbatur, & periclitari,* non tamē poterat, Dei præſervata virtute. Exhilaratus eſt ergo univerſus populus, cognita fortitudine mirifica & inopinata ſacræ fidei in Confeſſoribus pauperis crucifixi fratribus Minoribus. Quantū igitur hæc *ſcandaloſa poſitio* Papæ fidei Catholicæ jacturam & detrimentum miniſtraverit, homo intelligens animadvertat. Nam in cunctis terris, regionibus, provinciis, angulis, climatibus fidelium perſonuit & innumerabilibus offendiculum & hæſitationem in fide probatiſſima immiſit. Qui enim ante firmi fuerunt, hæſitantes, & claudicantes & titubantes facti ſunt. Fratres Prædicatores foventes in poſitione memorata partem Papæ, *quod audire piæ mentes refugiunt, in contemtum & contumeliam Fratrum minorum & per conſequens, in ſcandalum totius Eccleſiæ depinxerunt, vel depingi procuraverunt, Chriſtum cum loculis & capſellis ad extrahendum denarios ipſis manus ſuas immittentem, & quod eſt horror devotis dicere, videre, vel audire, in parietibus Monaſteriorum, & ubi erat frequens hominum tranſitus, Chriſtum pendentem in cruce depingebant, una manu brachio crucis affixum & altera denarios tractantē, & burſis in cingulo ſuo*

ſuo pendentibus inferentem. Hoc *totum factum eſt, ut cernentibus per hoc pateſceret, Chriſtum proprietates habuiſſe.* Maximè autem Papa infeſtus, & ſupra modum durus fuit prælatis & præſidentibus capituli, & capitibus ordinis Fratrum Minorum, videlicet Generali, & ſibi cohærentibus Avenionæ degentibus. Cùm enim eos minis, blandimentis, terroribus, ad ſibi conſentiendum flectere non poſſet, inſidias intentabat, qualiter eos caperet, & ſqualore carcere & diris ſuppliciis cruciaret, vel ut aliqui opinantur, quòd morte eos afficeret, & acerbiſſimè trucidaret, & cùm hoc in continenti ſe facturum decreviſſet, Generalis, dictus *Michael*, vir utiq; genere, ſcientia, & morum honeſtate præclarus, cum bona gratia juriſperito peritiſſimo, & aliis fratribus Theologis acutiſſimis amicabiliter commonitus, fugam accepit, & cum multis galeatis à Rege Franciæ ſibi deſtinatis deductus eſt per mare propera navigatione ad loca tutiſſima, *& à Papa temeraria & irrationabili valde ſemota poteſtate*: qui tandem Ludovicũ poſcentes ſępe dictum & ad ipſum confugientes, ſub ejus umbra alarum multo tempore protecti ſunt è facie inimici, & in cunctis vitæ neceſſariis lautè proviſi, quorum fugam Papa ſentiens, omnis generis contra eos cenſuras Eccleſiaſticas fulminavit, & eorum extra ordinem ſuum ejectiones à Fratribus extorſit, *qui quamvis nobi-*

lia

ia ordinis omni laude digna membra fuiſſent, ratres tamen, ſed nimis dolentes cum immani maritudine mentis ad favorem Papæ capeſſen.um, & iram indignationis ſuæ exceſſivam temerandam, quia adverſus eos accendit omnem ram ſuam, *ipſos tanquam membra arida ſeu utrida ab ordine exciderunt*, de quo ego ſum imium conturbatus, *quia gloriã & magnum lecorem per eos ordo noſter habuit*, quia ſicut tella præfulgida in eo micuerunt, & in mundo icut ſtella in medio nebulæ, & tanquam novum ydus, imò ſicut ſtella lucidiſſimè corruſcabant. n iſto diſturbio Provincialis Fratrum ſuperioris lemaniæ dictus *Henricus*, frater de Talheim, Ma. iſter Theologiæ excellens cum quodam lectoe ſibi familiari ad Imperatorem convolavit, qui everenter ab eo exceptus, ejus eſt cancellarius nſtitutus, ſed tamen ab illo deſtitutus ſplendidè c copioſè per eum procuratus, tranquillam viam ab omni tumultu negotiorum ſecularium egregatam duxit in Auguſta, civitate Sueviæ inigni. Socius verò ejus ab Imperatore & Papa ab o creato Pontificatum adeptus eſt Vercellenſẽ, n quo reſidens plurimos præpoſitos & alios Clericos ordinavit, qui tandem pœnitentia ductus Epiſcopatum reſignavit, & jugum Domini ibjectum, ordinẽ exeundo repetens, pollicensque ſe ſubiturum pœnam correctionis ſuis exceſſibus condignam, ordinem illico impetravit.

Magi-

Magiſter ſimiliter Henricus poſt eum faciens ad ordinem eſt reverſus, ſed bonâ gratia extra eum, debitum humanæ naturæ perſolvit. Hæc *Vito duranus*. Exemplum Franciſcani à Papa in carcerem detruſi, habes in *Anal.* p.47. Combuſti verò & in cineres redacti apud *Bzov.* an. Ch. 1337. S. 3. Non prolixitatis pruritu, ſed Hiſtoricæ lucis neceſſitate adacti locum ex vetuſto dedimus Mſc. Ex quo quisque ea tantùm colligat poriſmata, quæ ex verbis diverſo charactere notatis ſponte fluunt. Inſana Majeſtatis Pontificiæ ſubſtructio uno hoc hominis domeſtici ictu non parùm labefactatur.

VII. De *Monaſtico* Seculi hujus ſtatu obſervandum eſt I. Tam diu illum ſtetiſſe, & creviſſe, quamdiu Papæ [*a*] cauſam fervidè egit, patrociniumque ſtrenuè ſuſcepit: Frigente verò vel repente Monachorum pro Papa ſtudio, diriſſima quæque, in illos etiam, quos vel inuſitata [*b*] σκληραγωγία, vel Majorum merita commendare poterant, fuiſſet decreta. II. Tot impietatis & profanæ mentis ſpecimina Monachos [*c*] effrenes dediſſe, ut odium & execrationes omniũ, [*d*] plebejorum etiam, experiri debuerint. III. Sanctiſſima [*e*] & laude digniſſima, plerorumque ſtudia, tricas fuiſſe & viti

viti litigationes Scholaſticorũ. IV. Inteſtinis [f] etiam diſſidiis aliisque [g] enormitatibus infames teſſerã, apud multos eos fregiſſe. V. Arctiori tandem diſciplina [h] per leges coercendos fuiſſe, veteris oblitos.

[a] Unde eſt quod Pontificis authoritate alii ſuperioribus acceſſerint ordines, ut eſt 1. Ordo *novorum militum Ieſu Chriſti* in Portugalia per Iohannẽ 22. contra Saracenos inſtitutus, *Naucl.* Gen.44. p.247. a. *Faſc.tem.* p.84.b. *Plat.* p.250. b. in Ioh.23. His omnia Templariorum bona ſunt deſtinata. *Calviſ.* an.Ch.1319. *Bzov.* an.Chr. 1317. S.21. 2. *Ordo Salvatoris*, qui vulgò S.Brigittæ ordo vocatur, *Faſcic.tem.* p.85.b. Eum ex utroque ſexu confirmavit Urbanus. *Calv.* a.Ch.1363. *Geneb.* p.706. 3. *Ordo militum Divi Georgii*, alias Garteriorum, *Polyd.Calviſ.* an.Ch.1348. *Bzov.* an. Ch.1344. S.13. 4. *Ordo Monachalium S. Catharinæ*, à Catharina Senenſi conſtitutus circa a.Ch.1373. incipit, quo Brigitta obiit. *Calv.* 5. *Ieſuatorum ordo*, Senis in Italia an. Ch.1368. oritur (ut habet *Sabellicus*) authoribus Ioh.Columbano, & Franciſco Vinientio Senenſibus. Sic dicebantur, quòd nomen *Ieſu* eſſet frequens in ore eorum. *Bzov.* an.Chr.1358. S.13. *Geneb.* p.709. 6. *Bzov.* an.Ch.1317. S 22. *Hoc fere anno contra Saracenos duo alii ordines militares, alter titulo*

Monteſiæ, alter ſub invocatione S. *Georgii Afam in regno Arragonũ, à* Rege *Iacobo, concedente, & approbante ſummo Pontifice Iohanne erecti ſunt, bonaq; loca & pura Templariorũ iis tam diu attributa, quoad contra Saracenos depugnarent.* 7. *Ordo Alborum* Monachorũ de cujus occaſione, origine & confirmatione videatur *Bzov.* an.Chr.1318. S.13. Alii ſunt *Albati*, de quibus varia Pontificiorũ judicia. Vide *Naucl.* p.264. *Bzov.* an.Ch.1399. S.8. De aliis, ſed obſcurioribus hujus Seculi ordinibus cõſulatur *Bal.* p.364. 8. Huc pertinet *Societas peregrinantium* à Fratribus Prædicatoribus inſtituta. Qui ex ea deſtinati erant ad gentes convertendas remotiſſimas, munus demandatum detrectare non poterant. Vide *Bzov.* a.C.1325. S.11. Exempla habes a.C. 1370.S.9. ubi & formula Neophytis præſcribitur. Et a.Ch.1375.S.4. ubi Armenis, Tartaris, Conſtantinopolis ad Eccleſiam Romanam reducendis operam (qui & Inquiſitionis monſtrũ invexerunt in Armeniam, Georgianam, Græciã, Tartariam & Ruſſiam; *Id.*an.Ch.1378.*S*.41.) locâſſe dicuntur. 9. Ordinem *Hieronymianum* S. Salvatoris in agro Senenſi à Gregor. XI. *Bzov.* a.Ch. 1373 S.5. 10. Ordo novus *Canonicorum Regulariũ* S. Salvatoris in agro Senenſi à Stephano & Iacobo Andrea Senenſibus ordinis Eremitarum profeſſis initium ſumſit: Eam congregationem Gregorius XI. approbavit; *Id.* a.Ch.1378. S.7.

[*b*] Men-

[b] Mendicantium patrocinium ſuſcepit Benedictus XI. qui, aſſerente *Bzov.* an. Ch. 1304. S. 7. ordines illos exornavit, & à multis Epiſcoporum gravaminibus exemit. Mox tamen Iohannes XXII. Minores, idem per omnia ſecum non ſentientes, graviſſimis affecit ſuppliciis, ut ex Vitodur: audivimus. Flagellantium etiam ſectam, & aſſeclarum multitudine, & miraculis celebrem *Bzov.* an. Chr. 1340. S. 24. & 1349. S. 2. Pontifex non eo, ut exiſtimo, nomine ſuſpectam habuit, quòd jejuniorum auſteritate, verborumq; diritate penè eſſet inimitabilis, ſed quòd ſuæ, ex creſcente indies numero, authoritati periculum imminere timeret. Templarii etiam damnantur, Princeps eorum Jacobus Burgundus flammis exuritur, bona eorum Rex Galliæ pleraque recipit, 50. Lutetiæ cremantur vivi, imò uno quaſi momento delentur, Concilii etiam Viennæ habiti decreto ordo, qui annis ſteterat 184. abrogatur. Vide *Calv.* an. Chr. 1307. 1310. 1312. ut ne ſine cauſa in eos ſævire viderentur, de erroribus graviſſimis accuſantur, quod defecerint à religione Chriſtiana, quòd deteriores ſint Saracenis, quod olim Ludovicum Regem Galliæ Suldano prodiderint. Apoſtaſiam ad Saracenos maximè urgebant; vide *Plat.* in Clem. V. p. 245. b. *Geneb.* pag. 691. ait, *iuſtis illud de cauſis factũ*, quas p. 693. vocat nefanda ſcelera (à quibus tamen Moguntiæ ſe purgârunt *Naucl.* Gen.

44.p.240.) & pravas opiniones de religione. Alii exiſtimant, abrogationem illam factam in gratiam Philippi, Regis Galliæ, qui, ut ferebatur, aulicorum perſuaſionibus & ſpe lucri ordinem Templariorum accuſarit; *Bzov*.a.Ch.1307. S.4. *Naucl.* Gen.44.p.244. Philippo enim bona eorum in Galliis ceſſerunt, & in aliis verò locis data ſunt Hoſpitalariis. Sed prolixa hac de re commentaria habes apud *Bzov*.an.Chr.1307. S.4. A.1308.S.2.3. ubi capita errorum enarrantur S.4. A.1309.S.12. A.1310.S.8. A.1311.S.7.8.9. A.1312.S.3. Certum quidem eſt, multas jam pridem de Templariis motas fuiſſe querelas; vide *ſup.* p.507. Conniventiâ tamen Papa faciſè eas tollerâſſet, vel excuſâſſet etiam, niſi abolitione ordinis rebus ſuis conſuli, a'iiſque rem præſtari gratam vidiſſet. Gravis eſt hæreſeos & Apoſtaſiæ accuſatio. Verùm non dubito, quin idem acciderit Templariis, quod aliis, quos Papa ut facilius è medio tolleret, labe hac reddidit infames. Exemplum ſuprà habuimus in Friderico pag.386. Aliud occurrit in Ludovico, qui Hæreticus vulgò audivit. Vide *Naucl.*Gen.44.pag. 248. Hic quidem nihil nobis vel ſeritur, vel metitur, ne tamen incertis pugnare videamur pro Hoſpitalariis, conjecturis, *Drexelii* lib.2. de Trib. Chriſti c.3.S.2. apologiam pro iis recitabimus: *Certiſſimum habetur, quod Clementi V. evenit. Qui cùm Templarios, cœtum religio-*

ſum

ſum & diu bonum atque utilem Vienna in Concilio damnâſſet, & in ſodales ferro atque igne paſſim animadvertiſſet, vel, ut ſcribunt alii, ſæviiſſet à pluribus eorum, uno præſertim Neapolitano equite ad judicium divinum eſt appellatus, ita quidem ut Clemens Pontifex et Philippus Rex *Galliarum ad tribunal ſuperûm citari intra annum ſe ſiſterent. Philippo* R*egi damnationes illæ bono fuiſſe putabantur, Templariorum opibus ad eum devolutis & confiſcatis. Neque vana fuit hæc appellatio, nam intra tempus annuum, uno ſcilicet eodemque anno* 1314. *tam Papa, quàm* Rex *obierunt. Quis neget geniale aliquid & divinum hic interveniſſe, ſupremo Numine conſciſcente?* Plura ejuſmodi exempla hoc capite recenſet. Quid, *quod ſuppliciis Templarii pro Martyribus culti legantur*; Naucl. Gen. 44. p: 244. a.

[c] Monachus enim author eſt pernicioſiſſimi bombardarum inventi. Vide ſup. 666. Confer *Bal.* p. 481. Hoc tormenti genus Venetis primum detulit, cùm contra Genuenſes bellum gererent. Monachus Henricum VII. Imperatorem hoſtia venenata ſuſtulit. *Bal.* p. 367. ex *Nauclero* ut Gen. 44. p. 246. & aliis: *Anno D.* 1313. *Henricus VII. Romanorum Imperator, ver-*

ſus Apuliam iter arripiens in aſſumtionis Mariæ feſto poſt orationes & ieiunia, Euchariſtia Sacramentorum ſumere deſiderabat. Vnde quidam Dominicanus, Bernardus de monte Politiano, eius ex Guelforum conſpiratione confeſſor, præmiis ac pollicitationibus ſubornatus intoxicatam hoſtiam optimo Principi dabat, vertens calicem vitæ (inquiunt) *in calicem mortis.* Mox *ut Imperator ſenſit adeſſe mortem, ſceleſtiſſimo illi Monacho dixiſſe fertur: Domine recedatis. Nam ſi percipiant Teutonici & noſtri devoti malum, quod nobis feciſtis, morte miſerabili moriemini.* *Author Faſcic.temp* p.84 a. *Tandem* Henri*cus intoxicatus fuit ſumendo Euchariſtiam.* Hæc *leguntur in libris, & fama feruntur.* De libris ipſorum etiam Pontificiorum nemo dubitat. Magno numero recenſentur à *Bzov.* an. Chr.1313. S. 7. & deinc. Quid? quòd ejus ætatis feſtis, annalibus, actis, rythmis, carminibus & epigrammatis publicè eſt divulgatum. Dominicani tamen (& noviſſimè *Bzov.* ejusdem ordinis Monachus a. cit. S. & deinc.) id conſtantiſſimè negârunt, prætendentes, *ægritudine animi, quod vindictæ avidus de hoſtibus, ut vellet ſupplicium ſumere non potuiſſet, animam Imperatorem efflâſſe, literis à Papa acceptis, quæ innocentiæ teſtimo-*

ſtimonium perhiberent. Verum enim verò ordinis iſtius, ſceleris cõmiſſi ſuſpicione exonerari non potuere, quin eorum quàm plurimi in Tuſcia, Lombardia, aliisque locis una cum domibus igne gladioque perirent. Iterum hic inſerere placet *Ioh. Vitodurani* hac de re teſtimonium. Cùm igitur Henricus Imperator Romanus in manu forti & brachio extento ſibi ad unguem ſubjeciſſet, & ibi omnia ſecundum omne votum ſuum ordinaſſet, Germaniamque, Longobardiam, Galliam & Italiam ſuæ ditioni ſubdidiſſet, triumpho potito de civitate dicta Priss, pauco tempore evoluto in Apuliam ſibi rebellantem, in aliquot civitatibus Imperialibus, quemadmodum ſupra breviter perſtrinxi, profectus eſt, ut & illam cum Rege ſuo contra eum, quaſi contra ſtimulum calcitrantem, perdomaret, & ſuo jugo, ſicut meritò debuit, applicaret. Cũ verò adhuc in procinctu itineris eſſet conſtitutus, ex igne divini amoris medullitus ferveſceret, in tantum, ut deſideranti animo corpus Dominicum, toto mentis affectu percipere geſtaret, ut ſuo voto mox divinitùs immiſſo ſatisfaceret, in quodã loco ad id faciendum ſe multo devotionis ſtudio contulit, quod intelligentes quædam civitates ſibi adverſantes, Capellanum Imperatoris approbati ordinis, *ut fama publica proteſtatur*, quem tamen, ad deferendum ei honoré, reticeo: à quo more ſolito Sacramentum

tum id percepturus erat, Epiſcopatus in proximo ſibi conferendi, & aliorum munerum promiſſione agitatum inſtinctu Diabolico corruperetunt, *ut latenter in communionis adminiſtratione venenum Imperatori immitteret, & ſic occideret*, quibus ille maligniſſimus traditor, &, more Judæ, mercator peſſimus, excæcatus, malitia ſua acquieſcens, poſt S. Sanctæ hoſtiæ Imperatori porrectam refectionem, & ab eo reverenter ſumtam, in communione *calicis venenũ in juncturarum digitorum manus ſuæ complicatione, occultè & doloſe conditum, & reſervatum potum vini inviſibiliter immiſcebat*, & Imperatori epotandum præbebat, quo exhauſto, ſentiens ſe Imperator intoxicatum, dixit communicatori: *Video quia intoxicaſtis me, & ideò quantò citius poteritis fugam inite, ne in ultionem mortis meæ, mihi allatæ, à nobis in fruſta concidamini. Qui aufugiens, Epiſcopatum ſibi promiſſum pro mercede adeptus eſt.* Medici autem hæc notantes perſuaſerunt Imperatori, ut potionem ab eis, quo venenum evacuaretur, & extraheretur, acciperet, ſi ſanitati reſtitui vellet; quibus ipſe taliter reſpondit: *Deum meum ſumſi, cum illo etiam moriar animo libenti.* Nam ſi ei plus vita mea ſuper terra placeret, me utique cuſtodiſſet, vel me adhuc incolumem faceret, & virtuoſiùs & efficaciùs poſ-

ſet,

:t, quàm vos, cùm omnia poſſibilia ſint apud
um. Dum ergo Medicinam recuſaret, intra
iduum à carnis ergaſtulo feliciter migravit, ut
iè credendum eſt, & deductus inde in civitatem
ictam PRISS, (Piſam) honorificè ac ſolenniter
onditus eſt, regia ut ipſum decuit ſepulturâ. O-
iit an. D.1313. anno regni ſui XV. Cal. Sept. de
ujus juſſu graviter Dominus de VVirtenberg
amnificatus fuit per devaſtationem terræ ſuæ.
Iic adhuc vivus & ſanus exiſtens, firmiter de-
reverat, ſi Domino ſibi favente Apuliam, con-
ra eum rebellantem, ſuo dominio ſubjugaret,
nox robuſto, & copioſo exercitu congregato,
nare transfretare vellet, ad ſubjiciendas ſibi bar-
aras nationes. In morte Imperatoris verifica-
um fuit verbum Evangelii dicentis, *Inimici ho
ninis domeſtici ejus*: & Ieremiæ Prophetæ di-
entis: *In omni fratre tuo, non habeto fidu-
iam, omnis enim frater incedit fraudulenter.*
Hic erat *regula juſtitiæ, ſumma legis, lux Ec-
leſiæ, fidei immobilis columna, inſolentium
ilentium, lima correctionis. Zelator præci-
uus veritatis, fidelis in commiſſis, conſtans in
romiſſis, amator ſedulus latriæ, norma tem-
erantiæ, caſtitatis ſpeculum, liberalitatis ex-
emplum, forma iuſtitiæ, defenſor & patronus
pauperum, imitator egregius Evangelicæ do-
ctrinæ.* Hic talis eſt tantus, quod cum maxima

 cor-

cordis mei amaritudine loquor, veneno necatur, *quod, heu! Chriſtianæ diſciplinæ ruina & plaga perniciosiſſima fuit.* Nam maximè ei derogavit, quòd in altiſſimo Sacramento religionis Catholicæ homo tantæ ſupereminentiæ interemptus eſt. Nam ubi in noſtris temporibus affluentiſſimè vernat fides credentium, & in Sacramento, *in quo maximè dependet devotio modernorum, ibi nefandiſſimum ſcelus perpetratum eſt, ſcandalum etiam perpetuò duraturum, quod infidelibus nauſeam & diſplicentiam generavit noſtræ profeſſionis, imò inſultant nobis per hoc, dicentes: Si illa ſpecies, quã ſumunt & reverenter Chriſtiani, Deus eſſet, tam horribile & execrabile facinus ſua in ſpecie & participatione fieri nullatenus permiſiſſet,* & quia nobis taliter inſultant, judicio humano, & ſenſuum meorum compellor dicere, & exclamare, dicens: *O Domine quare ſi non juſtè, vel ſi ob aliquam cauſam tibi ſoli notam, ſinere voluſti, quod eſt in tam grande judicium & detrimentum fidei? Quare ergo, ſecundum verbum Sapientis, non invocaſti tua ſigna, & immutaſti tua mirabilia, ad demonſtrandam potentiam dexteræ tuæ, & ad firmandam plebis fidem, ſicut cæcum à nativitate illuminare voluiſti, ad manifeſtandam gloriam tuam, & Laza-*

;azarum quadriduanum in monumento jam *ætentem reſuſcitare?* Sed quando iſta revol-o in mente mea, & Domino objicio, per mo-um argumentationis, & altercationis, quem dmodum fecit Domino Ieremias Propheta di-ens, quaſi diſputando & contendendo: *Qua-e, Domine, impius proſperatur in via ſua: Kur-ius confligendo in me ipſo, in memoriam redu-o, quod conſilia Domini, & cogitationes ne-no movit, & judicia homini abſcondita, & nſcrutabilia ſunt.* Et ſicut in Ezechiele Prophe-a dicitur, *quoniam ſicut Cœli exaltati ſunt à erra, ſicut viæ meæ, à viis veſtris.* Et quod n Eſaja dicitur: *Perſcrutator Majeſtatis oppri-netur à gloria.* Et David dicit in Pſalmis: *defe-erunt ſcrutantes ſcrutinio.* Et ſic cogitando ſta, Domini potentiam, & Majeſtatem ſapien-iæque infinitatem, & meam fragilitatem, igno-antiamque perpendo, & decidens in me ipſum, bſtupeſco, meamque curioſitatem, & præſum-uoſitatem reprehendo, & agens pœnitentiam ales frivolos cogitatus poſtpono, & Deo ſicut debeo, totum committo: *Tamen concludendo ſermonem, iam habitum, dico, quòd Religio-ſus ille, qui intoxicavit invictiſſimum Impera-torem, Chriſtianitatem profanavit, confudit ordinem, temeravit imperium, corrupit quic-quid*

quid erat Religionis, quod legis, quod vitæ, quod morũ, quod fidei, quod diſciplinæ, quod ſacerdotalis dignitatis, quod Monachalis reverentiæ, perdidit & confudit. Quidã aiunt, quòd, poſtquam Mediolanum cum labore & alias civitates ſibi rebelles expugnâſſet, tandem civitatem Priss (Piſam) obſedit, in cujus obſidione propter nimium laborem ſuum, apoſtema incurrit, quod præſenſit, in aſſumtione beatæ Virginis corpus Chriſti percipiens, & de hoc exierit ſermo, quòd in calicis participatione intoxicatus fuiſſet. Electus fuit in Franckfurt, circa feſtum S. Martini, & in Regem Romanorum conſecratus eſt Aquisgrani in Epiphania. Quod hic Imperator ſanctus & incontaminatus fuerit, & à peccatoribus gravibus ſegregatus, in multis virtutum ſuarum inſignibus, quæ cauſa brevitatis dinumerare omitto, luculenter apparet, ſpecialiter lucet, luce clarius in hoc, quòd ſentiens ſe in communione, ab illo malefico Monacho, filio Diaboli, cujus opera fecit occidendo caput Eccleſiæ nobiliſſimum, imò vero totius mundi, ſi vita ei comes affuiſſet, intoxicatum ipſum charitativè admonuit, ut fugeret, ſi mortis ſupplicium evadere vellet. Dico autem, explanando dicta mea; *Hunc Monachum filium Satanæ extitiſſe, faciendo opera eius, occidendo Cæſarem, quia ſecundum Evangelium Iohannis: Dæmon ab*

ab initio homicida fuit, & in veritate non ſtetit. *Ergo bene dico, quòd hic filius eius erat, non filius Abrahæ, quia opera eius non patrabat.* *Vnde dicitur: Patrem ſequitur ſua proles.* *Tunc temporis, puer ego exiſtens, audivi, quòd fratribus Minoribus, in terminis annonam petentibus, multa contumelia irrogata fuerat, & multi terrores, multusq; contemtus, quia primo rumor, & poſtea*, vulgaris exiit de iis, quamvis immunes ab illo immani crimine, per Dei gratiam, ipſos præſervantem, penitus fuerint, quod Regem Romanum veneno peremiſſent, non tamen dico, *quod ordini, quicunque eſt, ſit imponendum, interficientis unica & ſingularis malitia, cum cæteri illius ordinis malefactori aſſenſum non præbuiſſent*, nec conſcii ſibi criminis illius extitiſſent; unde reatus illius extendendus non fuit in cæteros vel ſingulos ſui ordinis, ſed ſolum in delinquentem. Unde jus dicit: Delictum perſonæ non debet redundare in damnum Eccleſiæ. Ergo à ſimili non in damnum totius ordinis: Iterum jus; pœna ſuos debet tenere auctores, nec eſt ulterius protrahenda quàm delictum ſit, in excedente repertum. Item jus dicit, quòd vitia perſonalia non tranſeunt ad ſucceſſores. Item Moyſes in ſacra Pagina dicit: Filius non portabit iniquitatem patris, nec è converſo. Item Ezechiel, anima quæ peccaverit, ipſa

ipſa morietur. Quod etiam in Homilia ſupe Evangelium Matthæi dicitur: *Non fuit ſocietas tam ſancta ab initio mundi, in qua reprob non eſſent, incipiens hoc diſſerere, in tentatione, & ſocietate* Angelorum *in cœlis: quorum multi mali fuerant inventi, & ideo de Cœlis eliminati, & in aêrem caliginoſum detruſi, & in Dæmones converſi.* Unde Iob. In Angelis ſui: reperit pravitatem. Item Chriſtus duodecim elegit vires ex toto mundo, quorum unus Iudas Iſcharioth peſſimus fuit, tradendo Chriſtum ex avaritia nimia pro XXX. denariis in mortem, ſicut & lle ſceleratiſſimus hominum fuit. Item, poſt aſcenſionem Domini, Apoſtoli elegerunt ex omnibus diſcipulis, imò ex cunctis fidelibus VII. Diaconos, quorum unus Nicolaus Antiochenus; ſicut habetur in Actis Apoſtolorum, malus exceſſivè fuit: quare ergò, ut iſta verba introducta Sacræ Scripturæ applicem, & coaptem propoſito meo, Michael Angelus, deterior dici deberet propter culpam Luciferi & aliorum malorum Angelorum ſecum corruentium? Vel, cur malitia ejus in bonos extendi deberet, cùm non eſſet conſonum rationi. Quid demeruit Petrus in nequitia Judæ? Quid Stephanus in Nicolai Antiocheni perverſitate? Sic dico in propoſito: quid peccavit in ſcelere iſtius maligni traditoris? Nihil ergo cæteris ſui ordinis Fratribus nunc eſt imputandum, *his aſto; quanquam multi ex iis*

pra

præſertim in civitate Turicenſi, lætati fuerint, invidiæ ſtimulo agitati. Quando primùm divulgatum erat de Fratribus Minoribus, & poſtea comperta rei veritate Fratres Minores percipientes hoc è contrario de interitu eorum, non tam affectuosè, ſicut debuiſſent, fuerant conturbati, quia unus ex iis author fuit ſceleris non omnes. Patet etiam ſanctitas Imperatoris in alio, quia poſt ſanctionē Euchariſtiæ, cū qua venenum hauſerat, repudiavit omnem medicinam, per quā evacuaretur venenum, *ne Deo & ſuo Sacramento contumeliā & irreverentiam inferret*. Hæc duo allegata & in medium producta pro Imperatore, attollunt eum, & reddunt ipſum laudabilem & glorioſum in ſecula tam in Eccleſia militante, quàm triumphante; Quis unquam audivit talia, quod inferenti ſibi mortem, non ſolùm indulgebat, verùm etiam charitativè admonuit, ut fugâ acceptâ vitam ſalveret, ne pœnas mortis ejus exſolveret, & crudeliter mactatus & diſcerptus lueret? *Hoc raro vel nunquam in primitiva Eccleſia viſum eſt.* A ſeculo autem non eſt audita tanta reverentia, quantam Ipſe corpori Chriſti exhibuit quod potionem expulſivam veneni à medicis & ſanatiuam, accipere recuſavit, ne Sacramento injuriam irrogaret, malens vitam cunctis deſiderabilem perdere, quàm cum Dei, & ſui Sacramenti contemtu ultra vivere. De ipſo audivi, quòd eo Romæ,

mæ, ut ſupra dixi, moram contrahente, tant
cruor per Romanos & Germanos, mutuò qua
quotidie acerrimè confligentes, effuſus eſt, u
uſque ad talos hominibus tranſeuntibus vico
attigerit, Germanis tamen frequentius præva
lentibus. Propter prædicta & alia ſuarum virtu
tum inſignia, mortem ejus pretioſam non ceſſ
dolere, Eccleſiæ immaturam & nocivam. Si
Avent. pag. 746. *Inter hæc in Italia Imperato*
H*enricus VII. Cæſar Auguſtus duodevice ſim*
Calendas S*eptemb. celeberrimo Chriſtianorum*
die feſto, in ſacra æde, à Bernhardo Domini
cano (qui auro male ab inimicis Cæſaris conci
liatus fuerat) cæleſti victima toxico oblita, atq
polline A*damantina (quam præſens venen*
eſſe aiunt) ſacræ optimi Principis potioni indi
to, novo & inaudito exemplo extinguitur. It
non ſolum in faſtos, annales, acta relatum eſ
& Epigramma in eiuſdem ceremoniæ conſe
craneis extat, & antiquis more maiorum ce
lebratum eſt carminibus. Confer *Vrſper.* Par
pag. 312.

[*d*] Id quod ex præcedenti patet Vitoduran
teſtimonio. Confer *Anal.* P. 1. p. 26. Et querelan
Fel. Fab. in Hiſt. Suev. p. 147. ubi etiam ordinen
excuſat, & malevolorum nequitia hanc de Mo
nacho excitatam famam perſuadere ſcilicet co
natur.

[*e*] Ab

[e] Abundè hoc probat Catalogus Theologorum Scholaſticorum ſupra *Geneb.* exhibitus. Multum cumprimis Angli deferunt in his ſtudiis Guilelmo Maklesfelde, *Bal.* pag.361. *Iohann Dun* Scoto, *Id.* pag.362. cujus jam ſuperiori etiam ſæculo meminimus, p.347. Eum & alios ejus farinæ Philoſophos, qui obſcuritate verborum S. Theologiæ veritatem involverant, *negotium perambulans in tenebris*; *Ioh. VViclevus* vocare ſolebat.

[f] Certabant enim magno cum plebis ſcandalo, Dominicani & Franciſcani in cauſa Johannis 22. vide ſup. p.738. Confer *Anal.* P.1. pag.26. Unde etiam nunquam defuerunt, qui maſculè ſe ordini huic oppoſuerunt, ut ſuo loco dicemus.

[g] *Teutonibus* crucigeris exprobratur perfidia, *Bzov.* an.Ch.1331. S.15. *Hoſpitalariis* luxus & ignavia an. Ch.1343. S.19. *Aliis* inſignis temeritas & perjurium, *Bzov.* an. Ch.1380. S.14. *Aliis* regnandi libido; *Id.* an. Ch.1375. S.19. *Aliis* amor conſcendendi culmen Papale præpoſterus; *Naucl.* p.264.b.

[h] Sic *Raynaldus*, Archiepiſcopus Ravennas cùm videret Benedicti & Auguſtini familias laxiore vivendi inſtituto à vetere diſciplina plurimum defeciſſe, vivendi leges iis præſcribit, quas reperis apud *Bzov.* a.Ch.1321. S.15. Et de Bonif. VIII. commemorat *Platina*, quòd ordinẽ Gran-

44.p.240.) & pravas opiniones de religione. Alii exiſtimant, abrogationem illam factam in gratiam Philippi, Regis Galliæ, qui, ut ferebatur, aulicorum perſuaſionibus & ſpe lucri ordinem Templariorum accuſarit; *Bzov*.a.Ch.1307. S.4. *Naucl.* Gen.44.p.244. Philippo enim bona eorum in Galliis ceſſerunt, & in aliis verò locis data ſunt Hoſpitalariis. Sed prolixa hac de re commentaria habes apud *Bzov*.an.Chr.1307. S.4. A.1308. S.2.3. ubi capita errorum enarrantur S.4. A.1309.S.12. A.1310. S.8. A.1311.S.7.8.9. A.1312.S.3. Certum quidem eſt, multas jam pridem de Templariis motas fuiſſe querelas; vide *ſup*.p.507. Conniventiâ tamen Papa faciſè eas tolleràſſet, vel excuſâſſet etiam, niſi abolitione ordinis rebus ſuis conſuli, a'iiſque rem præſtari gratam vidiſſet. Gravis eſt hæreſeos & Apoſtaſiæ accuſatio. Verùm non dubito, quin idem acciderit Templariis, quod aliis, quos Papa ut facilius è medio tolleret, labe hac reddidit infames. Exemplum ſuprà habuimus in Friderico pag.386. Aliud occurrit in Ludovico, qui Hæreticus vulgò audivit. Vide *Naucl*.Gen.44.pag.248. Hic quidem nihil nobis vel ſeritur, vel metitur, ne tamen incertis pugnare videamur pro Hoſpitalariis, conjecturis, *Drexelii* lib.2.de Trib.Chriſti c.3.S.2. apologiam pro iis recitabimus: *Certiſſimum habetur, quod Clementi V. evenit. Qui cùm Templarios, cœtum religioſum*

ſum & diu bonum atque utilem Viennæ in Concilio damnâſſet, & in ſodales ferro atque igne paſſim animadvertiſſet, vel, ut ſcribunt alii, ſæviiſſet à pluribus eorum, uno præſertim Neapolitano equite ad judicium divinum eſt appellatus, ita quidem ut Clemens Pontifex et Philippus Rex *Galliarum ad tribunal ſuperûm citari intra annum ſe ſiſterent. Philippo* R*egi damnationes illæ bono fuiſſe putabantur, Templariorum opibus ad eum devolutis & confiſcatis. Neque vana fuit hæc appellatio, nam intra tempus annuum, uno ſcilicet eodemque anno* 1314. *tam Papa, quàm* R*ex obierunt. Quis neget geniale aliquid & divinum hic interveniſſe, ſupremo Numine conſciſcente?* Plura ejusmodi exempla hoc capite recenſet. Quid, *quod ſuppliciis Templarii pro* M*artyribus culti legantur*; *Naucl.* Gen. 44. p: 244. a.

[c] Monachus enim author eſt pernicioſiſſimi bombardarum inventi. Vide ſup. 666. Confer *Bal.* p. 481. Hoc tormenti genus Venetis primum detulit, cùm contra Genuenſes bellum gererent. Monachus Henricum VII. Imperatorem hoſtia venenata ſuſtulit. *Bal.* p. 367. ex *Nauclero* ut Gen. 44. p. 246. & aliis: *Anno D.* 1313. H*enricus VII.* R*omanorum Imperator, ver-*

ſus Apuliam iter arripiens in aſſumtionis Mariæ festo poſt orationes & ieiunia, Euchariſtia Sacramentorum ſumere deſiderabat. Unde quidam Dominicanus, Bernardus de monte Politiano, eius ex Guelforum conſpiratione confeſſor, præmiis ac pollicitationibus ſubornatus intoxicatam hoſtiam optimo Principi dabat, vertens calicem vitæ (inquiunt) *in calicem mortis.* Mox *ut Imperator ſenſit adeſſe mortem, ſceleſtiſſimo illi Monacho dixiſſe fertur: Domine recedatis. Nam ſi percipiant Teutonici & noſtri devoti malum, quod nobis feciſtis, morte miſerabili moriemini.* Author *Faſcic.temp* p.84 a. *Tandem* Henric*us intoxicatus fuit ſumendo Euchariſtiam.* Hæc *leguntur in libris, & fama feruntur.* De *libris* ipſorum etiam Pontificiorum nemo dubitat. Magno numero recenſentur à *Bzov.* an. Chr. 1313. S. 7. & deinc. Quid? quòd ejus ætatis feſtis, annalibus actis, rythmis, carminibus & epigrammatis publicè eſt divulgatum. Dominicani tamen (& noviſſimè *Bzov.* ejusdem ordinis Monachus a. cit. S. & deinc.) id conſtantiſſimè negârunt, prætendentes, *ægritudine animi, quod vindictæ avidus de hoſtibus, ut vellet ſupplicium ſumere non potuiſſet, animam Imperatorem efflâſſe, literis à Papa acceptis, quæ innocentia teſtimo-*

ſtimonium perhiberent. Verum enim verò ordinis iſtius, ſceleris cõmiſſi ſuſpicione exonerari non potuere, quin eorum quàm plurimi in Tuſcia, Lombardia, aliisque locis una cum domibus igne gladioque perirent. Iterum hic inſerere placet *Ioh. Vitodurani* hac de re teſtimonium. Cùm igitur Henricus Imperator Romanus in manu forti & brachio extento ſibi adunguem ſubjeciſſet, & ibi omnia ſecundum omne votum ſuum ordinaſſet, Germaniamque, Longobardiam, Galliam & Italiam ſuæ ditioni ſubdidiſſet, triumpho potito de civitate dicta Piss, pauco tempore evoluto in Apuliam ſibi rebellantem, in aliquot civitatibus Imperialibus, quemadmodum ſupra breviter perſtrinxi, profectus eſt, ut & illam cumRege ſuo contra eum, quaſi contra ſtimulum calcitrantem, perdomaret, & ſuo jugo, ſicut meritò debuit, applicaret. Cũ verò adhuc in procinctu itineris eſſet conſtitutus, ex igne divini amoris medullitus ferveſceret, in tantum, ut deſideranti animo corpus Dominicum, toto mentis affectu percipere geſtaret, ut ſuo voto mox divinitùs immiſſo ſatisfaceret, in quodã loco ad id faciendum ſe multo devotionis ſtudio contulit, quod intelligentes quædam civitates ſibi adverſantes, Capellanum Imperatoris approbati ordinis, *ut fama publica proteſtatur*, quem tamen, ad deferendum ei honoré, reticeo: à quo more ſolito Sacramentum

tum id percepturus erat, Epiſcopatus in proximo ſibi conferendi, & aliorum munerum promiſſione agitatum inſtinctu Diabolico corruperęrunt, *ut latenter in communionis adminiſtratione venenum Imperatori immitteret, & ſic occideret*, quibus ille malignisſimus traditor, &, more Judæ, mercator peſſimus, excæcatus, malitia ſua acquieſcens, poſt S. Sanctæ hoſtiæ Imperatori porrectam refectionem, & ab eo reverenter ſumtam, in communione *calicis venenū in juncturarum digitorum manus ſuæ complicatione, occultè & doloſe conditum, & reſervatum potum vini inviſibiliter immiſcebat*, & Imperatori epotandum præbebat, quo exhauſto, ſentiens ſe Imperator intoxicatum, dixit communicatori: *Video quia intoxicaſtis me, & ideò quantò citius poteritis fugam inite, ne in ultionem mortis meæ, mihi allatæ, à nobis in fruſta concidamini. Qui aufugiens, Epiſcopatum ſibi promiſſum pro mercede adeptus eſt.* Medici autem hæc notantes perſuaſerunt Imperatori, ut potionem ab eis, quo venenum evacuaretur, & extraheretur, acciperet, ſi ſanitati reſtitui vellet; quibus ipſe taliter reſpondit: *Deum meum ſumſi, cum illo etiam moriar animo libenti.* Nam ſi ei plus vita mea ſuper terra placeret, me utique cuſtodiſſet, vel me adhuc incolumem faceret, & virtuoſiùs & efficaciùs poſſet,

et, quàm vos, cùm omnia poſſibilia ſint apud um. Dum ergo Medicinam recuſaret, intra riduum à carnis ergaſtulo feliciter migravit, ut iè credendum eſt, & deductus inde in civitatem ictam Priss, (Piſam) honorificè ac ſolenniter onditus eſt, regia ut ipſum decuit ſepulturâ. Oiit an. D.1313. anno regni ſui XV. Cal. Sept. de ujus juſſu graviter Dominus de VVirtenberg amnificatus fuit per devaſtationem terræ ſuæ. Hic adhuc vivus & ſanus exiſtens, firmiter decreverat, ſi Domino ſibi favente Apuliam, contra eum rebellantem, ſuo dominio ſubjugaret, nox robuſto, & copioſo exercitu congregato, nare transfretare vellet, ad ſubjiciendas ſibi barbaras nationes. In morte Imperatoris verificatum fuit verbum Evangelii dicentis, *Inimici hominis domeſtici ejus*: & Ieremiæ Prophetæ dicentis: *In omni fratre tuo, non habeto fiduciam, omnis enim frater incedit fraudulenter.* Hic erat *regula juſtitiæ, ſumma legis, lux Eccleſiæ, fidei immobilis columna, inſolentium ſilentium, lima correctionis. Zelator præcipuus veritatis, fidelis in commiſſis, conſtans in promiſſis, amator ſedulus latriæ, norma temperantiæ, caſtitatis ſpeculum, liberalitatis exemplum, forma iuſtitiæ, defenſor & patronus pauperum, imitator egregius Evangelicæ doctrinæ.* Hic talis eſt tantus, quod cum maxima

cordis mei amaritudine loquor, veneno necatur, *quod, heu! Chriſtianæ diſciplinæ ruina & plaga pernicioſiſſima fuit.* Nam maximè ei derogavit, quòd in altiſſimo Sacramento religionis Catholicæ homo tantæ ſupereminentiæ interemptus eſt. Nam ubi in noſtris temporibus affluentiſſimè vernat fides credentium, & in Sacramento, *in quo maximè dependet devotio modernorum, ibi nefandiſſimum ſcelus perpetratum eſt, ſcandalum etiam perpetuò duraturum, quod infidelibus nauſeam & diſplicentiam generavit noſtræ profeſſionis, imò inſultant nobis per hoc, dicentes: Si illa ſpecies, quā ſumunt & reverenter Chriſtiani, Deus eſſet, tam horribile & execrabile facinus ſua in ſpecie & participatione fieri nullatenus permiſiſſet,* & quia nobis taliter inſultant, judicio humano, & ſenſuum meorum compellor dicere, & exclamare, dicens: *O Domine quare ſi non juſtè, vel ſi ob aliquam cauſam tibi ſoli notam, ſinere voluſti, quod eſt in tam grande judicium & detrimentum fidei? Quare ergo, ſecundum verbum Sapientis, non invocaſti tua ſigna, & immutaſti tua mirabilia, ad demonſtrandam potentiam dexteræ tuæ, & ad firmandam plebis fidem, ſicut cæcum à nativitate illuminare voluiſti, ad manifeſtandam gloriam tuam, &*

Laza-

azarum quadriduanum in monumento jam tentem reſuſcitare? Sed quando iſta revolo in mente mea, & Domino objicio, per modum argumentationis, & altercationis, quem admodum fecit Domino Ieremias Propheta dicens, quaſi diſputando & contendendo: *Quare, Domine, impius proſperatur in via ſua: Rurſus confligendo in me ipſo, in memoriam reduco, quod conſilia Domini, & cogitationes nemo movit, & judicia homini abſcondita, & inſcrutabilia ſunt.* Et ſicut in Ezechiele Propheta dicitur, *quoniam ſicut Cæli exaltati ſunt à terra, ſicut viæ meæ, à viis veſtris.* Et quod in Eſaja dicitur: *Perſcrutator Majeſtatis opprimetur à gloria.* Et David dicit in Pſalmis: *defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* Et ſic cogitando iſta, Domini potentiam, & Majeſtatem ſapientiæque infinitatem, & meam fragilitatem, ignorantiamque perpendo, & decidens in me ipſum, obſtupeſco, meamque curioſitatem, & præſumptuoſitatem reprehendo, & agens pœnitentiam tales frivolos cogitatus poſtpono, & Deo ſicut debeo, totum committo: *Tamen concludendo ſermonem, iam habitum, dico, quòd Religioſus ille, qui intoxicavit invictiſſimum Imperatorem, Chriſtianitatem profanavit, confudit ordinem, temeravit imperium, corrupit quicquid*

quid erat Religionis , quod legis , quod vitæ, quod morũ, quod fidei, quod diſciplinæ , quod ſacerdotalis dignitatis , quod Monachalis reverentiæ, perdidit & confudit. Quidã aiunt, quòd, poſtquam Mediolanum cum labore & alias civitates ſibi rebelles expugnâſſet, tandem civitatem Priss (Piſam) obſedit, in cujus obſidione propter nimium laborem ſuum, apoſtema incurrit, quod præſenſit, in aſſumtione beatæ Virginis corpus Chriſti percipiens, & de hoc exierit ſermo, quòd in calicis participatione intoxicatus fuiſſet. Electus fuit in Franckfurt, circa feſtum S. Martini, & in Regem Romanorum conſecratus eſt Aquisgrani in Epiphania. Quod hic Imperator ſanctus & incontaminatus fuerit, & à peccatoribus gravibus ſegregatus, in multis virtutum ſuarum inſignibus, quæ cauſa brevitatis dinumerare omitto, luculenter apparet, ſpecialiter lucet, luce clarius in hoc, quòd ſentiens ſe in communione, ab illo malefico Monacho, filio Diaboli, cujus opera fecit occidendo caput Eccleſiæ nobiliſſimum, imò vero totius mundi, ſi vita ei comes affuiſſet, intoxicatum ipſum charitativè admonuit, ut fugeret, ſi mortis ſupplicium evadere vellet. Dico autem, explanando dicta mea; H*unc Monachum filium Satanæ extitiſſe, faciendo opera eius, occidendo Cæſarem, quia ſecundum Evangelium Iohannis: Dæmon ab*

ab initio homicida fuit, & in veritate non ſte-tit. Ergo bene dico, quòd hic filius eius erat, non filius Abrahæ, quia opera eius non patra-bat. Vnde dicitur: Patrem ſequitur ſua pro-les. Tunc temporis, puer ego exiſtens, audivi, quòd fratribus Minoribus, in terminis anno-nam petentibus, multa contumelia irrogata fuerat, & multi terrores, multusq́; contemtus, quia primo rumor, & poſtea, vulgaris exiit de iis, quamvis immunes ab illo immani crimine, per Dei gratiam, ipſos præſervantem, penitus fuerint, quod Regem Romanum veneno pere-miſſent, non tamen dico, *quod ordini, quicun-que eſt, ſit imponendum, interficientis unica & ſingularis malitia, cum cæteri illius ordinis malefactori aſſenſum non præbuiſſent,* nec con-ſcii ſibi criminis illius extitiſſent; unde reatus il-lius extendendus non fuit in cæteros vel ſingulos ſui ordinis, ſed ſolum in delinquentem. Unde jus dicit: Delictum perſonæ non debet redunda-re in damnum Eccleſiæ. Ergo à ſimili non in da-mnum totius ordinis: Iterum jus; pœna ſuos de-bet tenere auctores, nec eſt ulterius protrahenda quàm delictum ſit, in excedente repertum. Item jus dicit, quòd vitia perſonalia non tranſeunt ad ſucceſſores. Item Moyſes in ſacra Pagina dicit: Filius non portabit iniquitatem patris, nec è con-verſo. Item Ezechiel, anima quæ peccaverit,

ipſa

ipſa morietur. Quod etiam in Homilia ſuper Evangelium Matthæi dicitur: *Non fuit ſocietas tam ſancta ab initio mundi, in qua reprobi non eſſent, incipiens hoc diſſerere, in tentatione, & ſocietate* Angelorum *in cœlis: quorum multi mali fuerant inventi, & ideo de Cœlis eliminati, & in aërem caliginoſum detruſi, & in Dæmones converſi.* Unde Iob. In Angelis ſuis reperit pravitatem. Item Chriſtus duodecim elegit viros ex toto mundo, quorum unus Iudas Iſcharioth peſſimus fuit, tradendo Chriſtum ex avaritia nimia pro XXX. denariis in mortem, ſicut & ille ſceleratiſſimus hominum fuit. Item, poſt aſcenſionem Domini, Apoſtoli elegerunt ex omnibus diſcipulis, imò ex cunctis fidelibus VII. Diaconos, quorum unus Nicolaus Antiochenus; ſicut habetur in Actis Apoſtolorum, malus exceſſivè fuit: quare ergò, ut iſta verba introducta Sacræ Scripturæ applicem, & coaptem propoſito meo, Michael Angelus, deterior dici deberet propter culpam Luciferi & aliorum malorum Angelorum ſecum corruentium? Vel, cur malitia ejus in bonos extendi deberet, cùm non eſſet conſonum rationi. Quid demeruit Petrus in nequitia Judæ? Quid Stephanus in Nicolai Antiocheni perverſitate? Sic dico in propoſito: quid peccavit in ſcelere iſtius maligni traditoris? Nihil ergo cæteris ſui ordinis Fratribus nunc eſt imputandum, *his aſto; quanquam multi ex iis*

præ-

præſertim in civitate Turicenſi, lætati fuerint, invidiæ ſtimulo agitati. Quando primùm divulgatum erat de Fratribus Minoribus, & poſteà comperta rei veritate Fratres Minores percipientes hoc è contrario de interitu eorum, non tam affectuosè, ſicut debuiſſent, fuerant conturbati, quia unus ex iis author fuit ſceleris non omnes. Patet etiam ſanctitas Imperatoris in alio, quia poſt ſanctionē Euchariſtiæ, cū qua venenum hauſerat, repudiavit omnem medicinam, per quā evacuaretur venenum, *ne Deo & ſuo Sacramento contumeliā & irreverentiam inferret*. Hæc duo allegata & in medium producta pro Imperatore, attollunt eum, & reddunt ipſum laudabilem & glorioſum in ſecula tam in Eccleſia militante, quàm triumphante; Quis unquam audivit talia, quod inferenti ſibi mortem, non ſolùm indulgebat, verùm etiam charitativè admonuit, ut fugâ acceptâ vitam ſalveret, ne pœnas mortis ejus exſolveret, & crudeliter mactatus & diſcerptus lueret? *Hoc raro vel nunquam in primitiva Eccleſia viſum eſt*. A ſeculo autem non eſt audita tanta reverentia, quantam Ipſe corpori Chriſti exhibuit quod potionem expulſivam veneni à medicis & ſanatiuam, accipere recuſavit, ne Sacramento injuriam irrogaret, malens vitam cunctis deſiderabilem perdere, quàm cum Dei, & ſui Sacramenti contemtu ultra vivere. De ipſo audivi, quòd eo Romæ,

mæ, ut ſupra dixi, moram contrahente, tantu cruor per Romanos & Germanos, mutuò quaſ quotidie acerrimè confligentes, effuſus eſt, u uſque ad talos hominibus tranſeuntibus vicos attigerit, Germanis tamen frequentius prævalentibus. Propter prædicta & alia ſuarum virtutum inſignia, mortem ejus pretioſam non ceſſo dolere, Eccleſiæ immaturam & nocivam. Sic *Avent*. pag. 746. *Inter hæc in Italia Imperator* Henricus *VII. Cæſar Auguſtus duodevicesimo Calendas Septemb. celeberrimo Chriſtianorum die feſto, in ſacra æde, à Bernhardo Dominicano (qui auro male ab inimicis Cæſaris conciliatus fuerat) cæleſti victima toxico oblita, atq; polline* Adamantina *(quam præſens venenū eſſe aiunt) ſacræ optimi Principis potioni indito, novo & inaudito exemplo extinguitur. Ita non ſolum in faſtos, annales, acta relatum eſt & Epigramma in eiusdem ceremoniæ conſecraneis extat, & antiquis more maiorum celebratum eſt carminibus.* Confer *Vrſper*. Par. pag. 312.

[*d*] Id quod ex præcedenti patet Vitodurani teſtimonio. Confer *Anal*. P. 1. p. 26. Et querelam *Fel. Fab*. in Hiſt. Suev. p. 147. ubi etiam ordinem excuſat, & malevolorum nequitia hanc de Monacho excitatam famam perſuadere ſcilicet conatur.

[*e*] Ab-

[e] Abundè hoc probat Catalogus Theologorum Scholaſticorum ſupra *Geneb.* exhibitus. Multum cumprimis Angli deferunt in his ſtudiis Guilelmo Maklesfelde, *Bal.* pag.361 *Iohann Duns* Scoto, *Id.*pag.362. cujus jam ſuperiori etiam ſeculo meminimus,p.347. Eum & alios ejus ſcenæ Philoſophos, qui obſcuritate verborum S. Theologiæ veritatem involverant, *negotium perambulans in tenebris*; *Ioh.VViclevius* vocare ſolebat.

[f] Certabant enim magno cum plebis ſcandalo, Dominicani & Franciſcani in cauſa Johannis 22. vide ſup. p.738. Confer *Anal.* P.1.pag.26. Unde etiam nunquam defuerunt, qui maſculè ſe ordini huic oppoſuerunt, ut ſuo loco dicemus.

[g] *Teutonibus* crucigeris exprobratur perfidia, *Bzov.* an.Ch.1331.S.15. *Hoſpitalariis* luxus & ignavia an. Ch.1343. S.19. *Aliis* inſignis temeritas & perjurium, *Bzov.* an.Ch.1380.S.14. *Aliis* regnandi libido; *Id.*an.Ch.1375.S.19. *Aliis* amor conſcendendi culmen Papale præpoſterus; *Naucl.* p.264.b.

[h] Sic *Raynaldus*, Archiepiſcopus Ravennas cùm videret Benedicti & Auguſtini familias laxiore vivendi inſtituto à vetere diſciplina plurimum defeciſſe, vivendi leges iis præſcribit, quas reperis apud *Bzov.* a.Ch.1321. S.15. Et de Bonif. VIII. commemorat *Platina*, quòd ordinē Gran-

Bbb dimon-

Queruntur, I. *inconſultas* & inconſideratas iiſte Paparum *Excommunicationes*. Vide ſup.pag. 73. Confer Decret. Ludov. contra Papam apud *aucl.* Gen.44.p.251.

II. *Papam falcem ſuam miſiſſe in meſſem alie- :m.* Ib.

III. Magna Eccleſiæ damna intuliſſe, *ſedis ınslationem*. *Geneb.* de Clement. V. Burdegal. p. 91. *Tranſtulit propter ſeditiones Italicas, qui- us mederi non poterat, magno Chriſtianorum ıcommodo, ſedem Pontificiam ab urbe Roma venionem Galliæ urbem, ubi ſucceſſores man- ſre an. 70. quod captivitatem Babylonicam :ali appellabant, uſq; ad Gregorium XI. id eſt .Chr.*1371. H*æc autem ſedis Apoſtolicæ trans- ıtio valde fædavit (NB) antiquam Eccleſiæ ıciem. Nam præter inauditas diſpenſationes, & Sanctorum Canonum enervationes, periit llud divinum jus, ſecularia ſecularibus, & egularia regularibus maximè in Gallia, dū Pontifices hujus transmigrationis plus quàm Babylonicæ (nam obſervantiam regularem, liſciplinam Eccleſiaſticam penè totam, jura leniique confudit, corrupitque) Patriæ & Principibus impiè favere geſtiunt.* Naucl. Ge- ıer.44. p.243. *Tum in Galliam primùm Pon- ificia ſedes translata eſt magno cum omnis*

 Chri-

Chriſtianæ Reipublicæ *malo, tum urbis Romæ præſertim incommodo. Nam cum duraret hæc abſentia annos penè 70. cœpta ſunt & ſacra negligi, & civilitas* Romana. Onuph. ſub fin. P. 2. de Pontif. ait; *Infinita mala, cædes, rapinas, & demum tanquam omnium miſeriarum cumulum longiſſimum 46. annorum* Schiſma *exortum eſſe.* Et de Clemen. V. *Hic Pontifex toto tempore ſui Pontificatus* (electus autem erat 1305.) *in gratiam* Regis *Francorum, cujus opera, aſtu tamen Cardinalis Pratenſis,* Regis *amici, Pontifex* Maximus *factus fuerat, ultra montes in* Gallia *ſtetit; quem & ejus ſucceſſores in hoc imitantes, quum omnes uſque ad Gregorium P. P. XI.* Galli *fuerint*, R*omanam curiam maximo incommodo, non modò urbis Romæ, ſed & totius Chriſtiani orbis ultra montes tenuere ſede Avinione in Provincia locata.* Vide eundem in Greg. XI. p. 235. *Stellam* & *Plat.* in eodem; & Clemen. V. Gregorium ut reverteretur ſcribit *Plat.* & *Naucl.* p. 259. a. maximè permoviſſe verba cujuſdam Epiſcopi, *qui interrogatus à Pontifice, dum ſimul inambularet, cur non rediret ad Eccleſiam ſuam, quam haud par erat tam diu ſine paſtore nudam relinqui. Cur, inquit, tu ſumme Pontifex, cæteris exemplum*

plum daturis, tuum Epiſcopatum non repetis. Eccleſiamque Romanam? Imò quantò malorum ilias ex Papæ abſentia Romæ nata ſit, locis ſacris devaſtatis, & à brutis occupatis, ſtudio & ardore peregrinantium penè extincto, patrimonio Petri à tyrannis ſubacto, Eccleſiis ſitu & ſqualore corruptis, idem Platina Romanorum querelis exprimit in Urb. VI. Habet aliquid de moribus propterea ad exitiũ labefactatis (quod ipſum *Platina* fatetur & *Stella*) *Bal.* Cent. pag. 438. Carmen, quo Petrarcha Papam Avenione Romam invitat, *Bzovius* recitat an. Chr. 1342, S. 3. Itinerarium verò Gregorii XI. die 13. Sept. a. 1376. inceptum carmine conſcripſit Petrus Alectenſis, Epiſcopus Senogalliæ. *Id.* an. Ch. 1376. S. 31.

IV. *Novitatis ſtudium* detrimento fuiſſe Eccleſiæ Romanæ inſtitutis, & animos ſubditorum inter ſe commiſiſſe, proclive eſt conjicere. *Plat.* de Ioh. 23. *Adeo rebus novis Pontifex ipſe ſtuduit, ut & ſimplices Epiſcopatus bifariam diviſerit, ac diviſos in unum redegerit, & Abbatias in Epiſcopatus, & Epiſcopatus in Abbatias viciſſim tranſtulerit. Novas quoq; dignitates, nova Collegia in Eccleſiis conſtituit, ac conſtituta prius in aliam formam tranſtulit.*

V. *Pruritus ea edendi decreta*, quæ ipſi authores igni expianda judicârint. Scribunt quidam,

Nauclero teſte Gen. 44. pag. 246. b. & *Avent.* p. 751. *Clementinarum librum Clementem propter multos laqueos in fine pœnitentem revocâſſe, & comburi mandâſſe; quem tamen Iohannes* 23. (ſic numerat. Plat. alii 22.) *confirmavit, mandavitque Doctoribus omnibus publicorum gymnaſiorum, ut librum ipſum publicè legerent.* *Plat.* p. 250. Quas verò turbas dederit, Vitoduran. verbis expreſſimus, quod & *Naucler.* confirmat pag. 247. a. Atque hæc à Benedicto, qui Johanni ſucceſſit, rurſus antiquata ſunt, *Avent.* l. 7. p. 751.

VI. Accedunt horrenda *Schiſmata*, quibus Eccleſia Romana hoc Seculo fuit vexata, quæ rutuba variis dubiorum vinculis innexuit non plebeios modò, ſed & viros doctos. De *Vrbano VI.* & *Clemente VII.* ſcribit ſequentia *Nauclerus* Gen. 47. p. 260. *Vrbano Italia, Germania, Pannonia, Clementi verò Gallia, Hiſpania, Cathalonia & Britannia adhæſerunt. Aſſerebant obedientales Clementis, ſuum eſſe verum Papam, ex electione libera, Vrbanum Apoſtaticum & Antipapam ſcribentes, ſequaces ipſius ſchiſmaticos & execratos. Contrà, obedientes Vrbano, Clementem affirmabant Apoſtaticum, cùm electio Vrbani fuerit Canonica & hoc proteſtati fuerunt etiam ipſi qui Clementem*

tem elegerunt. Nam Vrbanum una cum aliis Cardinalibus canonicè electum per univerſum orbem publicaverunt, etſi etiam fuiſſet illatus metus, tamen poſtea non reclamaverunt, ſed eum venerati ſunt per integrum menſem, ut Petri ſucceſſorem & Chriſti vicarium, & ideo ſchiſmaticos & execratos Clementis ſequaces: multæ diſpoſitiones exortæ ſunt. Vtraq; obedientia habuit religioſiſſimos viros, & quod (NB) majus eſt, etiam miraculis fulgentes, nec unquam potuit quæſtio hac decidi, quin manſerint apud plurimos dubia. Nam etſi neceſſarium eſſet credere, unicum vicarium Chriſti, ſicut unicam Eccleſiam, tamen ſi contingit plures per ſchiſma creari ſummos Pontifices uno & eodẽ tempore non videtur de neceſſitate ſalutis credere iſtum eſſe vel illum, ſed alterum eorum, qui ſcilicet fuerit canonicè aſſumtus, qui autem fuerit canonice electus, non tenetur quis ſcire, ſicut nec jus Canonicum, ſed in hoc populi ſequi poſſunt majores ſuos ſeu Prælatos, ſecundum Antonium. ὦ τῆ ἐπιεικεία συχνῆ. Curà nobis ſemper tam exactam exigunt, demonſtrationẽ, non modò ὑπάρξεως Eccleſiæ ἰσό-τιμον πίστιν λαχούσης, 2. Petr. 1. ſed & Doctorum; quibus ipſis tamen ſatis eſt ſimpliciter credere, eſſe caput Eccleſiæ, etſi vel maximè, quodnam illud

illud ſit, ignorens. Sed hæc ſunt alius loci. Camarinarum de Schiſmatum malis movere purgant Scriptores Pontificii. *Bzov.* an. Ch. 1329. S. 1. *Ludovici & Petri Corbarii Schiſmate non Italiam modo, ſed pene univerſam perturbatam.* Et an. Ch. 1389. S. 1. *Robertus Antipapa Regis & Principum propinquis & familiaribus per exſpectativas ſuas omnia pinguia toto regno ſacerdotia accumulavit, ut ita* Regem & *Satrapas inescaret, atque in gratia & amicitia contineret.* Hinc *maxima querela proborum virorum, qui literarum ſtudiis operam navantes, ad nullos honores potuere pertingere. Omnia erant venalia. Omnia nobiles obtinebant, eaque Pſeudopapæ Simonia ſtatim ſparſa, adeo per totum orbem in immenſum crevit, ut inter Eccleſiæ Miniſtros ejus partiarios, nihil quietum, nihil honeſtum, nihil juſtum, nihil ſanctum relinqueretur.* Et *Avent.* pag. 798. *Tres pro uno tandem erupere perſonati paſtores, & tot annos gregem Chriſtianum dilacerârunt.* Plura de oppreſſo clero & malis Antipapæ artibus habet *Bzov.* an. Ch. 1381. S. 6. de ordinis Hierarchici confuſione an. Chr. 1396. S. 1. Notantur autem Seculo hoc Schiſmata potiſſimum tria. *Primum*, quod numero eſt 27. oſtendunt in *Petro Corbario* Franciſcano, Ludovici Ba-

var

vari ſtudio, contra Iohannem 22. electo. De quo prolixè *Onuph.* p.211, *Bzov.* an. Chr.1328. Sec.10. *Geneb Gault. Faſcic.temp.* Atque hunc multi ſequebantur *Bzov.* an. Ch.1328. S.19. 2. *Roberti*, ſeu *Clementis VII.* adverſus Urbanum VI. & hujus ſucceſſorem Bonifacium VII. aliâs IX. *Onuph. Gault.* an. Ch.1378. Hujus Schiſmatis meminit etiam *Genebrardus* pag. 708. *Poſt Gregorium ingens Schiſma oritur. Itali Italum Pontificem Vrbanum, Galli Gallum in Italia, quem Clementem vulgo appellârunt, qui ſe Avenionem recipit. Alter in alterum cenſuris ſæviebat. Duravit hoc Schiſma 4.36. uſq; ad Concilium Conſtantienſe. Tota Reſpublica Chriſtiana duos tunc habebat Pontifices ab Vrbano & Clemente, &c.* Plura pete à *Bal.* p.440. & p.487. *Paral.Vrſp.* p.368. *Bzov.* an. Chr.1378. S.2. 16. 30. qua fautores Antipapæ enumerantur, quos inter primi erant Galli, quorum judicium habes an.Ch.1381. S.8. An.Ch.1380. S.1. 2.3.4. ubi de miraculis quibus Urbani Pontificatus demonſtratur, diverſis Gallorum ſtudiis, fomentis & incrementis Schiſmatis: Ludovico Duce Andium, Antipapæ ſtudioſiſſimo. Et S.13. fatetur, *Schiſma concitatum maiores vires indies ſumſiſſe; Numine peccatis Principum & populi irritato, ſanctos viros (NB) & eorum quosdam divinitatis ſignis clariſſimos opinionibus*

nibus inter ſe diſcrepantes, Vrbanum alios, alios R*obertum ſecutos.* Rex tamen Caſtellæ fortunæ aleam experturus neutri favere voluit parti; *Id.* an.Chr.1378. *S.*15. Quam deinde ſequenti ſchiſmate viam calcârunt Leodienſes; *Id.* an.Ch.1399. S.5. A. Ch.1381. S.1. Robertus Antipapa emiſſarios ubiq; deſtinat ad Reges & populos in ſuas partes pertrahendos: S.2. Baldus ſententiam ſuam edit pro cauſa Urbani, cujus electionem multi reddiderunt ſuſpectam. An. Ch. 1382. *S.*1. & deinceps; Urbani iterum partes defendit, quem & viſio & miraculoſa adverſariorum repreſſio commendet. *S.*27. Tumultum deſcribit Leodii contra Urbani Pontificis ſequaces ortum. An. Ch. 1384. *S.*7. refert, Cardinalem Reatinum & Bartholinum Placentinum procuratorem cum aliis Schiſmaticis de perdendo Urbano (quem Hæreticum & Schiſmaticum vocabant multi, an. Chr. 1386. S.13.) modos & vias omnes excogitâſſe. Unde aliquot conjurationes, quæ tamen detectæ. *Ib.* & an. Chr. 1385. S.9. Et cùm Concilii tandem authoritate Schiſma tollere, quidam vellent, noluit ſe Urbanus ſubjicere, an. Chr. 1387. *S.*1. quam tamen medelam Robertus crebrò ſuaſit ipſe: S.12. Mortuo Urbano ſucceſſor datus Bonifacius IX. contra quem mox totum orbem Clemens excitavit; a.Ch.1391. S.1. cui etiam conatui omne ſtudium conſecrabat Carolus Rex Galliæ; Nec in

Belgio

Belgio deerant, qui Bonifacio incommodarent. Ib. in ipſa Italia perſecutiones in illum erant motæ; Id. an. Chr. 1392. Et quanquam miraculo Bonifacii regimen ſtabilitum multi traderent, non tamen defuerunt; qui Schiſma foverunt. S. 1.3. De hoc Schiſmate author *Faſcic. Temp.* p. 86. a. *Schiſma 22. omnium Schiſmatum, quæ ante fuerunt peſſimum & ſubtiliſſimum. Adeo enim perplexum fuit, ut etiam doctiſſimi & conſcientioſi viri non valerent diſcutere cui eſſet magis adhærendum. Et fuit continuatum per annos 40. cum grandi ſcandalo totius Cleri, & grandi jactura animarum propter hæreſes & alia devia, quæ tunc pullulârunt, eò quod non eſſet diſciplina in Eccleſia contra hujusmodi. Et ideo ab iſto Vrbano ſexto uſq; ad Martinum V. neſcio quis fuerit Papa.* 3. Schiſma eſt *Petri de Luna*, ſeu Benedicti XI. vel XIII. ejuſque ſucceſſorum uſque ad annum 1424. quo extremum ſpiritum effudit. De electione autem Petri de Luna, ejus fautoribus, aſſeclis, rationibus Schiſmatis tollendi, quas tamen aliorum authoritate Antipapa facilè declinavit, fusè ſcribit *Bzov.* a. Ch. 1394. S. 5. & deinc. Item a. Ch. 1398. S. 1. A. Ch. 1399. S. 2. Ludovici Aurelianenſium Ducis, pro Petro Luna contra Bonifacium ſtudium enarrat an. Ch. 1400. S. 11. quæ exſcribere hoc loco nihil attinet. Sedit in ſua obedi-

bedientia Avenione & Hiſpania annos 22. menſes 9. dies 28. uſq; ad Concilium Conſtantienſe, in quo privatus eſt; verùm in ſua ſententia permanens, contra Concilii Conſtantienſis decreta in Hiſpaniam recedens, & loco munitiſſimo (Paniſcholæ ei eſt nomen) ſe continens usque dum vixit, Pontificatus inſignia retinuit, quod tempus fuit annorum 30. *Onuph*. p. 241. *Calviſ*. an. Ch. 1394. Confer an. Chr. 1398.

VII. Sed & *diſſidia* in legitimorum Paparum electione turbas dediſſe, dubitandum non eſt. Clemente V. ſcribit *Platina*, *quod poſt longam* (*Bzov*. a. Ch. 1305. S. 1. ait, *Cardinales verò undecim menſes in vanum exegiſſe*) *contentionē Pontifex tandem fuerit creatus*. De Iohanne 13. *quod poſt longam* (vide *Bzov*. a. Ch. 1316. S. 1. & *Onuph*. p. 204.) *viginti trium Cardinalium altercationem Lugduni Pontifex creatus in Eccleſia Cathedrali coronam Pontificatus acceperit*. Cùm, mortuo Gregorio, Romani confluerent rogaturi Cardinales, ut Italum ſurrogarent, *diſpoſito* (verba *Plat*. p. 265. b.) *apud ſanctum Petrum Conclavi, collatisq; in Vaticano militum ſtationibus ne tumultu aliquo tanta electio impediretur. Vbi de ineundis ſuffragiis mentionem faciunt, magna contentio ſubito exorta eſt. Tredecim enim Cardinales Gallici*,

ij

ij Pontificem è ſuo corpore volebant. Quatuor erant Italici, quorum unus ex gente Vrſina ad Pontificatum maximè aſpirabant. Inclinabat autem in Gallos, *quippe qui plures erant, res ipſa. Sed fortè fortuna inter Lemovicenſes & reliquos Gallos orta diſcordia, cum utraque pars è ſuis aliquem creari vellet, effecit, ut Bartholomæum Batenſem Archiepiſcopum, patria Neapolitanum, vel, ut alibi legitur, Piſanum, extra Collegium Cardinalium Pontificem crearent abſentem, quem Vrbanum VI. appellârent.* Confer ſeqq. & *Bzov.* an. Ch. 1378. Idem, an. Chr. 1315. S. 1. quem *Interpontificii* Romanæ ſedis appellat primum, refert, *Cardinales locis ac ſtudiis disjunctos, non potuiſſe ad Comitium congregari: quamvis Reges & Principes Chriſtiani, præſertim Ludovicus* Galliarum, Ro*bertus Siciliæ, & Carolus Valeſii Comes ad concordiam, Romanique Antiſtites electionem invitarent. Diſſentientibus itaque purpuratis, neque pacem orbis Chriſtiani curantibus, etiam Principes Europæ per mutuas diſcordias in perniciem alienam ruebant; cùm nullus Cathedram illam Catholicam inſideret, ex qua juſtitiæ palma & pacis olea, bono Chriſtianitatis publico depanguntur.* Vide & an. Chr. 1316. S. 1. quo Iohannes fuit electus.

VIII. Re-

VIII. Recruduit cumprimis *bellum Cæſareo-Pontificium*, quod à Gregorio VII. ad hæc uſque tempora nunquam planè poterat ſopiri. *Quæſtio erat; An Imperatoris electio beneficium eſſet Pontificis* Romani, adeò ut nulli in comitiis Cæſareis ſuffragiis Principum deſignato Regi, neq; adminiſtrandi, neq; regii tituli uſurpandi prius jus eſſet, quàm primarius ſacerdos Dei Opt. Max. legatus, ſuo Numine faveat, & aſpiret. Bulla hoc ſancivit Johannes XXII. *Avent.* l. 7. p. 760. Reſiſtebant Ludovicus Bavarus, & qui cum ipſo faciebant, plurimi divini humanique juris conſultiſſimi, quos in Italia, Germaniis, Galliis, præcipuè Bononiæ & Lutetiæ jure utroque atque ſacris literis peritos, conſulit. Hi omnes reſcripſere, acta & dogmata Johannis adverſus Cæſarem Chriſtianæ ſimplicitati & divinæ Philoſophiæ repugnare. Extant hujuſcemodi Conſilia Theologorum in Bibliothecis, in membranis ſcripta. Contra viceſimum ſecundũ libros quoque edunt hi amici Ludovici, Marſilius Patavinus, Johannes Gandunenſis, Luitpoldus de Bebenberg, Andreas Laudenſis, Myſta Fruxinenſis, Auguſtæ Magiſter Epiſtolarum, Huldricus Hangenor Auguſta ortus, ſacro Cæſaris ſcrinio præfectus, Dantes Aligerius Florentinus, qui tum cultiorum literarum ſeminaſ parſit, quæ paulatim radices egerunt, in herbam exierunt, & noſtro demum ævo maturescunt, tantæ

molis

molis fuit exules literas, obſtrepentibus ubique barbariſ & tyrannis, reducere. Iisdem diebus VVilelmum Occomenſem Franciſcanum, Theologum præſtantiſſimum, atque dialecticum ſuæ tempeſtatis acutiſſimum, duos Collegas ejus, Bonam Gratiam Bergomenſem, & Michaëlem Cæſenatem Franciſcanorum Antiſtitem primarium, ſacrarum literarum, utriusq; juris Profeſſores cum Sacris Antonii Patavini Monachiũ ad Ludovicum veniſſe reperio. VVilhelmum hunc in Anglia ortum ad Ludovicum dixiſſe ferunt. Tu nos pugnis enſe, ferro, armis, à ſervitute aſſere, nos Te lingua, calamo, literis, ſtylo, libris, verbis vindicabimus. Atq; illi omnes certatim diſerti in Rom. Pontificem ſunt, ratiocinationes, captiones ejusdem confutant, argumenta diluunt, teſtimonio divini, humaniq; juris Probant, Iohannem libidine dominandi inſanire, in Chriſti plebem graſſari, & ſi quæ ſunt alia, quæ ex ſcriptis eorũ recitat *Avent*. l. 7. p. 762. Hinc diræ, & execrationes Pontificis in Ludovicum, quas publico ſcripto cõvulſit; *Ib*. Pontificem throno dejecit, inſtituti rationem reddit, *Id*. p. 770. & *Onuph*. p. 211. cujus etiã propter hæreſin depoſitionis meminit *Vitodur*. p. m. 45. aliorumq; qui & ipſi Pontifices infames abdicârunt, pag. 771. ſe tuetur exemplo. Acta Johannis XXII. Occami opera denuo reſcidit, *Id*. p. 779. Cumque Clemens ſextus eandem canturus cantilenam, Cæſarem moneret, ut VVilhelmum Occo-

Occomenſem Hæreſiarcham, ejus Collegas & ſocios Pontifici Maximo dederet, decreta adverſus Iohannem retractaret, opprobria recantaret, edicto perpetuò publicè ſanciret, Imperiũ beneficium eſſe primarii ſacerdotis, nec ante Cæſarem eſſe aut vocari, quàm ille author fieret. Hæc ubi ad Imperatorem relata ſunt, Francofordiæ proceres convocat; mandata Sexti recitare jubet. Fit decretum; hujuscemodi poſtulata, pravá, inepta, antiquata, argutiora denique eſſe, quàm ſimplicitati Chriſtianæ, atque majeſtati Reipublicæ conveniret; *Id.* p. 784. & *Vitod.* p. m. 63. ubi hæc prolixè tractantur. *Vſp. Paraleip.* p. 355. Digna ſunt hæc quæ legantur. Aliis interim libellis pugnat Occomenſis, ejusque Collegæ contra Pontificem, quorum titulos & compendia habet *Avent.* p. 785. 786. Hinc verò quanta malorum lerna & ſentina in Eccleſia fuerat oborta; jã ſup. p. 667. ex *Vitoduranc* monuimus, quod & *Paraleip. Vſp.* p. 353. confirmant. Plura de hoc Ludovici, & Pontificum aliquot Romanorum certamine ſuggerit *Bal.* pag. 371. ex Hieron. *Mariô*, *Catal. Teſt. Verit.* l. 18. p. 716. & deinc. præſertim p. 725. ubi Apologia habetur Ludovici IV. Imperatoris, qua inter alia ventilantur quæſtiones 1. Annon ſit Imperator, qui à Papa non unctus, conſecratus & coronatus ſit. 2. An Iohannes 22. jure pronunciaverit, electionem Ludovici nullam & irritam eſſe. 3. An Papa non habeat ſuperiorem. *Naucl.* Gen. 45. p. 252. 254.

254. Paraleip. *Vrſp.* pag. 353. ubi cauſa huius diſſidii & fomes indicatur.

IX. Nec *Simoniaca artes* frigidius in aula Pontificia tractatæ fuerunt, quàm ante hac. Conſule *Cat. Teſt. Verit.* l. 18. p. 775. & 779. *Naucl.* Gen. 47. p. 263. *Tempore Bonifacii IX. valde infamis curia habebatur de labe Simoniaca, ut beneficia non tam meritis, quàm pecuniam offerentibus darentur; & replevit orbem terrarum indulgentiis plenariis, ita ut parva Eccleſiæ in ſuis feſtivitatibus parvo eas obtinerent pro ſubſidium ipſis porrigentibus, quas tamen circa finem ſui Pontificatus omnes quas contulerat, revocavit, ſub eo prætextu, ut potius eleemoſynæ, quæ pro hujusmodi fiebant Eccleſiis converterentur ad reparationem tectorũ Pauli, quæ corruerant.* Huc pertinent cætera emungendi pecunias compendia 1. *Taxationes*, de quibus *Polydor. Vergil.* & alii, & ex illis *Bal.* p. 413. 436. 2. *Annatæ.* Decrevit Bonifacius IX. non licere cuiquam ſacerdotii, ad quod promoveretur, beneficium adipiſci, priusquam primos anni proventus Apoſtolico fiſco, aut Pontificiæ cameræ perſolveret. *Bal.* p. 441. *Platina*, quem ſequitur *Stella*, dimidium annui proventus exactum eſſe ſcribit, ſolis repugnantibus Anglis, quod & *Balæus* commemorat in Cent. p. 500. Alii hoc pecuniæ aucupium Johanni 23. tribuunt,

Plat. Cauſam hujus latæ legis reddit *Bzov*. a.Ch. 1399. S.5. quòd videlicet Bonifacius *neceſſitate* adactus, recepto jam à temporibus Iohannis 22. more, primos fructus unius anni omnium Ecclesiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantiũ ſuæ cameræ reſervârit. Obſervat aliâs ex *Plat*. *Calviſ*. an.Ch.1391. Annatarum originem vetuſtam eſſe, & primo datas Politico Magiſtratui, inde Epiſcopatibus, tandem Pontifici. Sed & *Geneb*.p.710.ex alio refert,in Concilio Viennenſi ſtatutum fuiſſe, ut ſublatis annatis, vigeſima pars vectigalium ſacerdotalium quotannis Rom. Pontifici penderetur. Mox tamen, hunc ei fortaſſis Annatarum uſum objici & exprobrari poſſe concedit,quæ quidem res, Blondo, & Platina teſtibus, Pontifices Romanos non minus Chriſtiani orbis, quàm urbis Dominos reddidit. 3.*Iubilai*. Hi fuerunt Bonifacii IX. aurifodinæ. Vide *Annal.noſt*. P.1. pag.169. Hinc Clemens VI, Jubilæum, quem Bonifacius VIII. anno centeſimo celebrari juſſerat, in annum 50. (viſione, ſi ſuperis placet, monitus, *Bzov*. a. Ch.1342.*S*.4.) quod diceret, ætatem hominum Jubilæum 100. annorum rarò attingere, tranſtulit. Hic ſecundus Jubilæus, cujus ſolennitatem deſcribit *Bzov*. a.Ch.1350. incidit in a.Ch.1350. *Faſcic.temp.Plat*. *Trith.Calv.Buch.Bal*,p.374.*Naucl*. p.252. Tertius ſecutus fuit 1400. ſub Bonifacio IX. Vide *Buch*. Urbanus Papa an. Chr.1389. promulgata Bulla inſtituit, triceſimus quisque annus eſſet Jubilæus,

læus, ſecundum ætatem Chriſti, qua baptizatus fuit *Chron.Belg.Calv.* Mortuo Urbano Bonifacius ſucceſſor ſententiã confirmavit, adeoq; gemini Jubilæi uſum, fructum, percepit. Sed cum anno 1390. meſſem argentariam non ita divitem, ut ſperaret, fecerat, aliam excutit quercum, & ut itineris moleſtia Germani ſublevarentur, Româ ſuas emiſit bullas *Indulgentiarias.* Eo ipſo enim anno civitati Colonienſi poteſtatem conceſſit diſtribuendi indulgentias: ſequenti verò eandẽ facit gratiam Magdeburgenſibus, hac tamen conditione, ut theſaurarius Pontificis ſemper adeſſet, unde & literis Indulgentiarum ſemper addebatur, eas ratas fore porrigentibus Eccleſiæ Romanæ manus adjutrices. Erat res in Germania prodigii ſimilis, ſi fides habenda *Avent.* annal. 7. p. 802. Bonifacius IX. *inquit*, ut Bojorum animos ſibi conciliaret, tribus Fratribus, Stephano, Friderico, Johanni nepotibus Imperat. Ludovici quarti, ſecularem omnium criminum ſcelerum, ſuppliciorum veniam condonat. Quicunque Monachium voti reus proficiſcatur, ſeptẽ ibidem dies commoratus, quatuor templa Deiparæ virginis, D. Petri, ſacratarum fœminarum, xenodochium ſupplicandi gratia intret, quotidie bona faciat, ab univerſis inferis ereptus, cœlo aſſeritur. Quadraginta piacularii conſtituti ſunt. Erat res tum nova atque inaudita in Germania. Quamobrem ex Bohemia, universa Germania, frequens populus quotidie coibat, ſexaginta

millia hominum quotidie confluxiſſe in acta relatum eſt. Durârunt hæ nundinæ Eccleſiaſticæ à Martio per quinque continenter menſes. 4. *Intolerabiles expilationes* & exactiones bonorum Eccleſiaſticorum. Paraleip. *Vrſp.* p.371. *Innocentius VII. Divi Nicaſii Remenſis Abbate in Franciam miſſo, dimidiatam omnium Eccleſiarum partem elicere conabatur. Cui capto Scholaſtici Academiæ Pariſienſis reſtiterunt, miſſis ad Carolum oratoribus, qui Pontificis e dictum haud æquum eſſe perſuaderent. Audita Scholaſticorum querela Rex exportari regno pecuniam vetat & Eccleſiarum proventus in tres diſtribui iubet, unam in Eccleſiarum inſtaurationem, alteram diſſolvendis earum obligationibus; & debitis, tertiam quotidianis miniſtrorum uſibus aſſignavit.* Ita Pontifex edicti pœnitens ab exactione deſtitit. Unde tot de Simonia huius ſeculi querelæ: Vide *Annal.* P. 1. pag. 42.

X. Nec diffiteri poſſunt ex Pontificibus hujus ſeculi fuiſſe a. *profanos* & impios. De Benedicto XII. conſule *Anal.* pag. 49. ex Vitodurano. b. *Crudeles*, ſanguiſugas &c. De Johanne 22. ex eodem Scriptore teſtimonium dedimus lib. cit. p. 48. c. Fuiſſe, qui *ne vocati* quidem honorem Pontificatus ſumſerunt, contra authoritatem Apoſtoli *Heb.* c. 5. 4. *Naucl.* Gen. 44 p. 247. An. D. 1316

D. 1316. cum vacâſſet Eccleſia poſt mortem Clementis V. duodecim annis propter diſcordiam Cardinalium ad quos ſpectabat electio, qui Avenioni congregati erant. Nam multi Cardinales fuerunt Guaſcones, & hi quærebant habere Guaſ*conem, aliis aliter ſentientibus. Demum in hoc omnes convenerunt Lugduni, ut Iacobus Portuenſis Cardinalis voce omnium eligeret unum. Sed fefellit opinio, nam neque ex una parte, neque ex altera elegit, ſed de conſilio Neapolitani Cardinalis de Vrſinis elegit ſe ipſum. Et quamvis in aliis electionibus quis ſe ipſum eligere non valeat, tamen in electione Papæ non prohibetur, cum ſibi committitur electio.* d. *Vindicta cupidos. Stella* Urbanum VI. vocat *vindicativum Papam*, qui Cardinales quosdam in carcerem ultionis ſtudio compegerit, alios in mari ſubmerſerit. e. *Amicis* & cognatis ſuis nimium *addictos. Stella* de Bonifacio IX. Huic ad ſummam gloriam nihil defuit, *niſi quod nimium cognatis & affinibus ſuis in dandis beneficiis per fas & nefas, atque inde certis indulgentiis aſſentiens magnæ infamiæ notam ſibi conquiſivit.* f. Ipſos illos, quos pro Antipapis vulgo habebant, & aſſeclarum numero, & pietatis ſpecie cæteros ſuperâſſe *Ioh. Vitodur.* p. m. 38. ait: *Petrum Corbarium à Ludovico Romæ ele-*

electum miræ fuiſſe ſanctitâtis, & abſtinentiæ, vigiliis addictum, lenem & blandum. Qui biennii interſtitio jura & officia Papalia exercuerit, Epiſcopos ordinârit, cui plures & obedientiam & reverentiam tanquam vero Chriſti vicario exhibuerint, & beneficia Papalia ab eo receperint. Quod vero Romæ *ab Imperatore electus fuerit inde factum, quod vel privilegio Romanis conceſſum fuerit, alium creare Papam, quoties ſedem, quod tum obtigerat, alio transtulit: Vel, quod Ludovicus memor hiſtoriarum veterum Papam, confirmationem & benedictionem ſibi negantem, jure throno ejicere perſuaſus fuerit.* Imò ſuſpicatur author, *voluiſſe Bavarum cum Romanis, jus elegendi Papam, Carolo M. ab* H*adriano datum, reſumere.* De *faſtu* Pontificum vide *Avent.* p. 769.

[*b*] In *Clero* ut plurimum damnabant 1. *Simoniam.* Vide *Anal.* p. 43. ex *Ioh. Vitodur.* p. m. 94. Memorabilia occurrunt exempla. Confer ἀδηχδν P. III. p. 426. & Bullam Pontificis contra ambitioſos & avaros clericos apud *Bzov.* an. Chr. 1317. *S.* 13. 2. *Ignaviam*, & in functione Eccleſiaſtica væcordiam. De qua Gerſon, *Catal. Teſt. Verit.* l. 18. p. 805. Eduardus Rex Angliæ, qui circa an. D. 1310. vixit, queſtus eſt lugubriter, Papam conferre regimen Eccleſiarum indignis, qui plerun-

runque neque curent ſalutem ovium, nec earum vocem intelligant, nec etiam in ſuis Eccleſiis reſideant: ſed tantùm lucro inhient, reditus Eccleſiarum per procuratores exigentes, & oves deglubentes. Plura addit *Cat.Teſt.Verit.*l.18.p. 775. Quòd ne Pontifex diffiteri auſit, *Bzov.*a.Ch.1313. S.1. 3. *Ambitionem* & *ſuperbiam*, qua clerum hujus ſeculi occæcatum ſcribit *Ioh.Froſſardus* Hiſtoricus Gallicus; *Id.*p.789. Quo etiam luxuries veſtium pertinet, quæ ita invaluit, ut ne à ſecularibus differrent. Hinc Canonicorum Conſtantienſium & Epiſcopi conflictus, de quibus *Fel. Fab.*Hiſt. Suev.l.1. p.158. Comitlis Moguntinis interfuit præter alios? Pontificis legatus, Epiſcopus Canalcenſis, quem (verba ſunt ex *Paraltip. Vrſp.*p.362. quæ etiam occurrunt apud *Bzov.*an. Chr. 1357. Sec.5.) cùm Imperator præſentibus Principibus audiviſſet, reſpondit; Domine Legate, Papa miſit vos ad Germaniam, in qua magnam pecuniam corraditis, ſed in Clero nihil reformatis. Adſtabat autem Cuno de Falckenſtein. Canonicus Moguntinus cum capitlo pretioſo, aureis & ſericis ligaturis conſuto, quod Imperator ſuo capiti imponens, inquit; Sum ne in capitio Cunonis plus militi, quàm Clerico ſimilis? Et intuitus Gerlacum, Archiepiſcopum Moguntinum, ſic affatur: Domine Archiepiſcope, vobis præcipimus ſub ea fidelitate, qua nobis aſtringimini, ut Clerum veſtrum reformetis, tollatisq; abuſum, in veſtibus, calceis, capillis & toto

toto vitæ habitu. Quòd ſi non fecerint, mandetis fructus beneficiorum ſuorum occupari, & fiſco noſtro præſentandos, quos nos in honeſtiores uſus convertemus. Non malè Æſopicæ corniculæ ἐπιμύθιον oſtendit *Iohannes*, Theologus Minor in Clero apud *Bzov.* a. Ch. 1378. S. 38. *Fuiſſe diem, per ambages dictabat, qua cum omnia quæ natura gignere poteſt volucrum, jam in lucem edita, ac veſtita ſuo quæque decore ornatuque eſſent; apparuerit divina ſpecie avis, ſed ea implumis, atque idcirco quæ volitare, ſeq; alere vagando non poſſet: Verum, miraculo Majeſtatis, miſerationeq; inopiæ adductos cæteros volucres, ne fame miſeriaque periret, ex ſuo quamque corpore aliquid plumarum, pennarumq; revulſiße, in illamq; contuliſſe, quo ad cibum capiendum ferretur, victitaretque.* H*anc ubi ſeſe tanto honore dignitateque eſſe haberique cepit, faſtu ſpiritibusque inflatam, tantam in ſe cæteris alitibus iram moviſſe, ut conſenſu ſpoliata, redactaq; ad priſtinam ſit egeſtatem. Perſimili ratione procerum Eccleſiæ ordinem divinitus inſtitutum, ſed initio inopem, deinde à mortalibus locupletatum, per ſuperbiam, & quæ minimè deceret, ætatem agere, &c.* 4. *Tyrannidem*, & uſurpatum dominium. *Bzov.* an. Chr. 1328. & 29. His *diebus in*

Gal-

Gallis querimonia adverſus Clerum exorta eſt, quem dominatione ac devotione ſua abuti, plerique palàm teſtabantur. Vide ſeqq. 5. Πολυπραγμοσύνην: Secularibus enim ſe immiſcebant negotiis, quibus frænum legibus injicere conabantur in Germania, *Bzov.* a. Ch. 1359. S.3. 6. Quæ *Cardinalium virtutes* fuerint Cardinales hoc Seculo, habes in *Paraleip. Urſp.* p.345. *Ab eo tempore* (quo ſedes Avenionem eſt translata) *defecit omnis diſciplina & religio in Cardinalibus, & tres radices vitiorum ſuperbia, avaritia, luxuria validiſſime dominantur.* Nec meliori loco *Epiſcoporum* res erat. *Burchhardus* Archiepiſcopus Magdeburgenſis vir rixoſus, qui bellum ex bello ſerebat, tandem capitur. *Calviſ.* an.Chr.1325. Muneribus corruptus Epiſcopus ad fidei ſociorum votum non animadvertit in eum, qui falſis miraculis Transſubſtantiationē probaturus, hoſtiam cruore infectam populo oſtendit, *atque* ut loquitur *Vitodur.* p. m.58.a. *populum Chriſtianum diu deluſit, ſub ſpecie ſimplicis panis verū & conſecratum corpus Chriſti prætendendo.* Factum hoc à ſacrificulo, ut inopiæ conſuleret, & ſuperſtitioſam plebem in Judæos armaret. *Epiſcopus Auguſtinus* fuit, qui an. Chr.1339. raptu filiæ hoſpitis ſui reddidit ſe infamem. *Vitod.* pag.69.b. Atque hinc eſt, quod ſolutam & laxatam diſciplinam Eccleſiaſticā Pon-

tificii ipſi deplorent. Qua de re prolixè *Bzov.* an. Chr. 1352. Sec. 22. & 1311. S. 5. 6. præſertim pag. 186. *De monſtruoſa & inhoneſta vita Clericorum modernorum, maximè beneficiatorum expedit facere mentionem. Quoniam enim hodie deformiter vivant quàm plurimi in transformatione habituum, nutritura comarum, unguium & barbarum, in diſciplinatione geſtuum, nemo poſſet ſufficienter admirari. Leva oculos toos, & vide qualiter ſe gerant, in forma, imò in deformatura veſtium, tonſura crinium, apparatu menſarum, ferculorum & ciborum, quæ ſigna ſunt deformitatis mentium, iuxta illud: Incompoſitio corporis indicat qualitatem mentis. Vnde iuxta Bernhardum: Clerici aliud eſſe, & aliud videri volunt; habitu milites, quæſtu Clerici, actu neutrum exhibentes. Nec enim pugnant milites, nec evangelizant ut Clerici ventri ſuo non Chriſto Domino ſervientes. Sæpe vidi in Eccleſiis, quod eſt frequens apud Clericos execrabilis & extirpandus abuſus, quod Canonici & alii Clerici ad horas nummarias currentes, & iuxta deſideria cordis ſui per loca varia evagantes, tandem in fine horæ, quando dicebatur:* Benedicamus Domino, *ad chorum*

rum revertentes, ſtipendium horæ percipere abſq; conſcientia minimè formidabant. Unde hac occaſione perverſa in Cathedralibus & aliis ſolennibus Eccleſiis ſæpe accidit, quod dum dicuntur horæ, chorus remanet vacuus, vix duobus vel tribus Clericis ad horas remanentibus, aliis extra chorum evagantibus, ut dictum eſt, in grave ſcandalum ſpectantium populorum. Alii, quod non eſt minus inconveniens vel abſurdum in choro exiſtentes non vacantes Pſalmodiis, ſed bini & trini confabulantur verbis inanibus, riſu & cachinnis, & rumoribus recitandis ſe irreverenter occupantes, divinum ſervitium cum multorum ſcandalo impediunt & perturbant. Confer a. Ch. 1317. S. 17. An. Ch. 1322. S. 20. Unde & Brigitta exulcerata prædixiſſe fertur tempora propter peccata Cleri; *Faſcic. temp.* p. 86. a. 7. Sed & Eccleſiaſtica libertas, quæ non modò erat *immunitas* Cleri atque ab oneribus civilibus exemptio, verùm etiam cauſarum forenſium cognitio, non ſemel turbavit hoc ſeculum. Probârunt eam quidem nonnunquã Imperatores ipſi, ceu liquet ex edicto *Caroli* Pragæ pro Clericorum immunitate edito, *Calviſ.* an. Ch. 1359. Idem fecit in curia Metenſi *Bzov.* a. C. 1357. S. 5. & a. C. 1368. S. 1. & 1377. S. 27. Pro ea, à Myſtis, tanquam pro aris certabatur:

tur: ubi alia non licuit ratione, pecunia redimebatur *Avent.* l. 7. p. 754. Si quando pollutam exiſtimarunt, ſacra fieri interdixerunt, *Id.* p. ſeq. Nitebatur hæc immunitas Paparum decretis, de poteſtate Eccleſiaſtica, quæ gladium corporalē, ſpirituali ſubjiciebat, Bonifacii VIII. *Bzov.* a. Ch. 1302. S. *unam ſanctam* &c. Vide *Calviſ.* an. Ch. 1301. & ſup. p. 481. Innocentii VI. qui Eccleſiaſticorum correctionem ſui juris eſſe contra Carolum ſancivit, *Bzov.* an. Chr. 1356. P. S. 6. & an. Ch. 1359. S. 2. Aſſerere etiam libertatē Eccleſiaſticam pro contemto Clero voluit Urb. V. an. Chr. 1365. S. 8. an. Ch. 1368. S. 11. Non aliter Gregor. XI. *Bzov.* an. Ch. 1373. S. 6. Urb. VI. an. Ch. 1383. S. 6. Bonifac. IX. a. C. 1391. S. 9. & 1393. S. 1. & 1396. S. 4. Hæc vero certamina magis conſtitiſſe difficultatibus non obſcurè innuunt annales Pontificii *Bzov.* an. Ch. 1328. S. 34. *Orta eſt per id temporis maxima inter Clerum & cives Moguntinos propter libertates Eccleſiaſticas controverſia: illis libertates & jura ſua propugnantibus: iſtis autem ex adverſo omnia infringere & violare conantibus. Inde cives irritati multa damna Eccleſiis intulerunt, atque multa Monaſteria deſtruxerunt.* Idem mali experti ſunt Colonienſes; *Bzov.* a. Ch. 1396. S. 7. Totus Clerus urbe emigravit, quod tributa dare tergiverſaretur. Rediit tamen, quibusdam pacatus

Digitized by Google

catus conditionibus. Et an. Chr. 1329. S.23. *In Galliis Philippo* Rege *regnante, iterum multæ querimoniæ contra Clerum auditæ ſunt. Prætores Regii conquerebantur omnem juriſdictionem à regiis tribunalibus ad ſacra delapsā, multoque plures cauſas profanas, & inter profanas controverſias cognoſci diiudicarique ab Epiſcopis ac reliquis ſacerdotibus, quàm à regiis prætoribus. Quicunque quacunque de re ſacerdotum decreto non ſteterit, continuo templis arceri, piorumq; communicatione moveri, eoque deventum eſſe, ut qui ſolvendo non ſit, ei aqua & ignis interdicatur.* Pro his tamen juribus cùm Petrus Cunerius verba feciſſet, regem adeo ad vota promptum habuit, ut reſponderit tandem: *Iura Eccleſiarum auxerim potius, quàm imminua velim.* Cujus veſtigia *Ludovicum*, Burgenſium Principem alioſque ſecutos tradit *idem. Angliæ* etiam Regē notat an. Chr. 1349. S.15. pro libertate (cuius zeli ſpecimen etiam dediſſe ſcribit Clerum Anglicum an. Chr. 1378. S.40.) Eccleſiaſtica diploma publicaviſſe, *ut nullus Archiepiſcopus ſive Epiſcopus cauſa cuiuscunque criminis apud ſubſellia regia conveniretur, nullus etiam Clericus, coram tribunali laico reſpondere cogatur, ſed ſtatim atq; dixerit*, ſe membrum Eccleſiæ ſanctæ

eſſe,

eſſe, *ad forum Eccleſiaſticum remittatur.* Mox tamen an.Ch.1351. S.17. impia contra immunitatem Eccleſiaſticam Parlamenti Anglici, regia authoritate coacti,decreta fuiſſe edita,queritur. *Sævitum*,ait, in contradicentes vinculis, exilio &c. Oppoſuit ſe tamen Regi Eduardo Simon, & poſt eum Comgracyus Archiepiſcopus Cantuarienſes, libertatis Eccleſiaſticæ aſſertores & vindices acerrimi. Vide *Bzov*.an. Ch. 1356. S. 11. 1385.S.17. 1388.S.6. Confer eundem an.Ch. 1370.S.19. & 1371.S.5. Alibi locorum quid factum, idem fusè narrat, præſertim an.1356. S.12. deinceps. Nos pauca quædam excerpemus. *Neſcio*, inquit, *quo facto, hoc anno Principes rebus Eccleſiaſticis invertendis, aut imminuendis magnopere inhiabant.* Probat hoc exemplo a. *Caroli Imperatoris*, repetentis literas pro exactione denarii S. Petri à Regibus Bohemiæ & Poloniæ ſedi Apoſtolicæ datis, b. *Petri Caſtellæ* Regis, legem ferentis, ut fructus omnium beneficiorum, in ejus regnis non reſidentium Prælatorum, Cardinalium etiam, arreſtarentur, quod vocant, promulgata, omnia bona & fructus, quoscunque Egidio interceperat. c. *Magni Regis Sueciæ*, qui plurimas pecunias, ſedi Romanæ interverterat, nec reſtituere volebat. d. *Alberti Ducis Auſtriæ*, cujus miniſtri Benedictinorum Monaſteriorum occupaverant, & excluſis Abbate & Monachis omnia bona diripuerunt.

[c]Ple-

[c] Plena (ut de iis nihil dicamus, quæ ad hanc rem ex ſupra dictis repeti poſſent) omnia erant diſſidiorum & tumultuum 1. in *Italia Naucl.* pag.248. Duravit enim adhuc inteſtinum illud Guelforum & Gibellinorum odium. Vide *Plat.* Clem.V. *Bzov.* a. Ch.1346. S.16. *Ferè univerſa Italia perturbata erat.* Novorum in Italia motuum meminit an. Ch.1392. S.2. Plura vide an. Chr.1390. S.2. *Platin.* in Clem. VI. *Cùm Clemens intelligeret totã Italiam in tumultu eſſe.* Et paulò poſt; *Et ne quid deeſſet ad perturbandam totam Italiam, in regno quoque Italiæ magnæ diſcordiæ exortæ ſunt.* De Nicolao Senatore Romano, novas res moliẽte, videatur *Naucl.* p.153.a. quem ſecutus Franciſcus Baroncellus; *Id.* p.255.b. Sed & Florentini, Bononienſes aliiq; Papæ jugum excutiendo, bellum excitârunt; *Id.* pag.258. b. Genuenſes ipſi inter ſe tumultuabantur, *Bzov.* an. Ch.1396. S.2. 2. *Regem Galliarum* Schiſmate Eccleſiam ita vexâſſe, ut divinam propterea ſenſerit ultionem, quidam tenebant; *Bzov.* an. Ch.1392. S.9. 3. De turbis Hiſpaniarũ domeſticis agit a. Ch.1393. S.7. 4. Gliſcentes in *Germania* ſimultates inter VVenceslaum Regem Romanorum, & Sigismundum Regem Ungariæ, fratrem, fuiſſe, habet an. Ch. 1394. S.9. De bello Guilelmi de Dieſch, Epiſcopi Argentoratenſis contra urbem, ſeditione item ruſticorum, conſulantur *Vrſp. Paral.* p.370. 371.

371. 5. *Poloniam* cruccigeri Theutonici perfidè tractabant; *Bzov.* a.Ch.1331.S.15. 6. *VVirtenbergenſem* agrum Nobilium diſſidiis, variis expoſitum fuiſſe periculis, habet *Naucl.*Gen.47.p.263. *Helvetia* in hoc ſeculum prima penè incidunt pro libertate communia certamina. Quæ omnia probant, non à Reformationis demum tempore orbem tot belli urgeri incommodis, neque Evangelicam doctrinam Pandoræ eſſe pyxidem, quæ naturâ ſuâ præter ferrum & flammam nihil ſpiret. Jam ante, inter ejusdem fidei ſocios, quies & pax publica, vel læviſſima ſæpè de cauſa interrupta fuit.

[*d*] 1. Multos puduit & tæduit, rebus *in* Eccleſia penè deſperatis, neminem medicinam parare. Unde *novi* quidam *ordines*; quos tamen Pontificis tyrannis ferre non poterat. *Albati*, de quibus ſupra pag.747. (Ita enim vox vitioſa *Aldrati* legenda) à quodam Presbytero originem trahentes, magno numero Italiam ſub dio manentes, peragrabant, ſtatum Eccleſiæ deplorantes & ejus emendationem expoſcentes. Sed Papa Viterbii presbyterum illum juſſit capi, & in ignem conjici. *Anal.Fland.Cal.* a.Ch.1399.

2. *Alii* fatebantur, Eccleſiam hujus ſeculi, veſtigia primæ illius & Apoſtolicæ deſeruiſſe Prodiit tum *libellus de ætatibus Eccleſiæ*, in quo breviſſimè indicatur, quis ſtatus quoque tempore in Eccleſia fuerit. Id cumprimis agit, ut oſtendat, *fuiſſe primitivam Eccleſiam alienam ab*

ambi-

ambitionibus & affectatione potentiæ, quæ mala poſtea ſerò inoleverint. Imo Papam olim nullum planè primatum ſuper alios Sacerdotes ac Epiſcopos habuiſſe, ſed paulatim creviſſe, & tandem præſentis tyrannidis arcem occupâſſe. Totum libellum habet author *Cal. Teſt. Verit.* l.18. p.734.

3. *Alii* tempora hæc Ætati diluvianæ non modò non ceſſiſſe, ſed & difficiliora fuiſſe, animadverterunt. Vide ſupra p.646.

4. Nec *vota* deerant, nec *vates*, quibus melior Eccleſiæ ſtatus vel prædicabatur, vel poſcebatur. *Vitodur.* p.m.94. *In his temporibus apud homines diverſi generis, imò cuncti generis multos valdè apertiſſimè vulgabatur, Imperatorem Fridericum II. huius nominis, ad reformandum ſtatum omnino depravatum Eccleſiæ venturum in robore maximi potentatus. Adiiciunt quoque homines prædicta ſentientes, quod neceſſe ſit eum venire, ſi in mille partes ſecatus eſſet, imò ſi in pulverem per cõbuſtionem redactus foret, eo quòd divinitus ſit decretum ita debere fieri, quod immutari impoſſibile eſt.* An vero lacinia hæc: *Secundum igitur iſtam aſſertionem cum reſuſcitatus ad Imperii culmen reverſus fuerit, puella vel fœmina pauperi in matrimonio junget virum*

 divi-

divitem, & è converſo, Moniales & ſorores in ſeculo degentes maritabit, Monachos uxorabit, pupillis, orphanis, viduis omnibus & ſingulis ſpoliatis res ablatas reſtituet, cunctisque faciet juſtitiæ complementum: Clericos perſequetur adeo acriter, ut coronas & tonſuras ſuas ſtercore bovino, ſi aliud tegumentum non habuerint, obducent, ne appareant tonſurati. Religioſos, qui denunciando proceſſus Papales contra eum, præcipue Fratres Minores, ipſum de Imperio repulerunt, de terra fugabit. Poſt defunctum Imperium juſtius & glorioſius gubernatum, quàm ante, cum exercitu copioſo transfretabit, & in monte oliveti, vel apud arborem aridam Imperium reſignabit. Hæc, inquam, Vitodurani lacinia, ſit ne ex eorum, qui Eccleſiæ tandem ſtatum à tot adnatis erroribus emuſcatum petierunt mente, neſcio à me, ut credam, impetrare vix poſſum. Num Semichiliaſmum eos ſomniâſſe dabimus? Sed nihil urget. Quicquid ſit, nec cœlibatum Cleri impurum, nec Monaſteriorum uſum ſuperſtitioſum probari ſibi ſignificarunt, quorum hæc vota erant. *Ioh. de Rupeſciſſa, ex ordine Minorum, multa prædixit, mox futura, de duobus Antichriſtis & deſolatione terrarum, & generali conculcatione Cleri, & reductione totius orbis ad fidem*

fidem Chriſti. *Faſcic temp.* l.c. Obſervabant boni multi viri in ipſo Papatu, tenebris ſe plus quã cimmeriis eſſe imbutos: lucis etiam erant avidiſſimi, palpabant tamen pleriq; & nutabant, quòd non clarè ſatis & diſtinctè, ubi & quomodo, lux illa cœleſtis Eccleſia candelabro eſſet reſtituenda, myopum inſtar, viderent.

5. *Devotionem* Romæ penè exſpirâſſe, ipſi queruntur Romani, *Plat.* in Urb. VI. pag. 265. Cuncta verò vitia, crimina, ſcelera, flagitia, quæ hactenus ſub virtutis ſpecie, pietatisque nomine Romanam Eccleſiam inceſſerant, impudendiſſimè, apertéque invaluiſſe, commemorârunt Hermannus & Wilhelmus Occomenſis, Franciſcani; *Avent.* lib. 7. p. 747. Plura de morum hujus ætatis corruptione, & peccandi licentia, Monachorum & Sacerdotum *ἀσωτίᾳ*, & ſceleribus, confeſſionis etiam prætextu commiſſis, ſuggerit *Bal.* ex Wiclefo p. 475.

X. Præter enormitates iſtas, quas uno penè ore Scriptores Pontificii, in Eccleſia Romana ſeculo hoc agnoverunt, alia, præterea, errorum portenta obſervant purioris Theologiæ Doctores, quæ ad tres revocari poſſunt Claſſes. Prima claſſis errores continet [a] *Idololatricos*, ſecunda [b] *Tyrannicos*, tertia [c] *Magicos*.

[*a*] In quibus obſervavimus, *primum* ſpecies, *deinde* fundamentum. *Idololatriæ* ſpecies ſunt.

A. Αρτολατρεία, cùm a. panis à ſacrificulo ex farina triticeo, conopeo incluſus, murium ac vermium moribus veneno quin etiam, non ſine ſcandalo, vide *ſup*. p. 755. obnoxius, pro vero Deo colitur & adoratur. b. Certi dies feſti, panaceo illi Deo inſtituti, rigidè tanquam neceſſaria cultus divini pars, exiguntur. Cùm Urbani IV. de celebratione feſtivitatis corporis Chriſti nec dū ab omnibus Eccleſiis recepta fuiſſet, conſtitutio eam actis Concilii inſeruit, omnibusque obſervandam præcepit. *Bzov*. an. Chr. 1313. S. 1. Et an. 1317. S. 35. *Iohannes XXII. conſtitutionem Clementinam de celebratione feſtivitatis ſacratiſſimi corporis Chriſti omnibus Eccleſiis propoſuit, omnesq; & ſingulos Prælatos ad eam celebrandam auctoritate Pontificia impulit*. Atque ex hinc demum hæ feriæ in Flandria fuerunt obſervatæ. c. Cùm itineribus religioſis, quaſi Numen frequentatur. *An. Chr.* 1384. *cæpta eſt peregrinatio ad oppidum Vilsenacum propter repertam hoſtiam ſanguine tinctam*: *Annal. Flan. Calv.*

B. Μαριολατρεία continuata & aucta 1. Feſto viſitationis (non, ut *Calv*. habet an. Ch. 1388. conceptionis) ab Urbano VI. inchoato, & 6. Non. Jul. ſervari juſſo, *Hoſp*. de Orig. Feſt. p. 80.

Idque

Idque ſecundùm formam Sacramenti Euchariſtiæ propter impetrandam unionem (id eſt, tollendum Schiſma) meritis B. Virginis, *Faſcic.temp.* p.86.b. Bullam confirmationis, à Bonifacio IX. editam habet *Bzov*.an. Ch.1290.S.3. 2. Viſitatione locorum, in quibus imagines B. Virginis Thaumaturgæ habebantur. Sic in *Italia* crevit cultus B. Virginis *Lauretanæ*, ex miraculoſa illa translatione & apparitione, de qua ſub finem P.11. ὁδηγῦ; & *Bzov*.a.Ch.1300.S.25. 26. *Hiſpanis* in admiratione erat *Guadalupenſis*, de qua *idem* an. Ch.1313.S.30. Fatetur per ſexcentos purè annos imaginem in andro Guadalupenſi delituiſſe, donec miraculoſo manifeſtari voluerit. Id ex relatione Monachi ita habet: *Boarius aliquis, qui urbem Cacerenſem incolebat, vaccam amiſerat. Eam cum per ſaltum invium quærens, erraret, tandem in loco, ubi nunc templum cõditum eſt, reperit: ſed mortuam. Cultro experto pellem detrahere volebat, & jam ſeminudaverat, cum per miraculum animal reviviſcens ſurrexit, magnoq; metu Boarium ex ingenti admiratione percuſſit. Sed tamen in momento reverſus ad ſe, Divinã Deiparam magno ſplendore illuſtrem, oculis ſuis præſentem aſpexit, quæ metum excuteret, diceretq;, ne timeret. Adjecit Virgo ſanctiſſima, præcipiens Boario: Ad urbem, inquit, continuò perge, &*

Clerum convoca, ut huc venientes terram fodiant, & imaginem meam procul dubio invenient. Subjungenti Boario: Quod ſi verbis meis fidem adhibere noluerint? Virgo Deiparens ſubiecit. Perge confidenter. Nam quando ad domum tuam perveneris, filium tuum, quem mortuum invenies ad vitã redire iubebis, iſtudq; ſignum dabis, vera eſſe quæ revelo. Hac occaſione imaginẽ effoſſam, in templo magnifico collocatã ita claruiſſe ſcribit, ut miraculorum nullus fuerit numerus. Confer *Av*. p. 797.

C. Ἁγιολατρεία, quæ conſiſtebat 1. in ſolenni quorundam Ἀποθεώσει (hanc enim vocem ipſi ſuppeditant Scriptores Pontificii, *Bzov*. an. Chr. 1322. S. 23.) ſeu Canoniſatione, cujusmodi eſt a. *Cæleſtini* Papæ; *Bzov*. an. Ch. 1313. S. 24. b. *Agnetis* a. C. 1317. S. 6. c. *Friderici*, Toloſatium Epiſcopi, *Ib*. S. 24. d. *Brynolphi*, Epiſc. Scarenſ. *Ib*. S. 39. e. *Thomæ* Herefordenſis, an. Chr. 1320. Sec. 26. f. *Thomæ Aquinatis*, a. Ch. 1322. S. 23. & 38., g. *Elzearii*, Comitis Ariani, an. Ch. 1351. S. 14. h. *Leopoldi* Marchionis Auſtriæ a. Ch. 1358. S. 11. i. Papæ *Urbani VI*. Id. a. Ch. 1370. S. 16. k. *Catharinæ* Senenſis, an. 1370. S. 20. l. *Andreæ Corſini Epiſcopi Feſulani*, a. Ch. 1373. S. 9. m. *Ivonis*; Geneb. Clem. VI. n. *Brigittæ*, *Bzov*. a. Ch. 1391. S. 10. 2. In *tutela urbium*, ejusmodi ſanctis commendanda. Clemens VIII. Neapolitanos piè & prudenter cogita-

Digitized by Google

gitare ſcribit, *quod novum ſuæ civitati aſcive-rint patronum, Civem ſuum, Thomam de Aquino*. Quas verò cauſas hujus inſtituti habuerint Neapolitani, ipſi Deputati in Decreto ſuo edicunt: *Quod*, inquiunt, *ex hac urbe, à nobiliſſima Aquinorum familia, originem trahat: quod hic primum diſciplinis eruditus, quod bonam vitæ partem in hac urbe & ſacra æde traduxerit, quo tempore cives omnes ſingulari ſtudio complexus eſt, eosque publicè ſacras literas docuit, quod hic etiam divinum illud oraculum*; Bene ſcripſit de me Thomas, *audire meruerit*. *Bzov*. a. Ch. 1322. S. 2. 23. 25. & deinc. ubi prolixè de hoc patrocinio, & feſtivitatibus in Thomæ honorem celebrandis. 3. In *celebratione* dierum feſtorum non in Ἀποθεωθέντων tantùm ipſorum, ſed & rerum illis afflictarum potiùs, quàm geſtarum gratiam, indictorum. Benedictus XII. ſolenne feſtũ de *ſacris ſtigmatibus* S. Franciſci toti ſuo ordini colendum conceſſit. *Piſan. Bal*. p. 413. 4. In *itinerum* religioſorum *continuatione*. Frequens cumprimis fuit iter Compoſtellanum. *Vitodur*. p. m. 51. a. *Circiter iſta tempora tam multus populus de diverſis regionibus & nationibus Chriſtianitatis ad viſitandum ſancti Iacobi limina properavit, ut ferè terram ad ſpatium viginti miliarium occuparet.*

D. Εἰδωλολατρεία, ſeu imaginum cultus, ubi tamen notandum, nondum eò licentiam Papiſticam prorupiſſe, ut S. S. Trinitatis, Dei ἀοράτου καὶ ἀβαταλήπτου imagines probarent. Quid, quòd, (*Avent.* lib. 7. p. 751.) Iohannes Papa 22. *quosdã, qui in finibus Bohemiæ atq; Auſtriæ, ſupremam illam Majeſtatem ſenis, adoleſcentis, columbæ imagine (uti adhuc fieri ſolet) pingebant, læſæ religionis accerſivit, Anthorpomorphitas eſſe renunciavit, quosdam ad ignem condemnavit?*

E. Λειψανολατρεία, ubi 1. Reliquiarum *Inventio* & revelatio. a. *Ioſephum Arimatheenſem* an. Ch. 1354. à Johanne Blomæo Londinenſi, cujusdam revelationis ſibi factæ prætextu, ab Edoardo III. venia impetrata, erutum demum eſſe, ex archivis Londinenſibus habet *Vſſer.* Antiq. p. 27. 28. b. An. Chr. 1395. Theobaldus Britonianus Epiſcopus, nonnullas *reliquias* inveniſſe ſcribitur *Bzov.* a. c. S. 9. *Inter alia crucis Chriſti fruſtũ ſatis magnum numeratur, & nonnihil myrrhæ, quam Chriſto Deo infanti tres Magi obtulerunt.* c. *Avent.* annal. l. 7. p. 802. *Noſtri Principes ex Galliis domum reverſi Andechuſii ſacra, quæ ibi condita diutius ſub terra latuere (inde locus* Heiligen Berg / *i. e. ſacer mons appellatur) à Iacobo Dachaver Franci-*

ſcano

ſcano reperta, Monachium transferunt, an. Ch.1388. d.Corporis *Magdalenæ*, à Comite Provinciæ inventi; *Bzov*.an.Ch.1370.S.24. 2.*Translatio*. Calvæ Dominici, (*Bzov*.an. Ch.1383. S.21. Bononiæ facta. 3. *Sudarii* Chriſti Abgaro miſſi. Illud Montaldus, Genuenſium Dux domi compreſſerat, ad a.Ch.1384. quo in Baſilicam S.Bartholomæi Genuenſium deportatum fuit, *Id*.S.12. 4. *Corporis Eulaliæ*; Bzov.an. Ch.1339 S.9. 5. *Avertani*, Carmelitani. *Cùm*, ſcribit idem an.Ch. 1366.S.16. *ex ejus corpore tum ingens ſplendor, tum fragrans odor egrederetur atque diverſis languoribus laborantes inter accedendum ſanarentur, Lucenſes illud in urbem trahere conati, nunquam loco dimovere potuerunt, donec mutato conſilio, & extructo ei templo, ponte ſuper mœnia urbis erecto, illius corpus non per portas, à quibus virum excluſerant introduxerunt, & ſepulchro honorifico indiderunt*. 6. *Aragonum* Rex corpus B. *Barbaræ* à Sultano Babylonio impetrat, renitentibus Ægyptiis cultui ejus addictis. *Id*.S.15. 7. *Aquinatis* etiam corpus apud Foſſæ novæ Ciſtercienſium Monaſterium ſepultum, poſtea verò à quodam Privernatium Dynaſta furto ablatum, tandem Toloſam transportatum Dominicanis reſtituitur; *Id*.a.Ch.1370.S.13. 7. *Feſta & indulgentiæ*, quibus reliquias Sanctorum comitabantur. Innocen-

 tius

tius VII. feſtum inſtituit ſolenne lanceæ, (quæ tamen, ut audiremus, ſuppoſititia erat) & clavorum in Germania & Bohemia; *Bzov*.a.Ch.1354. S.5. 8. *Varia* de reliquiis *certamina*, cujusmodi fuit inter Anglos & Colonienſes an. Chr.1327. de reliquiis *Albani*, utriusque miraculis certantibus, abortum. *Uſſer*. p.330. & 995. Sic de *lancea* Chriſti, ſit ne, quæ inter inſignia Imperialia (& Kiburgi aliquandiu in capſa, religionis ergo frequenter viſitata, *Fel. Fab*. Hiſtor. Suev. p.130.) aſſervabatur: an Romam longè poſt à Bajazete Turcarum Tyranno, Pontifici Innocentio VIII. in λύτρον defuncti fratris delata, an Pariſios Venetiis translata, necdum ſatis λειψανολάτραις cōſtare videtur. Qui ſe conſtringi animadvertunt, *lanceam*, quâ Chriſti latus fuit apertum, Romæ vindicant; cætera *vel particulas deciſas*, *vel limaturas ſaltem deraſas eſſe volunt*. Vide *Bzov*.an.Ch.1350.S.12. & deinc.

[*b*] Errores *Tyrannicos* vocamus, quibus triplex Chriſti Mediatoris & capitis noſtri munus, Propheticum, Sacerdotale & Regium impetitur. *Prophetico* Chriſti muneri adverſabantur blaſphemiæ de verbi Dei, ſacris literis comprehenſi, incertitudine, imperfectione & obſcuritate. Traditionum contra humanarum, ac verbi inprimis Papalis certitudine, perfectione & claritate. Adverſus Chriſti *munus ſacerdotale*, ſacrificium inſtituebant novum, Eccleſiæ primitivæ

tivæ incognitum: novas itẽ ſatisfactiones, applicandas per indulgentias, interceſſiones cœlitum, ad levandos ſcil. ignis purgatorii cruciatus. In *Regium* deinde Chriſti munus Papiſtica tyrannis ita invaſit auſu cyclopico, ut legibus Regni fundamentalibus ſpretis, Papa, velut in demortui Chriſti locum, Regem & Monarcham Eccleſiæ ſe ipſum conſtituerit, judicem ſupremum & ſupremi judicii normam fecerit. Hac tyrannide ſævitum eſt in ipſum Deum & unctum ejus, temeritate plusquam gigantea. Ad homines ubi deventum eſt, cum Domitianis, Diocletianis, aliisque Romanis in Gentiliſmo Monarchis Papæ certare videbantur. Fuerunt enim I. *Tyrannici* (ut brevem ſupra, moratum querelatũ ἀναχεφαλαίωσιν inſtituamus, novis exemplis veſtitam) *Sceptripeta*. Negârunt quenquam ſuis ingratiis imperare poſſe. Qua de re ſupra. Confer *Bzov.* an. Chr. 1314. S. 25. & 1316. S. 4. An. 1321. S. 1. Eo nonnunquam Imperator fuit adactus, ut hanc Papæ ἑκὼν ἀέκοντίγε θυμῷ ceſſerit poteſtatem. Caroli diploma recitat *Bzov.* an. Ch. 1355. S. 6. & 8. & an. Ch. 1346. S. 8. Romæ quid hoc loco præſtiterint Papæ, doceant nos Scriptores Pontificii. *Stella* in Bonifac. IX. *Primus vim omnem populi Romani in Pontificem tranſtulit, creatis ſuo nutu Magiſtratibus & munitus urbis fortalitiis.* Ita alii. II. Fuerunt vafri & crudeles *crumenimulgi*. Quis artes illas recenſeat omnes quibus

Papæ

Papæ totius penè mundi divitias corraſerunt? Johannes cumprimis 22. tantam in theſauris reliquit vim auri, quantam nullus Anteceſſorum; *Platin. Stell.* ſcilicet drachmarum 205000. *Bal.* p. 373. Exactionum nullus erat finis. *Anglia* iterũ Paparum fuit aurifodina vide *Bzov.* an. Ch. 1361. S. 9.) Rex juſſa exequi tergiverſatus graviter à Pontificiis flagellatur; *Id.* an. Ch. 1462. S. 2. Antipapæ quid tentârint in Gallia, habet idem an. Ch. 1381. *S. 6.* ubi duo inſignia pecuniæ aucupia, annatæ, & gratia expectativa. Multum poterant novæ feſtivitates, quibus Romam pellecti homines patera libabant & aurum *Bzov.* an. Chr. 1390. S. 4. III. Ne à *Pſychotyrannide* mentem & manum abſtinebant. Conſiſtebat hæc tum in aliis, tum præſertim in tyrannico clavium abuſu. Sacris & profanis interdicebat, quicunque eum quocunque modo læſiſſent. Unde *Excommunicationum & Interdictorum* fulmina frequentiſſimè hoc ſeculo vibrata, quibus & ſolo & cœlo Pontificio proſcribebantur.

In hoc Cæritum ſeu excommunicatorum albo reperiuntur aliquot. Hac clavium uſu caſtigavit a. Bonifacius VIII. *Ungaros*, Carolum pertinacius recuſantes; *Bzov.* an. Chr. 1301. Sec. 5. b. Regem Galliarum, *Philippum* (*idem*) quòd Ariminenſem Epiſcopum ſedis Apoſtolicæ pro expeditione in terram ſanctam, internuncium deſtinatum, in vincula conjecerit; & neque rebus Syriacis afflictis auxilium ferre, neque pecuniam

cuniam ſacram toto triennio in uſus belli Syria-
ci, authoritate Pontificia collectam, in fiſcum
autem regium illatam, poſtulanti Bonifacio re-
ſtituere voluerit, nec non Apamienſem Epiſco-
pum calumniis intolerandis oppreſſum, quòd
audaciam Palatinam paulò animoſius increpuiſ-
ſet, officiique erga Romanam Eccleſiam Regem
& aulicos liberè admonuiſſet, in ergaſtulũ con-
cluſerit, neque omnino ad ſummum Pontificem
provocantem, dimittere voluerit. *Id*, S.7. c. Idem
Columnenſes; an. Ch. 1303. S.10. d. Clemens V.
Robertum, Piſtorium obſidentem comminatio-
ne anathematis deterruit; an. Ch. 1305. Sec. 16.
e. Idem *Vngaros* ad ſuſcipiendum Carolum diris
movere conatur; an. Ch. 1308. *S.9.* f. *Veneti* ſæ-
pius hoc fulgetro terrebantur, à Clem. V. a. Ch.
1309. S.3. quod civitatem Ferrarienſem, ejusque
comitatum invaſiſſent & occupâſſent: Principes
etiam reliquos in eos Papa concitat, bonaque
eorum publicat: S.17.18. Initio hæc terricula-
menta Venetis luſus erant & jocus, tandem ve-
rò Franciſci Danduli opera interdicto exſolvi
nituntur; an. Chr. 1310. S.15. Formulâ mandati
procuratorii Venetorum pro impetranda abſo-
lutione Excommunicationis recitat S.16. Ipſam
verò Papæ Bullam Clementis habet an. Ch. 1313.
S.29. g. Iohannes 22. *Matthaeum* Vicecomitem
Mediolanenſem, *quod poteſtatem ſummi Pon-
tificis & Eccleſiaſticam, anathemate damna-
tus*

tus contemneret, hæreticis ab Eccleſia damnatis, favorem, conſilium & auxilium præſtaret. &c. ac ferè nihil eorum non perpetraret, quo ſe hæreticum ac hæreticorum fautorem probaret. a.C.1318. S.2. anathemati tertium, *Mediolanenſes* verò interdicto ſubjecit, an.Ch.1319.S.3. & 1320. S.2. Idem ſtringitur gladius in aſſeclas ejus a.Ch.1322.S.11. confer a.Ch.1341.S.2. h. Idem *Robertum* Scotum, quòd pactis (fortè iniquis) non ſtetiſſet, & arma interdicta in Eduardum Angliæ Regem moviſſet, ferit atque Scotiæ univerſæ ſacris interdicit, a.Ch.1318.S.11. i. Ab eodem *Ateſtini* ob Patavinum bellum excommunicantur, an. Chr.1319. S.4. k. *Fridericus* Rex, cùm monitiones Pontificias contemneret, diris omnibus una cum univerſis Siculis devotus eſt, an.Chr.1320. S.13. l. *Fridericus Monteſeltrius* Pontificis Romani hoſtis non ſemel anathemate damnatus, ab Urbinatibus crudeliter trucidatur, an.Ch.1322. S.17. n. Hanc ſortem experiri voluit Johannes 22. aliquoties *Ludovicum Bavarum* 1. quòd ſubſidia miſiſſet adverſus Pontificios Galeacios an. Chr.1323. S.3. 2. quòd præter alia, Imperatoribus propria munera, præter conſenſum ſummi Pontificis ante inaugurationem & renunciationem conſuetam, exercuerit, Hæreticorum & aliorum ab Eccleſia damnatorum curam tutelámque ſuſcipiens eos militaribus copiis adjuverit, ad oppreſſionem Pontificiorum

ciorum totis conatibus latus fuerit; Pontificiam auctoritatem, ſedisq; Apoſtolicæ ſuper omnes Chriſti fideles primatum contumax contempſerit. *Bzov.* an. Ch. 1324. S. 1. quæ ſententia, cùm anno eodem repeteretur, *Ludovicus* appellationem ad Concilium interpoſuit S. 11. Mox iterum ob jurisdictionem uſurpatã aliud ſequitur fulmen, S. 28. quam crudelitatem continuavit Bened. XII. an. Chr. 1334. S. 15. & 1340. Sec. 9. *Vitod.* p. 63. a. b. Clemens VI. *Bzov* an. Chr. 1345. S. 8. cumprimis an. Chr. 1346. S. 1. quod anathema vocat graviſſimum. Urbanus VI. qui bellum ſacrum contra eum indixit an. Chriſt. 1384. S. 2. o. A. Ch. 1324. d. 10. Novemb. Anathematis cenſura notati fuerunt *Ægidius de Biſſis*, Abbas Claræ-vallis, & *Beltram de Vedamo*, Abbas Morimundenſis, Diœceſ. Mediol. quod neceſſaria ſubminiſtrâſſent exercitui Modoetiam obſidenti, S. 15. p. In *Brugenſes* etiam anathema pronunciavit an. Ch. 1326. S. 14. q. Cùm in ipſum inveheretur Iohannem 22. *Michael Ceſanas*, Minorum Generalis, diris eiusdem devovetur an. Ch. 1330. S. 6. 7. r. Idem *Petrum Corbarium*, cum omnibus ſequacibus, eadem cenſura caſtigavit, a. Ch. 1330. S. 10. Benedictus XII. Bononiæ *Populos*, eorumque complices anathemate percuſſit, bona eorum publicari imperavit, civitatique univerſæ ſacris interdixit, a. Chr. 1337. S. 4. Iteravit anathema eodẽ anno S. 13. in omnes *Bononienſes*, t. Eodem rigore egit cum *Rege* Bohemiæ, & Conſilia-

ſiliariis, Ib. S. 6. u. *Petrum*, Tinacriæ Regem Benedictus XII. ſacris cum univerſa Inſula mulctavit, an. Ch. 1338. S. 14. x. *Alfonſus*, Rex Luſitaniæ, non parùm a. Ch. 1350. Clementem Pontificem offenderat. Aliqui proceres Luſitani, Eccleſiæ injurii, libertates Eccleſiaſticas violarent: ſed nō impune. Mox enim cætu piorum excludebantur, omnibus diris devoti; *Bzov.* an. Chr. 1350. y. *Franciſcus Ordelaffus* Forolivienſis, Malateſtarū imitatione, loca nonnulla Pontifici eripuit. Deſiſtere juſſus cùm non pareret, in eum Innocentius VI. tanquam in Hæreticum & Romanæ Eccleſiæ hoſtem anathema pronunciavit, ſacris in omnibus locis, quæ occupaverat, interdixit, & bellum ſacrum in profanum edixit. Ad ſonitū campanæ, quando diris devovebatur, etiam ipſe alias campanas pulſabat, & in ſummum Pontificem atque Cardinales ex aliqua materia effictos ac fæno infartos, anathema pronunciabat, nec non clerum ad ſacra obeunda per vim compellebat. Quòd ſi qui contrairent, eos ad necem dabat. Septem Sacerdotes furcis appendit & totidem vivos excoriavit, quod ſacrificare noluiſſent, &c. *Bzov.* an. Chr. 1354. S. 17. z. *Barnabas*, Vice-comes eandem ſubiit cenſuram, quòd Sacerdotem ſactam militiam adverſus Ordelaffum Mediolani juſſu Pontificio indicentem, comprehendi, & in cratem ferream dolii inſtar fabre factam compactum igne ſuppoſito torreri circum volutatione, atque cremari imperavit. Deinde

inde Epiſcopum Parmenſem, qui animos Sacerdoti fecerat, Epiſcopatu exuit, aliumq; in ejus locum ſubrogavit, nec non Ordelaffo contra Ægidium Legatum auxiliares copias ſub decem ſignis deſtinavit. *Bzov.* a.Ch.1356. *S.*30. aa. Innocentius V. *Caſtella* univerſæ ſacrorum inſtitium indixit, Rege excommunicato, an.Ch.1357. *S.*1. bb. Cum *Ludovicus*, Siciliæ Rex cenſum Pontifici debitum non ſolveret, anathemate feritur an. Ch.1359. S.15. cc. *Petrum* Aragonum Rex ab Urbano V. ob uſurpationem bonorum Eccleſiaſticorum eundem excipit ictum an.Ch.1364. *S.*4. dd. In *Iohannem*, Siciliæ Reginam ſibi immorigeram, anathema contorſit Gregorius XI. *Bzov.* an.Chr.1375. *S.*23. ee. Idem a.Ch.1376. Id.Feb. Avinione graviſſimam ſententiam damnationis, anathematis, & maledictionis in *Florentinos*, octo viros primum, deinde in reliquos auctores, conſiliarios, ſocios, fautores, executores, & cohabitantes pronunciavit, ſacris urbi eorum interdixit, commercia cum reliquis prohibuit, perſonas (vide quid ſit excommunicatio!) & bona, ubi locorum orbis Chriſtiani invenirentur occupatoribus ſubjecit; honoribus, dignitatibus, & functionibus publicis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, uſq; ad quartam generationem privos edixit, ſepultura Eccleſiaſtica, *etiamſi (NB) eos facti pœniteret*, *indignos judicavit*, & in ſumma, anathema Maranatha illis dixit, *Bzov.* S.14.

Eee ff. *Vr-*

ff. *Urbanus VI.* an. Ch. 1385. 19. Cal. Ian. ad extremum concionis ex ſententia ſanctionis Senatus, erecta cruce, & accenſis candelis, Regem Carolum, Reginam Margaritam, Robertum Antipapam, Anticardinales, Abbatem Montis Caſſini quondam Reatinum Cardinalem, & ſupra nominatos ſex quondam Cardinales, nec non omnes conſiliarios, adjutores, fautoresque eorum verbo, vel facto, inſuper & omnes comedentes ac bibentes cum eisdem, ac quomodocunq; conſcios conjurationis, excommunicavit, Regem & Reginam regno privavit, Cardinales & Epiſcopum, ac alios dignitatibus exuit, & canonicis pœnis mulctandos eſſe judicavit: tum deinde Neapolitanæ urbi, Sacramenta omnia & ſacramentalia ademit, & ſacris omnibus interdixit, & ad indicium demeritæ execrationis, candelā extinxit, inq; terram projecit, *Bzov.* a. c. S. 4. gg. *Bonifacius IX.* in Biordum Michelotium Romæ & ubiq; locorum anathema denunciat, bona ejus publicat, inque proſcriptum bello ſacro indicto, poteſtatem cuicunque facit ampliſſimis præmiis propoſitis, ſi quis viventem Magiſtratui civili repræſentâſſet, demeritis ſuppliciis caſtigandum. *Id.* an. Chr. 1394. hh. *Tigurum* urbs, quòd Ludovico Imperatori adhæreret, excommunicatur à Pontifice, & ſubjacet huic excommunicationi annos 18. Clericos interim nullos habuit, præterquam Franciſcanos Monachos, qui per unam portam ad edictum Papæ exierant,

rant, & per alteram redierant: Ita *Calviſ.* an. Ch. 1331. ex Annal. Helv. Nos paulò plenius de hoc anathematiſmo ex annal. domeſticis P. III. ὁδηγῶ p. 429. ii. Colonienſes cives Archiepiſcopo ſuo infeſti, Tuitium urbem cum Monaſterio excindunt, ac propterea excommunicantur, *Calv.* an. Ch. 1376. Eadem clava potius, quàm clavi utebantur inferiorum ordinum Myſtæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi, Iohannes Iacobi Arragonum Regis filius, Toletanus præſul, à Cæſarauguſtano Præſule anathemate notatur ob prælatam tantũ crucem, quod ſui muneris arbitrabantur Simon Luca Tarraconenſis, & Petrus Luna Cæſarauguſtanus; *Bzov.* a. Ch. 1302. S. 15. Raynaldus Archiepiſcopus Ravennenſis, Friderico, Guidoni, Sperantiæ Comitis Montefeltrani filius & Urbinatibus, quod pleraque Eccleſiæ Romanæ oppida occupâſſent, ſacris interdicit, a. Ch. 1321. S. 5. Iohannes Cajetanus Legatus à Johanne 22. miſſus, anathema vibrat in Caſtrucium, & Aretinum Epiſcopum, ut eos à patrocinio hæreticorũ Vice comitum averteret; *Id.* a. Ch. 1326. S. 2. An plauſibilem ſatis prætextum, cauſamq; prægnantem habuerit Clemens V. qui Pontificidas, & theſauri Eccleſiaſtici raptores graviſſimo anathemate damnavit a. Ch. 1304. S. 3. Iohannes XXII. qui crucigeros ob ereptã Uladislao Regi Pomeraniam, eodem ſupplicio mulctavit, a. Ch. 1320. S. 18. & 1335. S. 14. aliorum ego judicio relinquo. Hoc certum eſt, tela hæc iis potiſſimum à

 Papa

Papa fuiſſe parata, quos aliter ad obſequium adigere non poterat.

[e] Superſunt *Magici* errores, quibus & *verbum Dei* profanabatur; & *Sacramenta* polluebantur. *Verbum Dei* profanabatur exorciſmis & benedictionibus ſuperſtitioſis. Exorciſmis utebantur vel ad dæmonia ex hominibus obſeſſis, vel ad inſecta & infeſta quævis animalia ex agris & fluminibus pellenda. Quot verò modis ipſa etiam Sacramenta Magicis erroribus inquinentur, ſolidè probatum ivit clariſs. *Stuckius* noſter Exam. Dial. cuiusdam de Rel. Par. III. Q. 4. & 5. confer *Anal.* P. 1. p. 31. Sunt hæ errorũ claſſes præcipuæ. Quæ verò tot paradoxorum fulcra? I. *Indulgentia*, quibus Pontifex aſſenſum facile errorum obtinuit. II. Metus *excommunicationis*; quanquam, ut ſuo loco audiemus, & in ipſum fatetur *Bzov.* an. Ch. 1354. S. 18. ipſis obſtetricantibus Minoritis, hæ *claves fuerint* à multis *contemta*. III. Calcar ad præſtandum obſequium addidit ſpes obtinendi *privilegia*, quæ immorigeris denegabantur. Exemplum habet *Geneb.* in Clem. VI. pag. 701. cujus infra memores erimus in Muhammediſmo. IV. Ad *Miraculorum* cumprimis mentionẽ ita attonita ſtabat plebs, ut hoc iterum ſeculo, non Scriptura, ſed mirabilis pro Orthodoxia pugnatum ſit. Quorum enarrationem antequã aggrediamur, ὑπομνήματα quædam ex larga adverſariorum conceſſione præmittemus. 1. *Miracula fieri ad duplicem præcipuè effectum* nempe, vel ad

ad confirmationem prædicationis verbi Dei, juxta illud Marci c.16. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonē confirmante ſequentibus ſignis; vel fiunt ad denunciandam facientis ſanctitatem. 2. *Etiam malos quandoque facere vera miracula.* Ita ſentiunt ex Canoniſtis plurimi, referentibus F. *Sacrato Archiepiſcopo Damaſceno*, *Baptiſta Coccino*, *Decano*; *Alphonſo Mancanedone*, ad Paul. V. ſuper proceſſu Canonizationis Andreæ Corſini, Epiſco. Feſulani, apud *Bzov*.an.Ch.1373. S.2. & 9. 3. *Multas & varias fraudes miraculorum loco rudi plebeculæ fuiſſe obtruſas. Vitod*.pag.m.58. ſcribit, ſacerdotem quendam, inopia preſſum, *hoſtiam ſanguine aſperſiſſe, & à ſe proiectam iuxta iudæos, ipſos ſuſpectos reddidiſſe, & graviter infamâſſe.* H*oſtiam autem cum reverentia maxima ad Eccleſiam prædicti malefici presbyteri delatam & deductam eſſe, & ibi collocatam à populo totius terræ circumpoſitæ frequentatam, ſacrificum vero oblationibus locupletatum. Bal.* cent.pag.427.refert, *Olneum* ex eorum fuiſſe numero, *qui pro ſanctorum miraculis prodigioſa quæque mendacia vertunt in hiſtoriam. Avent*.annal.l.7.p.791. *Sanguine quoque pluit, & rivi cruenti manârunt, ſacra ibi recondita eſſe vulgus credidit, ſacrificuli ſpe queſtus affirmârunt. Decem millia paſſuum à patria*

mea, juxta oſtia Alemanni, apud Kelhaim in ripa Danubii torrens ſanguinolentus, (qui, juxta conſcios ſecretorum naturæ nihil aliud eſt, quàm vapor uvidus, qui confuſus halitu terreno, igneoq; rubeſcit) erupit. Cives ſignum à Deo lecti loci credentes, confeſtim ædiculam ligneam ibi condunt. Nunc ibi extat templū lapideum, cui eſt à ſacro ſanguine cognomen. Veteres religionis noſtræ aſſertores efficacia deſertorum ſpirituum illa quoque, ut hominibus imponant, attribuunt. In *Paral. Urſp.* pag. 359. commemoratur, quòd Flagellantes, quos Bueſſarios, Die Büeſſer/ *Avent.* lib. 7. pag. 791. vulgò appellabant, *literas jactârint per Angelum è cælis allatas, & vulgus eo adduxerint, ut Flagellatoribus plus crediderint, quàm ſacerdotibus, magnam ſanctimoniam præ ſe tulerint, & miraculorum virtutem.* Damnata tamen hæc Secta fuit & à Papa, & à multis laicis, Senatu præſertim Argentinenſi. 4. *Non ſtatim miracula probandæ* aut ſtabiliendæ *inſervire doctrinæ.* Illud ipſum Novatianorum adducunt exemplum, eodem etiam modo, quos nos aliquoties. Vid. ſup. ſeculo 6. p. 339. 5. *Ea nonnunquam miraculis fuiſſe confirmata, quæ tanquam ſuperſtitioſa, & Scripturæ pugnantia, Canoniſtæ & Theologi Pontificii damnant.* Bzov. an. Chr. 1341. §. 19.

S.19. Hæc purgatio ferrum candens, quanquam eam Deus aliquoties confirmare viſus fuerit, à ſacris tamen Canonibus cap. conſuluiſti cap. Mennam 2. quæ 5. & cap. Dilecti, Ext. de purgatione vulgari, interdicta eſt, propter rationes à Divo Thoma Aquinate 22. quæſt. 9. à 8. ad 3. allatas, ſcilicet, & quòd ſuperſtitioſa videatur, & Deum tentare, & ſit contra illud Deut. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum. Damnant Canoniſtæ appellationes quas vocant à Papa ad Deum. Vide ὁδηγȣ̃ P. 1. p. 230. At miraculis fulcitur, ut habet *Bzov.* a. Ch. 1317. S. 13. in Gualthero Brugenſi. His prælibatis, & ad judicii libellā exactis, quivis facile animadverterit, quid ſentiendum ſit de miraculis, quæ hoc ſeculo crepant Pontificii, editis pro 1. *cultu imaginum*, præſertim a. B. Virginis *Lauretana* Bzov. an. Ch. 1300. S. 25. 1305. S. 8. *Moguntina* cujusdam, quæ à milite ſpoliata ſanguinē primò ſudavit, deinde lac ſanguine mixtum an. Ch. 1302. S. 11. *alius*, quæ & ipſa à judæo confixa ſanguinem reddidit an. Ch. 1326. S. 20. *Guadalupenſis*, an. Ch. 1313. S. 30. *Claremontana* in Polonia, quam ab ipſo Luca pictam infinitis propemodum miraculis inclaruiſſe volunt: an. Chr. 1383. S. 2. *Prunetana* apud Florentinos, cujus interceſſione diu deſiderata pluvia fuit impetrata: an. Ch. 1355. S. 35. *Burburgana* in Flandria, ex qua etiam à Brittone percuſſa, largus fluxit cruor an. Chriſt. 1383. S. 11. b. Crucifixi, ut vocant an. Ch. 1383. S. 19. c. *Antonii* uſque adeò, ut

manus militis contra eam extenſa igni mox ſacro, quem Antonii vocant, correpta fuerit: an. Ch. 1376. S. 26. 2. *Pro reliquiis.* Iactant, Angelum peregrino aſſumto habitu, Fratri cuidam Petro de Aluma apparuiſſe, arculam ligneam tuliſſe, variis elogiis Græcis & emblematibus ornatam, in qua brachium ſiniſtrum cum manu S. Iohannis Baptiſtæ continebatur. Reliquiarum veritatem igni exploratam fuiſſe. An. Ch. 1325. Sec. 22. Plura an. Chr. 1359. S. 11. de VValpur & VVimbaldo. 3. Pro *Invocatione Sanctorum. Rochi* patrocinium à peſte laborantibus imploratur, juxta inſcriptionem notam: *Peſte laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem atrociſſimam evaſuros ſignifico*; quod ſolo ſigno crucis Epidemia detentos curârit. *Bzov.* an. Chr. 1327. S. 26. Ferdinandus Stephanius acutiſſimo clavo ſe induerat, nec avelli poterat, fidem *Eliſabetha* & miſericordiam implorans, repentè ſanum integrúmq; pedem aſpexit. Plurimi, qui febri æſtuque jactabantur, quique à dæmonibus vexabantur, cæci, membris capti, aliiq; non pauci, qui cùm in opera medicorum & diligentia nihil præſidii ſibi reliquum eſſe viderant, partim ad monumentum magna pietate venientes & fiducia, partim ſudaria & lintea, quæ fortè retinuerant, adhibentes, non modò levabantur, ſed etiam ſani penitùs fiebant *Bzov.* a. Chr. 1336. S. 26. Sancto *Ambroſio* acceptam ferunt,

runt, quod & anniverſaria teſtantur ſolennitate, victoriam contra Lodoiſium vicecomitem an. Chr.1337. S.21. Puellam molari rota omnium opinione contuſam & contritam *Albani* interceſſione in Anglia vitæ reſtitutam ſcribit idem a.Ch.1344.S.14. 4.*Monachatui* non parùm acceſſit ex miraculis, & incredibili planeque inuſitata eorum σκληραγωγίᾳ, qui in familiis iſtis primas tenebant. Hujus farinæ ſunt a. Ioachimus, *Senenſis confeſſor* Bzov. an.Ch.1305. S.6. b. *Petrus Bonhomius* Præd. ord. an. eodem S.7. c. *Conradus Offidanus*, alter Franciſcus πολιτείᾳ, quinque mortuos ſuſcitâſſe fertur a. Ch.1306. S.9. d. *Nicolaus* ord. Aug. cuius etiam natales vaticiniis faciunt illuſtres an. eod. S.20. Inter innumera miraculorum genera, mirum præ cæteris mirandum proponit Bzov. an.cit. S.17. *Sacrum furtum*, inquit, *pius latro excogitaverat, ut Alemannã patriam ſuam illuſtraret. Itaque brachia ſcidit ſacro à corpore Divi Nicolai quadrageſimo ſui obitus anno cruor exivit, dumque ea mundo linteamine involvit, manna ubique ſpargitur. Magno ac nocturno itinere defatigatus dum procul à Tolentino ſe eſſe credit, arte divina deluditur. Intra ſepta Monaſterii clara luce cernit ſe deprehenſum, audax facinus accuſans ac deplorans, veniam popoſcit, benignam.* e. *Gualterus Brugenſis*, Franciſcanus, tantæ ſan-

ſanctitatis fuit, ut aliquando columba candidiſſima viſa fuerit ſuper caput ejus. Et contractum magnum debitum pro indumentis pauperum, cum mercatore quodam, qui Angelus Dei creditur in forma Procuratoris, exſolvi fecit & cancellari debitum, eo ignorante, *Bzov.* a. Ch. 1307. S. 13. f. *Clara*, apud Montem Falconem in Umbria nata & denata, *Bzov.* an. Chr. 1308. S. 14. & deinceps. Ejus interceſſione mortui reſuſcitantur, ægri ſanantur, S. 22. g. *Auguſtinus Teranus*, Auguſtinianus a. eod. S. 23. h. *Ægidius Columnius*, civis Romanus, Eremitarum Auguſtinianorum ordinem profeſſus, præter ſummam in Ariſtotelica & Scholaſtica Philoſophia eruditionem, quæ *Doctoris ei fundamentarii* cognomen peperit, miraculis inclaruiſſe dicitur; an. Chr. 1317. S. 16. i. *Agnes* Politiana, quã & ab Angelo communionem in ſolitudine accepiſſe ajunt, & poſt mortem variis micuiſſe miraculorum ornamentis. Cujus corporis tactus, ſcribit *Bzov.* an. Chr. 1317. S. 5. *Cratianas aquas primum ubertate, deinde ſalubritate ſic auxit, ut præſens petererur ex eis omnium morborum medicina: Eiusdem poſt mortem ſudor corporis impendentia* R*eipublicæ mala tanto ante denunciat, quæ vel populi ferre moderatè, vel civitatem* R*ectores prohiberi poſſint.* k. *Robertus* Avinionenſis, feretrũ, in quo ad ſepulturam ferebatur, à ſuccollantium humeris in altum elatum, ad eum-

eumque modum uſq; ad tumuli locum virtute inviſibili, Angelorum credunt, delatum; an. cit. S.7. l. *Zacharias Romanus*, Franciſcani inſtituti, ab Angelo cibatur,&cùm de Transſubſtantiatione quidam dubitaret, impetravit, ut poſt conſecrationẽ puer in ſpecie carnis, in ipſa hoſtiæ elevatione apparuerit, Id. an. Chr. 1319. S.23. m. *Iohannes Tornerius* Carthuſianus & divinis apparitionibus inclytus, & miraculis ita coruſcus, ut chartam etiam vel membranam igni injectã conſervarit ſartam tectamq;, Ib. S.14. n. *Simon Ariminenſis* Dominicanus, multa flagella à Dæmonibus inflicta toleravit, ab imagine Iohannis Evangeliſtæ, quem præcipua devotione coluit, odorata effluvia, non ille tantùm, ſed & alii ſenſerunt, ſe fuiſſe in gratia divina revelatione accepit, Ib. S.15. o. *Maria Veronenſis*, conſolatrix vulgò dicta. Cauſam nomenclaturæ hujus *Bzov.* recitat a. Ch. 1320. S.28. *Cùm Veronenſis civitas totis ſeptem annis ſiccitate laboràſſet, Maria per revelationem accepit, non prius ab ea calamitate civitatem liberari poſſe, quàm Sanctorum Martyrum Firmi & Ruſtici, qui ſub Maximino Veronæ pro Chriſto paſſi fuerunt, corpora in urbem referrentur. Iuſtinopoli condita fuiſſe, ſancto Annoni Epiſcopo ejus fratri revelatum erat: ſed non poterant à civibus auferri, niſi æquato auri & argenti pondere Iuſtinopolitanis perſoluto. Miſſa ad ea redimenda*

Virgo

Virgo ſancta, cum auri argentiq; permultum ex matronis conquiſiti, attuliſſet, & in ſtatera appendere voluiſſet, corpora Sanctorum per miraculum adeò levia reperta ſunt, ut modicum pondus vix æquârint. Aliud quoque mirandum poſt accidit. Cùm enim Iuſtinopolitani in pretio perſoluto, ſe aliquibus præſtigiis deceptos eſſe putarent, & ideo corpora navigio impoſita recuperare vellent, navis curſu adeò concitato ferebatur, ut eam nedum conſequi, ſed neque cernere potuerint. Sacris itaque pignoribus in urbem relatis, tota civitate quæ in occurſum exierat, comitante, illico pluvia copioſa de cælo deſcendit; propter quam rem Maria Conſolatricis *cognomen deinceps accepit.* Quid quæſo ſuperſtitio non audet? p. *Iohannes Baptiſta Ptolomai*, qui etiam teſte *Brev.* loc. cit. multa à B. Virgine & S. Iohanne Baptiſta per revelationem didicit. *Semel apparenti ſibi in forma pauperis, Salvatori, veſtem ſuperiorem dono dedit, quam is paullò poſt concionaturo reſtituit. Inſidias hæreticorum per miraculum ſæpius evaſit, ac ſemel inviſibilis inter armatos hoſtes tranſivit. Inter concionandum B. Ambroſius aliquando viſus eſt ei ad aurem quiddam loqui. Semel B. Vir-*

B. Virgo, ſpecie venuſtiſſima, librum apertum ante eius oculos detinuit. Quodam tempore Angeli circumſtantes in arca levatum tenuere, aliâ ſuper caput ipſius ſtella fulgentiſſima radiavit. Miracula deinde ejus recenſet. Hic tamen, ut idem habet, *juvenis vitam execrabilem traduxit*. q. *Margarita Caſtellana*, incendium graviſſimum ſola veſte ſuperiore oppoſita per miraculum extinxit; Id. S.30. In mortuæ exenterato corpore tres lapides reperti ſunt, in quorum primo, Regina cœlorum diademate aureo coronata, in altero infans Ieſû inter duo jumenta, in tertio Ioſephus & Maria genu flexi ad pedes Salvatoris. Vivens & defuncta ingentia miracula fecit. r. *Raynaldus*, Archiepiſcopus Ravennas, Id. a. Ch. 1321. S. 17. s. *Thomas Aquinas*, cujus miracula enumerantur a. Ch. 1322. S. 28. t. *Iohannes Firmanus*, cognomento Lavernicola, Franciſcanus, Chriſtũ cum B. Virg. & multitudine Angelorum ad ſe venientem conſpexit. Vidit animas, pro quibus orabat, ex Purgatorii pœnis in cœlum evolare, an. Ch. 1322. S. 30. ut *Petrus Fulginas*, a. Ch. 1323. S. 20. x. *Franciſcus Senenſis*, ordinis ſervorum Deiparæ, a. Chr. 1326. S. 21. y. *Venturinus Bergonenſis*, an. Ch. 1334. S. 7. z. *Gertrudis*, de cujus nativitate, educatione miraculis *Bzov.* an. Chr. 1340. *Sec.* 25. refert, ei etiam ſtigmata Chriſti fuiſſe impreſſa, *ex quibus aliquot ordine*

ne diebus ſanguis profluxerit gratiſſimi coloris α. *Philippus* & *Thaclavareth* Sevani, Dominicani, quorum Angeli & in vita, & in morte maximam geſſiſſe dicuntur curam, an. Chr. 1340. *S.* 23. β. *Tuſcana Veronenſis*, de qua hymnus.

Hac febres omnes fugat invocata
Demit angores animis, ſalutem
Reddit ægrotis, juvat ipſe cunctos
Rite precantes.

γ. *Peregrinus*, ordinis Servorum B. Mariæ, Chriſtum de cruce deſcendentem & crus, quod ex medicorum conſilio erat amputandum, ſibi tangentem vidit. De miraculis ejus, & auctoritate vitæ conſulatur *Bzov.* an. Ch. 1345. S. 16. δ. *Gerhardus Valentinus* Franciſcanus. In ejus obitu *dum de more campanæ pulſarentur, ruptis funibus ſonitum edere non ceſſarunt, & ex illius corpore ſuaviſſimus odor efflabatur, tota penè civitate confluente, ſanatis quampluri-mis ægrotis ad eum contactum, Dæmoniacis cumprimis.* Id. S. 18. ε. *Algotus* itidem Franciſcanæ familiæ Monachus, S. 19. ζ. Huc pertinet exemplum *Hedvigis*, Reginæ Poloniæ, & *Dorothea* Prutenæ viduæ, an. Ch. 1399. S. 11. 12. η. *Bernhardus* Senenſis, ordinis Montis Oliveti conditor, an. Ch. 1348. S. 33. ϑ. *Sylveſter* Camaldulenſem ordinem profeſſus, Ib. S. 34. ι. *Bartholomaus* Senenſis tertii ordinis Servorum, cujus venerabile caput ſuper infirmorum capita impoſitum,

Digitized by Google

ſitum, eos à languoribus ſanavit, obſeſſisque à dæmonio liberavit, Id. S.35. *κ. Conradus* Placentinus Eremita. H*ic*, præter alia, *famulo qui alterum vas vini dono ſibi miſſum, altero dato, retinuerat, periculum à ſerpente in orificio vaſis abſcondito renuntiavit. Invitatus à quodam amico ad prandium, piſciculos paratos, à fele comeſos, in ſpiritu cognovit. Adveniente ad eius antrum vacuum Syracuſano Epiſcopo, quatuor placentas calidas candidasque pro tanto hoſpite divinitus accepit. Aliquando ab irriſoribus ad prandium feria ſexta accitus, cùm ſuillam illi obtuliſſent, in piſces commutatam comedit, & in huius rei teſtimonium ſpinas & ſquamas, illudentibus, quod ſuillam feria ſexta comediſſet, oſtendit. Ad Syracuſanum Epiſcopum profectus à pluribus aviculis juxta palatium quaſi gratulantibus circumdatus fuit. In antro, ubi accommodandæ aræ crucifixi ſaxum ingens excidi curaverat, immenſæ illud molis nullo negotio eduxit, panesque adhuc fumantes hominibus, quos ad operam evocaverat, per miraculum obtinuit, tot quot illi numerabantur.* Id. an. Ch.1351. S.14. *λ. Euphemia Domicilla*, regio ſanguine nata, in morbis, naufragiis & neceſſitatibus quàm maximis invocata plurimis miraculosè ſuccurrens ma-

magna apud Ratiborienſes veneratione habetur; a. Ch. 1359. S. 13. μ. *Albertus Beſutius* confeſſor, quem ab Angelis aliquandiu paſtum ſcribit, Ib. S. 19. ν. *Henricus Suſon*, cognomento Amandus, gente Suevus, Dominicanus, aliquoties in ecſtaſin rapitur, ab Angelis, B. Maria, & ipſo Chriſto viſibiliter apparente ſæpe confortatur; vinum per miraculum multiplicat; an. Chr. 1365. S. 14. ξ. *Andreas Corſinus*, ordinis Carmelitarum, de cujus miraculis fuſe, a. C. 1373. S. 8. p. 1424. & cumprimis 1435. ο. *Catharina Senenſis*, a. Ch. 1374. S. 16. 1370. S. 20. & 1380. S. 19. π. *Iohannes*, Prior Monaſterii Brid ingtoniæ Canonicorum Regularium in Anglia, an. Chr. 1379. S. 21. ϱ. *Brigitta*, vel Birgitta, Sueciæ Regina; an. Ch. 1362. S. 8. & 1373. S. 10. σ. *Catharina* Suecia, Brigittæ filia, an. C. 1381. S. 23. τ. *Hieronymus Fulginas*, cui morituro Chriſtus cruci affixus cum Dominico apparuit, & F. *Robertus Neapolitanus*, uterq; Dominic. Hic vivus jam Thaumaturgus colebatur, *ipſe interim cruciatibus & doloribus perpetuus vexatus. Cùm in extrema ægritudine lactucam, ut illi videbatur, ad gulam exſatiandam appetiiſſet, oblatam recuſavit, & quaſi enormi crimine ſeſe impiâſſet; ſacram exomologeſin cauſa expiandæ conſcientiæ expetiit.* Id a. Ch. 1393. S. 9. υ. *Maria Speſalaſta* Piſana, Angelos & Chriſtum in forma pauperis, nec non omnia Myſteria patientis Salvatoris aſpexit. Plura de eadem

eadem vide lb. 10. φ. *Frater Guido* Regiolanus Prædic. ord. B. Virginem meruit ſtatim à matutinis precibus in choro ſibi apparentem aſpicere; an. Ch. 1349. S. 12. χ. *Margarita Septempedana*, ad cujus ſepulchrum ægroti & dæmoniaci ſanabantur. Calceos filiæ (erat enim antea marito juncta) miraculosè productos, monumentum petenti reliquit; an. Ch. 1395. S. 8. ψ. *Nicolaus Ravennas*, aliquando pro feſtivitate S. Franciſci inter celebrandum viſus eſt palmotenus à terra elevatus. Alio die cruci affixi imago, illum brachiis extenſis complexa, ſermones cum eo miſcuit. Plures apparitiones & oracula divina habet *Bzov*. an. Ch. 1398. S. 14. ω. *Marcolinus*, Dominicanus: tanta ejus devotio in Deiparam, ut imago quædam Divæ ſæpius ei reſponderit colloquenti, an. Ch. 1396. S. 11. Huc pertinent, quæ plerorumq; referunt *ἀφειδίας σώματ@*, jejuniis, ciliciis, humiſterniis, carnisprivиis, quæ & ipſa ſæpe miraculoſa videri queant, iis præſertim, quos ſuperſtitio faſcinat. Vide an. Chr. 1307. Nicolai, S. 15. an. Ch. 1309. S. 29. Eliſabethæ: an. Chr. 1365. S. 14. Henrici Suſonis. Ipſis etiam *familiis Monaſticis*, ad ruinam penè vergentibus, hinc ſuppetiæ erant ferendæ. Audi rem miram, ſi non geſtam, ingeniosè tamen confictam. A. Chr. 1375. *Prælati quidam neſcio quo ſpiritu inducti, de ordine Franciſcanorum abolendo conſilia inter ſe contulerunt, et ad eam rem per-*

 ficien-

ficiendam quoddam aliquot Epiſcoporum conventiculum coëgerunt. Erant autem in eadem urbe Eccleſia præcipua, & in Eccleſiæ feneſtris vitreis duæ imagines pictæ, una S. Pauli, qui enſem, altera S. Franciſci, qui crucem manibus tenebat. Nocte æditu us viſus eſt ſibi Paulum audire hæc dicentem: Quid agis Franciſce? Cur tuam non defendis familiam? *Cui ille:* Quid faciã? Nihil habeo præter crucem, & hæc ipſa admonet me de patientia ſervanda. *Tum Apoſtolus hortari, ne tantam ferret iniuriam, ſuumque illi offerre gladium. Territus æditu us ſimul ac illuxit accurrit in templum, certoque vidit utramque imaginem inſignia inter ſe commutâſſe, atque in dextera Pauli adhuc crucem eſſe, Franciſcum vero gladium habere cruore ſtillantem, quod dum ſecum tacitus miraretur, increbuit rumor, Epiſcopum illum, qui eius conſilii auctor fuerat, repertum eſſe mortuũ præciſis cervicibus.* Nonne hæc δύσπεπτα? Struthio ſit, qui concoquat. Nec aliter cum iis actum eſt, qui Monaſteriis fuerunt inſidiati. Ita enim violatores Monaſterii S. Albani in Anglia pœnas luiſſe dicuntur, *Bzov.* an. Chr.1321. S.22. alii item ejusdem criminis rei, an. Ch.1379. S.18. 5. Pro *Transſubſtantiatione.* A.C.1399. *Poſnaniæ in ma-*

jori

jori Polonia Iudæi nacti tres S. S. Euchariſtiæ particulas: è vicina Dominicanorum Eccleſia culiris eas confoderunt. Manavit ex iis cruor copioſus, miracula deinde innumerabilia ſubſecuta, quorum Catalogũ pertexuit *Thomas Treterus*, & ex eo *Bzov*. a, cit. *S*. 13. Eo enim, ſi fides narranti adhibenda, quidam aquarum ſubmerſione liberati, alii ignis periculo erepti, alii ex diverſis infirmitatibus ſanitati reſtituti; mortui etiam reſuſcitati; dæmoniaci curaſti, à mortis periculo etuti, puerperæ in extremo diſcrimine ſalvatæ, cæci illuminati, &c. Sic & an. Ch. 1306. S. 8. illud recitat miraculum, *quo hoſtia à Iudæo Pariſienſi emta, & in ollam aqua fervente bullientẽ, detruſa, in ſpecioſi confeſtim pueri formam, transmutata ſit*. Quid Zachariæ Romano obtigerit, ſupra audivimus p. 819 Cùm a. C. 1346. *quidã corpus Chriſti cum ferculo ſuo è templo omnium Sanctorum memoria dicato ſuffurati eſſent, atq; id ferculum non aureum, ut crediderunt, ſed æreum inauratũ eſſe comperiſſent, apud Babalum ſive Bavolum pagum ſuburbanũ in cænoſum paludẽ abiecerunt. Mox locus crebris ignibus atq; faculis dies noctesque aliquot perpetes colluſtratus eſt*. *Bzov*. an Ch. 1346. Alud adhuc miraculosè ſanguine infectæ hoſtię & ab incendio cõſervatæ exemplũ ex Krantzio ſuggerit

gerit an. Ch.1382. S.10. aliud item an. Chr.1334. S.2. 6. *Purgatorii* fomes miraculorum & apparitionum erat φαντασία. Vide *Bzov*. an. Ch.1324. S.29. & an. Ch.1306 S.9. *Frater quidam defunctus Conrado Offidano oranti apparens dixit*: Ora pro me F. Conrade, quia oratio tua eſt grata Deo, & ſanctis ejus. *Cumque hic centum orationes Dominicas pro anima illius orâſſet, rurſus ei apparuit, dixitque*: Gratias ago Domino Deo & tibi pater chariſſimè, quia propter tuas orationes à pœnis omnibus ſum liberatus. 7. Et quia *ſedes Papalis* perpetuum hoc ſeculo pomum fuit ἔριδος, quia quoque miraculis vindicanda erat. Hinc referunt ſcelus admiſſum in *Bonifacium VIII*. divina ultione fuiſſe punitum; Id. an.1307. S.9. *Benedictum* XI. miraculis coruſcâſſe, an. Ch.1304. S.6. Dantem Aligerium, Galeazium Vice-comitem, Florentinos aliosq; rebellionis in *Iohannem* XXII. divinæ vindictæ pœnas dediſſe; a. Ch.1321. S.21. 1322. S.13. 1327. S.4. 1333. S.5. 1328. S.17. 1329. S.11. 1335. S.16. vindiciarum divinarum contra Caſtellanum, *Bonifacium IX*. oppugnantem meminit an. Ch.1395. S.4 & 1396. S.8. Ita quidem Monachus pro ſuo Bonifacio: Quid ſi verò & Caſtellanus & reliqui Antipapæ ſectiones ſplendidiori miraculorum ſyrmate ſuperbierint; quod certè ex iis, quæ ſupra diximus p.771. non eſt vero abſimile. Miraculis *Vrbani VI*. Pontificatum comprobatũ aſſe-

aſſerit, an.Ch.1379. S.1. & 22. *Benedicti XII* miracula narrat a.Ch.1336. S.28. 8. Sed & pro ſacris ſuis, *reliquo clero, libertate* ejus, *reditibus*, omnibusque bonis Eccleſiaſticis miraculis dimicabatur. Vide *Bzov.* an. Chr.1347. S.42. 1373. S.11. 1368. S.20. ubi de ultione divina ob manuum in clericos injectionem, an.Ch.1388. S.12. 1385. S.21. 1391. S.15. 1355. S.34. 9. *Diebus* etiam *feſtis* multum acceſſit ex miraculis. *Vitodur.* p.m.43.b. *His quoque temporibus dum in villa Torrenburen, quadam villica paſtam farina ab eo confectam fornaci ardenti immittere vellet, ut inde panes formati in eo decoquerentur, ipſam cũ magno ſtupore verſam in ſanguinum colorẽ reperit, quia feriam S. Laurentii non ſervavit,* Sic prodigium narrat *Thomas VValſingham* ob violationem diei S. Osvvini Regis & Martyris. *Duo nautæ,* inquit, *ad navem ſuam reſarciendam, quoddam lignum dolare ſatagentes, dum alter illorum lignum ſecuri percuſſiſſet, affirmabat ſanguinem de eadem ligno, tanquam de pecude aliqua ubertim emanâſſe. Perculſus magna formidine, à tanta rei novitate diu hæſit, & recordatus diei S. Osvvini, cuius ſolennitatem violaverat, vovit ſe nihil ulterius eo die in æternum facturum operis manualis, &c.* Adeò non licuit vel dies feſtos ſanctorum impune

ne violare, vel patrocinium eorum contemnere. Non poterat frumentum, S. Georgii curæ commiſſum, auferri, quin ἔκδικον mox ejus ἄμμα crimen ulciſceretur: ſi vera ſunt, quæ *Vitod.* habet p.m.29.b. 10. *Luminum* etiam uſus diurnus miraculis ſuſtentari debuit. *Vitod.*p.m.80,a. *Didici* 13. *Fratres commorari in monte Sion eodem tempore, quorũ continuè quatuor ſecundum viciſſitudinẽ ordinatam ex indultu Soldani inhabitabant, ipſum cuſtodientes, qui divinum officium intromiſſis tantum Chriſticolis ſive peregrinis ſeu illic degentibus agebant. Nam enarravit mihi quoque, quòd in Monaſterio eodem lampas absq; fomento quocunque luminis continuè tunc temporis arſerit & luxerit, & abſq; omni arte humana, ſed tantum miraculosè divina virtute, quod tamen ita eſſe quidam negant.* Negant omninò plures, Muhammedani cumprimis, qui de ejusmodi lucernarum fomitibus & fomentis aliter judicant, ut alibi monebimus. V. Tandem etiam *viſionibus* & apparitionibus in errore confirmabantur. Ejusmodi multas jactant [illegible] *Clara*; *Bzov.* an.Ch. 1308. S.20 *Iohanne Bockio* Bremenſi, cui ferianti S.Victor apparuit, an.Ch.1315. S.9. *Agneta*, a.Ch. 1317. S.1.2 Admirandam *Auguſtini* apparitionem recenſet an.Chr.1326. S.18. Huc pertinent viſiones Brigittæ, quæ tamen non unius ſunt generis,

neris, & multæ Papatus jugulum petant; & *Catharina Senenſis* an. Chr. 1370. S. 19. ubi inter alia: *Aliquando Ieſum ut ſe in fide ac dilectione confirmaret oranti, Diva Virgo, ſanctis Iohanne Evangeliſta, Paulo Apoſtolo, Dominico Patriarcha, & Davide Rege Pſalterium perſonante comitata apparuit, & manu Catharinæ apprehenſa, illam dexteræ Ieſu inſeruit, eaque ratione illum Chriſto deſponſavit, Chriſtus verò non abnuit, ſed annulo quatuor gemmis in formam crucis diſpoſitis, & Adamante ſuperius irradiatis pretioſo, digitum ejus inſignivit. huncque ſpiritualis deſponſationis & futuræ felicitatis arrhabonem in eius arbitrio reliquit.* De *Ethelreda* Virgine & Regina apparente juveni cuidam, & Monachorum interceſſionem commendante, vide an. Chr. 1389. S. 5. Quantam Cluniacenſibus & Carthuſianis Monachis viſiones conciliarint authoritatem, *Rolvingus Carthuſ.* docet p. 85. a. *Viſio*, inquit, *flebilis facta cuidam Eremitæ in præſentia D. Innocentii Papæ VI. dum adhuc Cardinalis eſſet. Vnde aiebat: Vidi animas in Infernum deſcendere ſicut nives denſiſſimas, in Purgatorium ſicut nivem rariſſimam, ſed ad Paradiſum tantum tres vidi introire, ſcilicet illius Epiſcopi, ac illius viduæ* Romanæ, *& illius Prio-*

ris Carthuſienſis: quæ omnia ſic poſt reperit vera, & ex tunc maximam devotionem erga viros religioſos habuit, & præcipuè Cuniacenſes & Carthuſienſes. Hoc *enim duos ordines ſpecialiter præ cæteris privilegiavit, & ab omni Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & quorumcunque Principum jurisdictione, viſitatione, taxatione, & qualicunque vexatione exceptos eſſe decrevit ſub anathematis vinculo, eosq́, ſub ſancti Petri ac Romanæ Eccleſiæ protectione ſuſcepit.*

Sectio II.

De

MUHAMMEDISMO.

I. Etſi Muhammedani (ut à Politia initium faciamus) magnam orbis partem ſuo adhuc Imperio tenuerint ſubactam, ita tamen veterum Arabum obſcurata fuit Majeſtas, ut ejus vix aliquæ ſupereſſent ſtricturæ. [a] Othmannidarum igitur ac [b] Tartarorum Tyrannis, non Arabum modò dignitatem, ſed

tem, ſed univerſi penè orbis libertatem, oppreſſit.

[a] De Turcis paulatim inter Arabes emergentibus aliquoties jam dictum eſt. Huc uſque tamen civilibus ardentes bellis ſuas ita attriverunt vires, ut Tartaris tandem in prædam ceſſerint, ſemper penè ab iis devicti, uſque dum tandem poſt ſeculi fluxum *Ottomanidæ* caput extuliſſent, cæteris Turcarum familiis, quarum celeberrimæ erant Aſimbejorum, Candelorum, & Caramannorum, prorſus deletis. *Primus* eſt *Othman*, vulgò *Ottomannus*, filius *Otroguruli*, cujus genealogia longa ſerie deducta tandem in Iapheto, Noachi filio ſubſiſtit. *Iuch*.152.a. Majores ejus Reguli omnes fuerunt, magno animo Heroes. *Ib*. Quòd verò primus vocatur Turcarum Rex, an.Chr.1300.electus, de ampliori illud intelligi debet Imperio. Nam Turkiſtanam diu antè illis paruiſſe, jam ſup. pag.491. ex *Iuchaſin* probavimus. Ubi de Solimam Schah, ejusque interitu egimus. Duo poſt obitum filii ejus ad regnum ſunt reverſi Euphraticum, *tertius verò Otogorulus ad Saldanum Oladdinum proficiſcitur, Guniæ Regem, ex Salghucidarum familia ſuperſtitem, in cujus oculis gratiam invenit. Egredientibus autem Tartaris contra regnum Oladdini in Perſia, abiit eò, relicto regno Karamaniæ in manu Otrogoruli,*

Digitized by Google

qui mortuus eſt an. H. 696. *Miſitq;* Rex *Oladdinus ad Othmanum, filium eius ornamenta regia, vexillum, gladium, veſtitum, eumq;* Regem *conſtituit.* Hic anno 697. cepit aliquot loca. Mortuo Oladdino an. H. 702. ſtabilitum fuit regnum Othmanno, qui operâ filii Vrchani multa occupavit loca. *Ib.* Subegit magnam Bithyniæ partem, & littora maris Pontici. Magis tamen famam ſuam auxit capta Sebaſtia urbe. Arch. Cos. p. 720. II. *Orchanes*, ſceptrum paternum conſequitur a. Ch. 1328. Fratrem habuit *Ali baſcha*, hominem devotum (*Paruſch*, *Iuch.* 152. b. ἀφωρισμένον) vel Monachum. Filiis Morad & Solimam ampla diſtribuit pomœria expugnanda; *Iuach.* loc. cit. Dicitur patre validior, majoris animi, liberalis tamen in ſuos & gratioſus. Occupavit hîc armis Myſiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariámquo, cùm cepiſſet Pruſiam, Bithyniæ caput, mortuus eſt ex vulnere, quod in obſidione illa accepit. III. Ponitur *Solimanus* I. ſed author lib. *Iuch.* ſcribit, Solimannum, Tripoli, & vicinis locis ſubjugatis, vivo adhuc patre, ex equi in fovea altero pede tenti lapſu, mortuum fuiſſe, quem ſecundo pòſt menſe fuerit inſecutus pater. IV. *Moradus*, quem *Amurathem* I. vulgò vocant. Regnare cepit a. Ch. 1350. Adrianopolim abiit, eáque Imperium ſuum auxit. Plura de ejus, filiorumq; felici in Philippopoleos, aliarum urbium expugnationē habet auth. lib. *Iuch.* l. cit.

l.cit. Ex inauſpicata Calojohannis cum Amurate ſocietate, Conſtantinopolitani Imperii exitiũ paratum fuiſſe ſupra diximus p.662. Sunt, qui in prælio eum occubuiſſe ſcribant, *Iuch*, l.c. alii referunt, quendam è domeſticis Lazari Deſpotæ Serviæ, poſt expugnatam Adrianopolin, ut ulciſceretur mortem Domini ſui, pugione confoſſum Amuratem, crudelitati finem imponere coëgiſſe, a.Ch. 1371. Vide etiã *Geneb.* p.707. V. *Childrin Bajazeth*, id eſt, *fulmineus*, Patri ſucceſſit. Frater verò in compedes conjectus eſt. *Iuch.* lib. cit. Alii, dolo eum circumventum, jugulatum à fratre fuiſſe ſcribunt. *Arch. Coſ.* Imperio potitus magno ſtatim ſucceſſu illud ampliavit. Nam ob incredibilem in bello vim & celeritatem *Fulminei* nomen fuit conſecutus. Totã propè ſubegit Græciam, ipſam jam Conſtantinopolin adorſus. Rumore tamen percrebeſcente, Carolum (*Sigismundum*; vide *Buchh.* pag. 393. & *Calviſ.* an. Chr. 1396.) Ungarum Nicopoli imminere, obſidionem ſolvit. Rediit autem Carolo (Sigismundo) victo, & cùm Orientis Imperatore fœdus certis iniit conditionibus, *Iuch.* 153.a. Irâ aliquando ita exarſit, ut judices ſuos in domum detruſos vivicombutio omnes addixerit. Monitus autem à famulo quodam, num, ſi à Tamerlane oppugnarentur, ſoli ipſi duo reſiſtendo pares eſſent futuri (innuens, non defuturos ex defunctorum propinquis, qui injuriam ulturi, Tamerlanum ſequerentur) ad mitiorem rediit mentem. Regulos vicinos

cinos omnes debellavit, qui proinde Tamerlanis ope implorârant. Hoc cùm audiviſſet, Timur literas miſit & legatos honoratos ad Childerim-Chan. Literis eum honorificè compellatum Bajazetes Lang-Timur, id eſt, Claudum Timurum appellabat. Commotus igitur Timurchan, exercitum, arenæ inſtar maris, ad debellandum Childerim, collegit, & obvia quæq; loca incendio vaſtavit. Cùm in Syriam perveniſſet, eâ belli incommodis urgere noluit, quòd dicerent, ſe Meccæ & Medinæ incolas eſſe. Sed poſtquam fines Childeris Bajazetis attigiſſet, prælio eum vicit; Victum aliquamdiu ſocium habuit menſæ atque adeò liberaliter tractavit. Quodam verò die Timurem Bajazethes rogavit: Et quid, ſi in tua eſſem poteſtate, à te polliceri mihi poſſem? Ego, inquit Bajazetes, caveæ te ferreæ includerem. Tuo ergò, reſpondit Timur, judicio ſtabo. Caveæ atque ferreæ eum impactum *Iuch.* p. 152. a. Aſiæ & Africæ ſpectatoribus ludibrium debere voluit. quibus etiam miſeriis fuit immortuus. Addunt nonnulli, Timurem eo uſum eſſe ſcabello, ſi quando equum conſcendere voluit. Vide plura apud *Geneb.* pag. 712. Filios reliquit ſuperſtites ſex, quorum unus, *Muſtapha Gilbi*, in prælio Tamerlanico ſubductus hominũ oculis, diu latuit. Cæteri erant *Samir Soliman*, *Sultan Iſa*, *Muhammed Gilibi*, *Muſa Gilibi*, & *Kaſum Gilibi*. Obtinuit autem populi ſuffragiis regnum & Soleiman. Ita *author lib. Iuch.*

Cujus

Cujus, in Arabicis Hiſtoriis fidem, antehac ſæpius experti ſumus; quem proinde tutius in pleris que fuerit ſequi, quàm alios. Alii *Muhammedem*, demum poſt interregnum, ſucceſſiſſe ſcribunt. *Arch. Cos.* Volunt enim, ſucceſſionem, propter Tamerlanem victorem, fuiſſe turbatam. Alioquin Latini ajunt, Bajazetem habuiſſe regni ſucceſſorem, filium *Cyris-celebem*, quem quidam Joſuam nuncupant, vulgò *Calapinum*, cujus filios faciunt *Mahometem* & *Orthanem*, Paul. Iov. Alii eos duos filios faciunt Bajazetis. Cyriscelebem volunt Bajazetis filium natu maximum fuiſſe. Cujus patre devicto Timur univerſam depopulatus Aſiam, filium captivũ Conſtantinopolin miſit ad Imperatorem Græcorũ, qui eum loco Principe digno habitum, poſtea dimiſit in Aſiam, ubi facile recuperavit paternũ Regnum. Referunt autem eum interfectum à fratre *Muſtapha*, an. Chr. 1407. Horum tamen nec vola eſt in lib. *Iuch.* nec veſtigium. *Muhammedem* commemorat, poſtquam Pſeudoprophetam, qui multos jam ſuis deliramentis faſcinavit *Iuch.* lib. cit. viciſſet, fato ceſſiſſe, regni ſucceſſore, ex patris voluntate, relicto *Morado*, cujus initia Pſeudonymus quidam *Muſtapha*, hactenus latens, turbârit, feliciqùe rerum ſucceſſu terruerit. Tandem verò *Muſtapham*, à ſuis deſertum, Adrianopolim ſe fuga ſalvaturum, prehenſum, à Morado, patibulo fuiſſe affixum. Extincto hoc *Muſtapha* alium mox ejuſdem nominis fratrem

trem caput extuliſſe, qui & ipſe inglorius occubuerit, violenta interemptus morte. Sed nec dũ fuit inſidiarum finis. Muſtapham excepit *Craman-Ogli*, cujus viribus non modò *Moradus* fuit impar, ſed ipſa etiam à Timuro occupata loca, jugo ſuo ſubjecit. Ipſe verò *Moradus* ſeu *Amurathes* fuit, qui cladem Varnenſem, Chriſtianis, turpiſſimi perjurii reis, intulit, cujus prælii idem etiam ſcriptot meminit. De quo ſeculo ſequenti. Plura de Othmanidarum familia ſcribunt auth. *Paraleip. Vrſp.* p.346. *Geneb.* p.690. *Arthont. Coſm.* de Potentia Ottom. Primi Oſmanidarum vixerunt Korabagæ, quæ oppidum eſt celebre Armeniæ minoris.

[*b*] Qui jam ſuperiori ſeculo emiſerant. Fuit autem Imperium penes familiam Gingis-chan ad finem ferè ſeculi hujus, *annum* vid. 1388. quo Timur Perſicum rapuit Imperium. Quo loco autem apud Tartaros Gingischanidæ fuerint, nemo nos meliùs docuerit ipſo *Ahmede Arabſiada* de reb. geſt. Tim. p.19. *Tribus autem Gingis-chan*, inquit, *ſola eſt, quæ nomine Chani & Sultani gaudet. Sunt enim Koreiſchitæ* (vide *Hiſt. Orient.* p.137.) *Turcarum. Nemo illos potuit præcedere, nec quisquam hanc eis detrahere nobilitatem. Hoc enim ſi quis efficere potuiſſet, Timurus utiq; ille fuiſſet, qui ſubjugavit regna, eorumque calcavit vius.* Timotem verò operam dediſſe, ne tam nobilem Tartatorum familiam

liam exaſperaret, ut adverſantem ſuis conatibus haberet. Vicarium proinde Samarcandæ ſuum Sebur Gademſch, ex eadem oriundum tribu, conſtituiſſe. Tandem, cùm Timuri, ſeu Tamerlanis vires ita crevilſent, ut latè terrarum Imperiũ obtineret, Gingischanis ſatis fuit, amiſſo Imperatoris axiomate, favore Tyranni & beneficio, honeſta obire munia. De hoc *Tamerlane* multi multa. Ex Latinis Sriptoribus adeat Lector *Aen. Sylv.* in deſcriptione As. c.31. *Buchholtz.* an. Ch.1398. *Archontol. Coſm.* in Reg. Perſ. p.154. *Geneb.* fin. ſec.14. *Calviſ.* an. Ch.1399. & alios. Brevem ejus προσωπογραφίαν ex Europæo primùm deſumemus Scriptore; ſeq. ſeculo ipſos eâdem de re conſulemus Arabes. Illam *Archontol. Coſm.* his verbis ſuppeditat. *Quem nos vulgò Tamerlanem dicimus, ei verum fuit nomẽ* Teimurlang, i.e. Teymur claudus. *Fuit autem filius Baydonchani, & decimus quartus in hoc ordine ſucceſſor Gingis-chani, ex cujus ipſe ortus eſt ſanguine. Neque enim, ut multi nugati ſunt, fuit vel latro, vel mulio, vel deniq; paſtor, ſed bellator magnanimus, ut ejus res geſta ſatis oſtendunt. Natus eſt Samarcanda, ſecutus caſtra & militiam, ut majores ejus. Atavus eius nomine Charvrchear Nuyon, cũ Chingis-chano de Tartaria profectus eſt eo tempore, quo Gingis ſuo filio ſecundo Chagaraychan tra-*

tradidit regna Maurenabar *, Agor & Coarzinam, qui Nuyonem illum primum ſibi conſtituit Vezierum, qua in dignitate ipſe, poſterique ejus ſubſtiterunt ad huncuſq; Teymurū.* Regnabat tunc in Chagataa Rex nomine Sojorgatus Mechcon, apud quem Teymur fungebatur ſummi ducis belli officio. *Sojorgato autem mortuo Teimurlang omnium conſenſu ſalutatur* Rex. *Adeptus eo pacto regnum, eduxit innumerabilem ſecum exercitum, magna in omnibus rebus uſus proſperitate, ita ut ſpatio 36. annorum, quibus imperavit, præter regna, quæ antea poſſidebat, acquiſiverit etiam* Maurenabar, *Turkeſtaniam, Coarzinam,* Siſtam, *Coraſonem, Indoſtam* Hieraquenam, *Perſidem, Kermonem.* Maſandaren, Aderbajon, *& Cujeſtam, quæ regna omnia, partim liberi ejus, partim duces inter ſe, mortuo illo, diviſerunt.* Annus erat à nato Bono Publico 1380. *Hegira Muhammedica* 789. *cum Teimur audito rebellari vulgo apud Hiſphaonem, qua caput eſt Hieraquena in Perſide, ipſe eo profectus eſt, ut ſeditioſos compeſceret, ubi nimis magno rigore uſus ad* 60. *millia hominum trucidavit.* Regnabat in Capechaca Tochtamech-chan, *beneficiarius Teimurlangi, qui & ipſe*

ipſe rebellaverat, ſed Teimur, miſſo contra eum exercitu, profligavit eum toto regno, & in Gurgeſtaniam *fugere coëgit.* An. Ch. 1402. Hegiræ 809. *duxit Teimur ingentes copias in Syriam, cepitq́; Alepum & Damaſcum, victo etiam* Sultano *Farache Ægypti rege.* Hinc *in Babylonem converſus cepit urbem, & circum Taurim hybernavit.* Anno *ſequenti, coactis majoribus, quàm ante copiis, duxit in Campeſtria Angorenſia, adverſus Turcarum* Regem *BaiaZetum, quem acie vicit, captivumq́; ſecum abduxit, occupata magna regni eius parte Baiazetes anno poſt periit in carcere. Dũ ad hunc modum Teimur occupatur bello Turcico, quidam Cara Iſſuph eximproviſo capit Babylonẽ, pulſo inde* Satrapa, *cui Teimur eam urbem tradiderat. Dum autem ex* Anatolia *redit Teimurlang, mittit contra Iſſuphum, nepotẽ ſuum Abubaquerum, qui receptam urbem dedit Sultano* Weizo. *Teimur Ardebillam profectus, ibi aliquot dies exegit, deinde omiſſa Perſide rediit in Caraſoniam, atque inde Samarcandam patriam ſuam, ubi multum temporis dedit lætitiæ publicæ ac feſtivitatibus, in conciliandis ſuorum nuptiis. Poſtremo, cum ſe AnZoram contuliſſet, quæ dependit e regno Cata-*

 ien-

ienſi, mortuus eſt a. Ch. 1405. *Heg.* 807, *Fuere Teimurlang filii quatuor. Maximo natu nomen fuit Gur, qui uno ante patrem mortuus eſt anno, relictis duobus filiis Mohamedo Soltano, & Pyro Mohamedo, quem Teimur teſtamento ſcripſit hæredem regnorum Gaſneæ & Indiæ. Verum Pyrus* Hali *eum interemit. Secundo Teimuris filio erat nomen Hamar Cheque, qui vivo patre Perſidem rexerat: ſed & hic mortuus eſt in caſtro Hormatu in Loreſtania. Tertius erat Mirunchá, qui ſucceſſit in regnis Hieraquena, & Aderbaione uſque ad Damaſcum. Mortuus eſt anno Ch.* 1408. *Heg. Muh.* 810. *interfectus ab Iſſapho Turcomanno. Quartus Teimuri filius, & ſucceſſor erat Mirzach-charok.* Ne Hiſtoriæ Muhammedicæ filum rumperetur, hoc de Tamerlane ex Scriptore Europæo compendium inſerere placuit: Plura & certiora ex Arabũ monumentis eruturi ſeculo ſequenti, in quod obitus Tyranni incidit.

II. Ita Arabum Orientalium vires fuerunt attritæ; à Muhammedanis & [*a*] Chriſtianis. In [*b*] Europa non meliori uſi fortuna, à Chriſtianis feliciter aliquoties fuerunt profligati. Atq; hac occaſione, cùm inteſtinis, Muhammedani æſtuarent diſſidiis, varia Chriſtiani de [*c*] e-

reſtaurando bello ſacro, opprimendis, vel [d] convertendis Mauris, Tartaris, Turcis, qui inter Muhammedanos jam eminebant, agitârunt conſilia, novis etiam ſuſceptis [e] expeditionibus, ſed infeliciſſimis ſæpe, & magno cum detrimento Chriſtianiſmi conjunctus.

[a] Fuit etiam inſula Rhodus Muhammedanis erepta ab Hoſpitalariis a.Ch.1310. *Fortal.fid.* *Bzov*.a.Ch.1309.S.19. Confer an.Ch.1366.S.8. *Nautler*. Gen. 44.p.247.b.

[b] Victi enim ſunt Saraceni 1. per Infantem Petrum an. Chr.1314. Captis duabus urbibus, *Bzov*. a.Ch.1317.S.21. *Fortal.fid.* 2. Iohannes Manuel fugato Granatæ rege, plurimos cæcidit Saracenos Cordubam occupaturos an.Ch.1344. *Id*. 3. Maritimo etiam prælio ſuperantur an. Chr.1317. *Id*. 4. Vegan.de Pagana occubuerunt Saraceni an.Ch.1340. *Id*, 5. Rex Alphonſus IX. ad internecionem cæſis Saracenis innumeris, victor extitit. Memorabile fuit prælium, quod Regum etiam Saracenorum vita conſtitit, *Id*. 6. Claſſis Alphonſi Saracenos aggreſſa, alios fuga ſe ſalvare, alios aquis perire coëgit, *Id*. Confer *Bzov*. an. Chr.1328. S.32. 7. Alphonſus X. Caſtellæ Rex, Ieziram Saracenis eripit, a.Ch.1344. *Id*. An.Ch.1369. navali iterum bello victoriam deportant, *Id*. 9. A.Ch.1309. Iacobus Arragonum, & Ferdinandus Caſtellæ Reges, bellũ con-

Digitized by Google

tra Mauros Granatenſes non infeliciter geſſerunt. Cùm in Africam abire Mauri juberentur quidam Regem, diſceſſurus, ita compellavit: *Quo meo fato, genii mei infelicitate, meisve malis meritis factum putem, ut per omnem ætatem profugus agar; eoq; mutare identidem compellar, & quaſi omnes urbes mea calamitate luſtrare. A proavo tuo Ferdinando Hiſpali pulſus, Cæſarianum abii. Inde urbe capta Alphonſus avus Tariffam migrare compulit. Ex ea urbe Sanctio Rege patre tuo Heracleam profugi. Nunc quo tempore mala finem cœpiſſe videbantur, mortemque veluti ærumnarum portam expectabam, denuo fugam capere cogor, In Africam navigare ſtudeo.* Bzov. S.21. Vide plura de Chriſtianis, Alphonſo præſertim, feliciter contra Mauros pugnantibus a. Ch.1340. S.14.16. an. Ch.1344. S 8. Multùm ea ſtrage affecti dicuntur, quam Magiſter Alkantaræ eos an Ch.1339. inflixit. *Ipſe Abdolmelicus pedibus fugiens, ut in repentina trepidatione, pro gregario milite obtruncatus occubuit, Abiatar propinquus in acie cecidit. Mauri ad decem millia peremti: Chriſtiani caſtris hoſtium, impedimentisq; potiti. Abdolmelici caſu ingens luctum Africam occupavit: patrem imprimis permaximè: immatura morte præreptum præ-*

ſtare

ſtare non potuiſſe qualem promiſerat Regem *querebantur. Eò ardentius ad ultionem inflammatis omnibus expeditionem Hiſpanicam maturabant, ingentes delectus tota ditione habiti. Certi homines per univerſam Africam dimiſſi, qui ſimulata ſanctitate; ſpe divini Numinis promerendi, religionis patria vindicandæ facta, eas gentes ad capienda arma incitarent, &c.* Unde novus Alfonſo obortus metus, novum bellum. *Id.*

[*c*] Fuit hoc ſtudium Paparum, qui 1. in *omnes illos, qui cum Saracenis conſpirârunt, arma iis, aliaq; ad bellum neceſſaria ſubminiſtrârunt, graviſſimum ſtrinxerunt anathema.* Ita Benedictus XI. *Bzov.* an. Ch. 1304. S. 2. Clemens V. an. Ch. 1309. S. 22. conqueritur, quosdam ferrum, equos, arma, & alia vetita, nec non victualia, & mercimonia in Alexandriam, & ad alia loca Saracenorum terræ Ægypti deferre præſumſiſſe. 2. *Decimas varias bello ſacro deſtinârunt.* Eas Iohannes 22. eodem prætextu exegit à Gallis, *Bzov.* an. Chr. 1317. S. 32. ſed alio longè fini, ut Bavarum oppugnaret. Clemens VI. cùm Benamajus Rex, cædem filii ſui vindicaturus, innumerabilem exercitum eduxiſſet, Clemens in quinque annos ſequentes decimationem redituum Eccleſiaſticorum in Alfonſii regno conceſſit, bellumque ſacrum in regnis Arragonum, & Navarræ: præ-

dicari adverſus Saracenos imperavit: *Id.* an. Ch. 1342. S. 21. Confer an. Chr. 1329. S. 13. & 1332. S. 9. an. Ch. 1345. S. 13. an. Chr. 1304. S. 1. & 1376. S. 21. 3. *Indulgentiũ ar philtro multos ita dementârunt*, ut non minus mortem pro iis oppetere fuerint parati Chriſtiani, quàm Muhammedani, *ſplendido* Martyrum titulo, quo inſigniebantur, quotquot in ejusmodi bellis occubuerunt, & religionis patriæ zelo, ad capeſſenda arma præcipites. Vide orationem Mauri ad milites apud *Bzov*. a. Chr. 1340. S. 16. Clemens VI. his ſubſidiis juvit Alphonſum a. Chr. 1343. S. 12. Secutus in ea re Clementem V. *Id.* an. Chr. 1309. S. 6. & Iohannem XXII. qui parem indulgentiam conceſſit Mauros Granatenſes & Saracenos Palæſtinos oppugnantibus an. Chr. 1322. S. 19. & 1331. S. 65. Quia Anglis cruciatam ſecuturis dederit indulgentiam. Urb. VI. habes a. Ch. 1382. S. 23. Abſolutionis tantùm adſcribam exemplum. *Authoritate Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa, te A: B. ab omnibus peccatis tuis ore confeſſis, & corde contritis, & de quibus confiteri velles, ſi tuæ occurrerent memoriæ, abſolvimus, & plenariam tuorum peccatorum remiſſionẽ indulgemus, & retributionem juſtorum, ac ſalutis æternæ pollicemur augmentũ, & omnia privilegia, quæ in terræ ſanctæ ſubſidium proficiſcentibus conceduntur, tibi concedimus,*

ac Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ orationum & beneficiorum ſuffragia tibi impartimur. Eâdem tubâ in Germania claſſicum contra Turcas cecinit Clemens VI. *qui per legatos ſuos manus auxiliatrices porrigentibus, ultra ſolitas condonationes indulſit eſum ovorum & lacticiniorum in ſextis feriis, & quibuslibet Iejuniis, præter Quadrageſimam: quod Trevirenſis & Colonienſis Archiepiſcopi in perpetuũ impetrârunt; ſed Archiepiſcopo Moguntino recuſante aliquid contribuere ad* Cruciadam, *ut vocabant, etiam in hodiernum diem manſit, ut in tota diœceſi non liceat ovis uti tempore cujuslibet jejunii, ſicuti permittitur in aliis duabus Diœceſibus:* Trith. Geneb. p. 701.

4. Omnem cumprimis iniverunt rationem, *ut res Syriæ afflictas ad priſtinum revocarent ſtatum.* Clemens V. a. Ch. 1305. rebus utcunque in Gallia compoſitis, ad auxilia opportuna Chriſtianis, in Palæſtina, à Saladino Ægyptio oppreſſis, ferenda, animum advertens, Antonium Patriarcham Hieroſolymitanum, ſed Perfectum in Syriam abire, nonnullásque pecunias interim collectas cruce ſignatis militibus ferre juſſit. Deinde Carolo Siciliæ Regi ſerio præcepit, ne Hieroſolymitanis S. Iohannis militibus impedimento eſſet, quominus ex regno Siculo commeatũ & ſuppetias, bello in Syria gerendo, con-

quirerent, & in Palæſtinam eveherent; *Bzov.* S. 5. Antonium etiam anno ſequenti profectionem mutuare, & ad Reges Romanorum, Arragoniæ, Hungaricæ, Cypri & Armeniæ divertere in itinere juſſit, ut adjutoria laborantibus impetraret. Exegerat per id temporis Maria Franciæ regina à Judæis non contemnendas pecuniarum ſumas. Cæterum, cùm per ſummam injuriam illas ab immerentibus extortas exiſtimaret, eamque ob rem vehementer angeretur, conſulenti illi Clemens reſcripſit, ut eas omnes pecunias, quantæ quantæ eſſent, in ſacri belli Syriaci expeditionē numeraret, eoque modo conſcientiæ ſuæ ſcrupulum eximeret. Cumq; Clemens juvandis rebus Syriacis intentus perſpectum haberet, eas majoré in modum poſſe juvari, ſi Carolus Valeſius jure hæreditario per Catharinam conjugem, ad ſe pertinens Imperium Conſtantinopolitanum recuperaret, illum ipſum non tantùm ad id hortatus eſt, ſed tum conſiliis, tum opibus etiam juvit, Venetosque terra marique potentes ad auxilia ferenda excitavit, ita ut illi cum Carolo in Palæologum juniorem, qui tum Conſtantinopoli imperabat, fædus percuſſerint: *Id.* S. 1. Alii votum ſuſcipiendæ militiæ cruciatæ eidem Clementi emiſſum, irritum mox reddiderunt, vide a. Ch. 1313. S. 21. Cùm Gregorius Papa Carolum Imperatorem crebrius hortaretur, *ut expeditionem contra infideles faceret, ac terram*

ſan-

ſanctam recuperaret, reſpondiſſe fertur; ſe gratiâ Dei ſatis poſſe expeditionem educere, ſed quia conſideraret, quòd ſine multorum Chriſti fidelium ſtrage terram ſanctam recuperare nõ valeret, nec etiam ſi actu eam recuperâſſet, eandem manu tenere poſſe conſideret, ideo fruſtra ſe ingerere temeritatis magis putaret, quã rationis fore; *Naucl.* Gen.46.p.259. Idem multis Anglis animus fuiſſe videtur, quem miraculosè tamen imputatum, & ad obſequium Papæ inflexum fuiſſe, ſcribit *VValſing.* apud *Bzov.* a.Ch. 1383.S.10. Nec minùs fervidè contra *Afros* Pontifices agebant, qui univerſam Italiæ oram, inſuláſque inferi maris, crebris excurſionibus mirum in modum infeſtabant, ac multis illatis cladibus, cũ ſummo totius Reipublicæ Chriſtianæ incommodo juxta ac dedecore omnia longè latéque deplorabantur; *Id.* a.Ch.1390.S.6. & *Turcas*, qui extrema in Oriente Chriſtianis minabantur an.Chr.1392. S.10. contra quos Græci Papæ opem non modò implorabant per Barlaamum an.Ch.1339.S.25. ſed & impetrabant, a.Ch.1359. S.17. confer a.Ch.1342. S.27. & a.Ch. 1357.S.17. 1362. S.2. 5. *Novæ etiam ordinum militarium familia orta fuerunt*, & Barbarorum irruptionibus oppoſitæ. Tales ſunt *Milites Chriſti*, in Luſitania; duo item alii, de quibus ſupra S.1.p.747. & *militia Banda*, de qua *Bzov.* a.Ch.1332.Sect.13. *In Hi-*

ſpania apud urbem Victoriam nova militia adverſus Saracenos, annuente Iohanne Pontifice, ab Alfonſo Rege *excogitata invectaque eſt Bandæ nomine.* Banda *vulgari Hiſpanorum lingua tænia eſt, quam novi milites rubro colore quatuor latam digitos à dextero humero, ſub ſiniſtro brachio corpori circumducebant honoris inſigne. Ingenui tantùm, & qui decem minimum annis in caſtris aulaque verſati eſſent, ad eum ordinem allecti, nobilium modò filiis majoribus excluſis.* Rex *ipſe univerſæ ſocietatis magiſter inſtitutus. Eo honore juvenes nobiliſſimi ad res maximas capeſſendas perficiendasque inflammabantur. Et quidē is longo tempore in magno pretio habitus, conſequentium* Regum *ignaviâ rerumq; humanarum inconſtantiâ in deſuetudinem abiit, ut ne veſtigium quidem extet.*

[d] Nam & Latini multum hac in re deludabant, in Concilio præſertim Viennenſi, de quo ſup. p. 730. & Græci. Extat triplex Ioh. Cantacuzeni poſt, Ioaſaph Monachi Apologia, quam Perſæ cuidam Monacho Meletio, Chriſtiano νεοφύτῳ καὶ νεοφωτίςῳ, inſultanti, opponit I. probat; Chriſtum filium Dei, & verum Deum eſſe & perfectum, quódque Deus exiſtens homo factus ſit, juxta Theologorum & Prophetarum teſti-

teſtimonia. II. Demonſtrat, Filium & Verbum Dei, cùm Deus eſſet, extremis temporibus propter hominum ſalutem hominem factum, crucifixum mortem ſubiiſſe, ſepultum reſurrexiſſe, & in cœlos eſſe aſſumtum. Non tamen divinitatẽ, ſed hominem paſſum eſſe, qui idem judicaturus ſit univerſum orbem. III. Commemorat, quòd poſt Domini aſſumtionem duodecim diſcipuli illius totum orbem docuerint, miraculis ſimul fidem ſuam confirmantes. Atq; hæc, ut *Gualtherus* noſter, Interpres, in præfatione obſervat, *magna pietate, magna religione, ſummo etiam in ſacris tractandis judicio conſcripta ſunt*, iis exceptis, quæ de imaginum cultui ſanctorumque invocatione attexuit, de quibus ſup. p. 698. Invaluit enim jam non apud Latinos modò, ſed & Græcos, ſanctorum cultus & invocatio, *Demetrii* cumprimis, de quo Bzov. a. Ch. 1328. S. 41. 42. Occaſionem ſcripti ita referunt: *Achæmenides quidam virilem ætatem jam ingreſſus, homo non ignobilis, & fortunæ ſplendidæ docendi munus adminiſtrabat. Nã & ipſe, cùm patriæ legis, & omniũ, quæ ad hanc pertinent, æmulus eſſet,* Mahometem *& legem illius magnæ omnino æſtimationis eſſe perſuadere videbatur. Hic veræ pietatis iubare excepto, cum patriam ſuperſtitionem condemnaviſſet, Deum verum agnoſcit. Ob hoc verò omnibus bonis ſuis*

ſuis ſpoliatus, ad piiſſimum Romanorum *Regem, qui tunc Iohannes Cantacuzenus erat, confugit, quo etiam amicè uſus eſt. Cum verò Deus regem ad vitam Philoſophiæ Chriſtianæ ſtudioſiorem vocaret, ipſe etiam inter regis Comites aſſumtus, una cum eo vita Monaſticæ inauguratus, mutato nomine* Meletius *dicitur. Familiari regis colloquio tum non parum adjutus eſt, cum hic nimirum illius informaret animam, & in religione Chriſtiana inſtitueret. Cæterum hæc humani generis hoſtem æquo animo ferre, non erat facile. Perſam itaque quendam armat contra Meletium, cui perſuadet, ut literis doloſis & verſutis illum aggrediatur, & impellat, ut veritatem mendacio mutans, ad priſtinam religionem redeat. Meletius autem, quamvis cupidiſſimus eſſet hujusmodi ſemetipſum ſcriptis opponere, dicendi tamen facultate deſtitutus ad regem confugit, cui literas offert, & auxilium in imminenti concertatione ab illo poſtulat.* Rex *itaq; cum viri inſtitutum approbaviſſet, certamen ſuſcipiens, Meletio ſimul & veritati linguam ceu mutuo dat.* Atque ſic Chriſtiani, qui armis ferreis aut æreis parùm ſe proficere animadverterunt, calamo pugnare cæperunt, eò etiam infeli-

felicius, quo craſſior inter illos jam graſſata fuit εἰκονολατρεία, Muhammedanis prorſus execrabilis. Videamus exemplum. Refert *Bzov.* a Ch. 1391. S.3. Manuelem Palæologum auxilium contra Turcas ex Italia à Pontifice, cæterisq; Italiæ Principibus ſollicitâſſe, promiſiſſe id Pontificem, cæterosque proceres, ſed præſtitum non fuiſſe. Cauſa prætexebatur, Manuelem die quodam feſto, veneratione imaginis crucifixi Chriſti, in dextra manica Chorepiſcopi recuſâſſe. Unde causâ arreptâ Pontifex Italis omnibus ſcripſit; Quicunque Imperatori Græco, qui noluiſſet imaginem Chriſti adorare, auxilium ferret eum à ſacrorum communione ſine venia excluſum iri. Rebus ſic comparatis, quem expectes ſucceſſum?

[*e*] Suſcepta fuit expeditio à Chriſtianis 1. contra *Tamerlanem* & *Tartaros*; an. Chr. 1399. Alexander Vitoudus, Magnus Lituaniæ Dux, aciem produxit, aliquoties feliciter conflixit, tandem fugâ, vix cum paucis, evaſit. *Bzov.* S.10. Idem prolixè condocefacit, Tamerlanem Chriſtiani ſanguinis fuiſſe ſitientiſſimum; a.Ch.1398. S.6. 2. Contra *Turcas*, aliquoties præſertim à Græcis. Sed & hi, vix ſemel atque iterum victores, cumprimis opera Philis Palæologi *Bzov.* an. Chr.1311. varios exceperunt ictus à *Morade* an. Ch.1390. *Bzov.* S.10. *Bajazete* an.Ch.1392. S.10. an.1394. S.6. & aliàs, ut ſupra diximus. Mari etiam infeſti, victricia plerunque vibrârunt arma;

ma; vide an. Chr. 1323. S. 14. Unde Latini cum Græcis copias conjungere cogitant, *Calviſ*. a. Ch. 1331. 3. In *Syriam* cumprimis ſæpius migrare conati ſunt, ſepulchrum Dominicum ereptum, ſed nullo ſucceſſu. *Aut enim itineris periculo territi redierunt.* Vitod. p. m. 31. b. *Circiter iſta tempora*, (ſub Benedicto XI.) *ingens multitudo fidelium, mota cuiusdam prædicatione, ad eripiendum ſepulchrum Chriſti, & terram ſanctam de manibus paganorum ſurrexit, qui præparantes ſe ad iter perficiendum incedebant bini & bini ſecundum ordinem armati, & valdè diſciplinati, petentes in ſingulis locis quæ præteribant, eleemoſynam ſeu ſuffragium ab hominibus, pro paſſagio, & pro tam ſalubri itinere voluntariè aſſumto, conſummando, qui magnam quantitatem pecuniæ taliter colligebant. Nam in ſingulis oppidis, villis & civitatibus, quo, cum vexillis cruce Chriſti ſplendidè depictis, per ambulantes homines ad viſitandos eos turmatim confluxerunt, & eis certatim manus adiutrices porrexerunt: Qui captum opus non compleverunt. Sed mari apud Marſiliam, & aliis locis appropinquantes & ipſum procelloſum fortè videntes territi, cum pecunia ſic turpiter acquiſita redierunt. Unde verificatum fuit in eis verbum Pſalmiſtæ dicentis:*

rentiæ Mare vidit & fugit, *& hoc dico, mari paſſivè ſumto. Nam ſecundum aliquos, quando mare viderunt illico fugerunt. Quidam verò ajunt, eos ab initio deceptores fuiſſe, & callidè res hominum tali modo ſurripuiſſe, & ſic malo titulo poſſediſſe.* Hos *ego vidi & tunc eram Scholis nuperrimè applicatus. Aut ducibus deſtituti, è propoſito deſiſtere cogebantur.* Sic a. Ch. 1301. Gazanus-chan Tartarorum Imperator in Syriam profectus, evocat Chriſtianos ad recuperandam Palæſtinam, verùm cùm Gazanus in periculoſum morbum incideret, Chriſtiani in Cyprum revertuntur. *Cal.* Idem a. C. 1309. infinitæ penè multitudini accidiſſe ſcribit *Bzov.* an. Ch. 1309. S. 24. *Aut itineris pertæſi* ad ſuos cum pudore redierunt; Id. a. Ch. 1311. Atque ſic bellum illud Palæſtinum tot ſufflaminibus impeditum reſtaurari non potuit. Quòd verò illi etiam, qui vel operam ſuam oppugnandis Muhammedanis adjicere debuiſſent, vel etiam aperto cum Tartaris, Mauris & Turcis Marte dimicârunt, terga plerunque verterunt, factum eſt, ut cæteras judicii divini cauſas taceamus 1. *Chriſtianorum ignavia,* & diſcordia, quæ Turcicis rebus addidit robur *Bzov.* an. Ch. 1390. S. 11. 1350. S. 19. *Vitodur.* p. m. 65. 2. *Inteſtinis bellis* quibus illi digladiantes in prædam Turcis ceſſerunt; *Id.* an. Chriſt. 1312. S. 16. Atque his ſubinde gliſcentibus Afris etiam infeſtandi Europam, maximè ſub Ben-Iacob,

Iacob, Rege Marocci, via fuit ſtrata; *Id.* an. Chr. 1340. S. 11. 4. In regno *Granatenſi*, contra *Afros* aliquoties quidem victoriæ deportabantur, ut modò monuimus; interim tamen & hoc loco Martem ἀλλοπρόσαλλον Chriſtiani ſunt experti. An. Ch. 1333. Abdolmelicus, Marocci Regis filius, unâ cum Granatenſi rege, in certiſſimam perniciem Hiſpanorum convenerunt. Ille Heracleam obſidione diuturna oppreſſam tandem per deditionem cepit. Granatenſis Rex alia parte in Cordubenſes agros invectus, latiſſimas populationes fecit, Egaboum occupavit, arcem diruit, incolas in ſervitutem abegit. Tanta fuit apud hoſtes captivorum multitudo, ut ſingula capita aureo nummo veniſſe feratur, graviſſimo Chriſtiani nominis decore. *Id.* Magnam etiam cladem à Mauris acceperunt Petrus, Caſtellæ Regis Patruus, & Iohannis Sanctii Regis frater an. Ch. 1319. Id. S. 6.

III. Cæterùm, quod *Religionem* attinet, ejus Muhammedani, Arabes, [*a*] Turcæ, [*b*] Perſæ, Tartari, [*c*] Indi, Schiſmatibus licèt diſtracti, ſummam geſſerunt curã. Unde non modò Chriſtianos [*d*] in ſua pertrahere caſtra, ſed & ſacrorum ſuorum deſertores ſtudioſe revocare [*e*] laborârunt, graviter in eos [*f*] animadvertentes, qui Chriſtianiſmi propa-

propagandi zelo abrepti, faucibus Muhammediſmi unum alterumve eripere, quod nullis tamen technis impedire [g] omnino poterant, conabantur. Alii, in religione ſua perſiſtentes, Chriſtianorum [h] fautores inſignes extiterunt.

[a] Inter quos eminebant *Osmanidæ*, de quorum rigore, juſtitiæ & æquitatis amore, *auth. Hiſt. Muſulm.* ſcribit *Bzov.* an. Ch. 1395. S. 7.

[b] *Vitodur.* p.m. *Anno Ch.* 1341. *ut fertur, rabies perſecutionis ſæva in* Regno *Perſarum contra fideles ſuſcitata, plures fratres* Minores, *& alios Chriſticolas abſumpſit. Nam* Rex *compulſus à Magnatibus ſuis, præcepit cuncta genera hominum aliarum ſectarum in regno ſuo, quàm Perſarum habitantia, ad ſectam ſuam, ſub comminatione pœnæ diræ mortis, converti: quo præcepto publicato, alterius profeſſionis Pagani & Iudæi & Chriſtiani illic degentes, fugam citiſſimam arripuerunt, ut ſervarent animas ſuas, & ad alias ſe transferentes regiones. Sed quidam fideles, fortes in fide Catholica permanſerunt, qui variis ſuppliciis interempti ſunt. Quidam namque Epiſcopus capite truncatus fuit, multi lapidati ſunt, quidam ſecti ſunt: ſedecim quoq; fratres Minores*

in cœnobio ſuo aggreſſi, decollati ſunt, quos tamen Rex prius amicabiliter & charitative admonuit, tenerrimè eos diligens, ut ſaltem pro tunc fidem ſuam ſe abnegare velle ſimularent, & poſtea, quicquid vellent agerent, qui nolentes aſſentiri, Christi Martyres facti ſunt.

[c] Id. p. 83. a. *Circiter a. Ch. 1324. Fratres Minores martyriſati fuerunt in provincia Chana inferioris Indiæ, in quadam civitate, ſub poteſtati Imperatoris Deldali ſubjecta, à Saracenis ibidem dominantibus, præcipuè ab Epiſcopo eorum. Nam ille, à poteſtate extorta licentia & obtenta, per ſatellites ſuos Martyres Chriſti* (ſi pro Chriſto, ejusque doctrina, non verò Jove ſuo Capitolino, ejusque figmentis ſupplicium ſuſtinuerunt: Nec enim, ut conſtat ſupplicium, ſed cauſa facit martyrem) *ipſos effecit. Ratio autem, quare mortem idem Epiſcopus infidelis ipſis provocavit, eſt iſta. Noluit deſiſtere, quin cum aliis Saracenis literatis, cum fratribus certamen diſputationis inire vellet de fide, in cujus certaminis ingreſſu infideles fratribus inſultabant, & objecerunt, Chriſtum non fuiſſe Deum, ſed purum hominem, quem errorem, & cæteros, cum*

Fra

Fratres luce clarius refutâſſent, & Chriſtum Deum verum & hominem rationibus & exemplis probâſſent, confuſi & victi, clamore magno quæſiverunt à Fratribus, quid ſentirent de Machometo? reſponderunt, quòd eſſet filius perditionis, poſitus in inferno, quia poſt Chriſtum longè veniens, legem contrariam legi Chriſti dedit, & ideo non ſolùm ipſe, ſed omnes, lubricæ ejus & execrabilis vitæ, veſtigia imitantes & peſtiferum ejus legem ſervantes, filii æternæ damnationis fierent: quam confuſionem Epiſcopus coram populo æquanimiter ferre non valens, paſſionis varia ſupplicia Fratribus intulit, & eis vitam ademit. Scribit, eos poſt mortem ita claruiſſe miraculis, ut multi Muhammedani, religionis cauſa, loca ſupplicii viſitantes, cruorem defunctorum lingentes, aut aquæ permixtam bibentes, à variis liberati morbis de ſuis dubitare cæperint ſacris.

[c] Quod non de plebejis tantum, ſed & Monachis commemorant Hiſtoriæ. *Vitodur.* p. m. 60. ſcribit. *Stephanum de Vngaria, rejecta cuculla Franciſci, fidem Chriſtianam inter Saracenos ejurâſſe, & ad Muhammedanos tranſiiſſe. Mox tamen pœnitentia ductum publicè in Mesgida palinodiam ceciniſſe, nec ullis deinceps vel promiſſionibus vel ſuppliciis à*

 Mu-

Muhammedanis revocari potuiſſe. Id pag.61. narrat, *quod à mercatoribus fide dignis, quibus notum erat, acceperit, quendam Fratrem ordinis Prædicatorum, ſe transferentem, ut evangelizaret illic Chriſtum ad terram Saracenorum, à fide Chriſti diſceſſiſſe, & apoſtatâſſe, & ſectam ipſorum patenter aſſumſiſſe; de quo nimis gaviſi ſint dicentes:* Hic cum fuerit Doctor, lux & columna fidei Chriſticolarum, ad ſectam noſtram converſus ſua fide abdicata, robur & firmitatem noſtræ profeſſioni præbet. Hinc revereri eum nos docet. In Granatenſi regno plurimi Muhammedicis fallaciis circumventi, delitiis Imperatoris acquieverunt. Cùm Granatenſis civitas, ejusque urbis populus an. Chr.1311. ad CC.M. incolarum cenſeretur, vix quingentorum capitum numerum implevit, qui Mauri ſtirpe eſſent, reliqui verò patre aut avo Chriſtianam fidem profeſſis nati. *Bzov.* an. Ch. c.S.16. Diuturna enim converſione non modo ſuos Mauri Hiſpanis affricuerunt, ſed & dogmata inſtillârunt. Rex Arragonius Saracenos & Iudæos promiſcuè cum Chriſti fidelibus in terris ſuis commorari atque converſari ſuſtinebat. Unde ingens in Chriſtianis corruptela morum, & occaſio tum Apoſtaſiæ, tum blaſphemiarum maximo Chriſtianæ religionis probro. Quamobrem Benedictus XII. Regem, Epiſcopos,

pos, Prælatos & Proceres Arragonios neceſſe habuit monere, ut Clementinæ ex Concilio Viennenſi conſtitutionis meminiſſent, & perfidos, profanosque à conſortio fidelium piorumque excluderent; *Id.* an. Ch. S. 18. Sed & Turcæ Ianizaris ſuis Muhammediſmum ampliârunt: de quorum origine ſub Amurate facta, *Cal.* an. Ch. 1361. à captivis primò, deinde à ſubditis Chriſtianis, quintumquemq; Sacerdotes ſumebant, qui & armis & moribus Turcarum inſueſcebant. Confer *Iuchaſ.* 152. b. & *Schalſch.* p. 113. a.

[e] Id quod Epiſtolâ *Muſulmannus Sampſates* Isphahanenſis Perſa contra *Ahmedem*, ſeu Meletium Monachum, probavit. Extat in limine Apologiæ Cantacuzeni. Compendiũ eſt Theologiæ Muhammedicæ, & index dogmatum, quæ in Chriſtianis illi reprehendunt.

[f] Vide ſup. lit. c.

[g] Habemus enim converſionem 1. *Ahmedis* ſeu Meletii. 2. *Abdallæ*, Regis montium clarorum; *Bzov.* a. Ch. 1353. S. 23 3. *Perſæ* illius, de quo Vitod. p. m. 30. b. R*egis filius erat, quem propterea Rex Chriſtianum fieri voluit, quòd audiviſſet unicuiq; quidem ſuam præ cæteris placere religionem, à ſua tamen diſcedentes, nullam eſſe, quàm lubentius ſequerentur religione Chriſtianorum. Filium, aqua baptiſmatis ablutum, ſacra Chriſtianorum amplexum, in iisdemq; innutritum fuiſſe, mortuo verò pa-*

rente, ne ſucceſſionis ſpes decollaret, ad vomitum rediiſſe. Commendabant Epiſcopis in Muhammedanorum converſione Epiſtolam, *Alexandri* Papæ, Sultano Perſarum ſcriptam, quam *Bzov.* habet an. Ch. 1340. S. 13. quæ iterum documento eſt, quàm cautè Papiſmi ſcorias ab Evangelico auro, ubi infidelium animi erant imbuendi, diſtinxerint.

[b] Exemplum cujusdam *Sultani* habet *Vitodur.* p. m. 64. qui & filium ſuum, quod divitem, Chriſtianum ſpoliâſſet, interfeciſſe dicitur. Idē refert, *Prædicatores quosdam Saracenorū, converſioni deſtinatos, coram Sultano comparuiſſe, quibus operam illi ſuam addixerit, modò habitum mutarent & tonſuram; ſin, extrema minatur. Obſequium à Prædicatoribus præſtitum Sultanum ita offendiſſe, ut denuo accedentes ita compellârit : Cum vos ſitis Doctores Chriſtianitatis & duces, & lux aliorum, & tamen tam cito moti propter terrorem, quem vobis incuſſi, ab habitu veſtræ profeſſionis, & regularis obſervantiæ, quàm mobiles cæteros eſſe per hoc patet. Ego habeo ſub me Paganos tam fortes & conſtantes in Paganiſmi obſervationibus, ut libentius ſe dilaniari & ſcindi in mille particulas ſinerent, quàm quòd à ſuorum ſacrorum rituum cuſtodia declinarent.*

Eos igitur à ſe abactos cum pudore domum reverti coëgit. Sic à *Sultano* Babyloniæ, Veneti commercia libera Ægypti impetrârunt: quæ quod prohibita eſſent Chriſtianis, Papę authoritatem flagitarunt: Vide *Bzov.* a.Ch.1339. S.7. Ex hac navigatione Veneti plurimum erant ditati, quia tum primùm ex Oriente in Italiam ſericum, aromata, gemma detulerunt. Magnã quidem benevolentiam præ ſe ferre videbatur *Moradus* ſeu *Amurates*, qui Græcis, ſuppetias flagitantibus, ſuccurrit; ut ſupra monuimus. Sed hęc prima & opportuna in Europam trajiciendi fuit occaſio, genti dominii avidæ. Vide *Bzov.* an. Ch. 1392. S.3. *Avent.* l.7.p.814. Porrò, *Muhammedem* commendant, ejusque filium *Ioſephum*, Reges Granatenſes, quòd ille amicitiam perpetuam coluerit cum Hiſpanis; hic ſuperſtite patre multis Chriſtianis libertatem reſtituerit, absque redemtionis pretio. Unde etiam à filio *Muhammede*, quaſi nomine tantùm Maurus eſſet, re ipſa Chriſtianus, in magnũ diſcrimen fuit adductus; Id. an. Chr. 1392. Sect. 10. Licèt verò Mauri inter Chriſtianos tolerarentur, cautum tamen fuit, ne ſacra ſua liberè peragerent. Inter Canones Decret. Concilii Viennenſis ſub Clemente V. recitatur 38. *Principes Chriſtiani Saracenos ſibi ſubjectos à publica invocatione Mahomedi, & à peregrinatione ad ſepulchrum illius omnino coërceant, neque permittant Zaba-*

Zlais ſeu Sacerdotibus eorum in templis ſeu Meſquitis, *ad quas iidem* Saraceni *ad adorandum perfidum Mahometum, diebus ſingulis certis horis conveniunt, nomen ejusdem* Mahometi *Chriſtianis &* Saracenis *audientibus, ex editiore loco alta voce invocati, aut quicquam in honorem publicè proferri.* Id. an. Chr. 1313. S. 1.

Sectio III.

De

Gentilismo.

Latè adhuc terrarum patuit Gentiliſmus. Qui expellendo illi in reliquis Europæ angulis operam ſuam addixerunt, ita plerique comparati [a] erant, ut, in errore potius, errantes confirmâ-rint, quàm ad regiam vitam traduxerint. Unde pauciſſimorum [b] converſione ſeculum hoc celebre eſt.

[a] *Ioh. Vitodur.* p. m. 74. b. His *temporibus, quemadmodum fide digna relatio me informavit, Crucigeri dominantes longe lateque in provincia Pruſcena* Regni Regis *Licaonia, ma-*

magnam partem potenter per bella, quæ illis intulerant, auferentes, in ſuum dominum redegerunt quam ut rehaberet, ipſis fidem Catholicam recipere firmiter pollicebatur. Quod dū facere recuſarent, Rex *Licaoniæ aiebat, in hoc luculenter comprehendo, quod non meam fidē, ut ſimulant, ſed pecuniam appetunt, & ideo in Paganiſmo perſeverabo. De his Crucigeris verbum lamentabile, & ſi ita eſt, fidei Orthodoxæ penitus inimicum, quod abſit, enarratur, quod omnes Pagani, quos, per bella ſibi tributarios efficiunt, malint in ſuo Paganiſmo permanere, ſub eorum tributo, quàm à tributo eorum exemti, &c. Famatur etiam, ipſos non ſolum terras Principum infidelium invadere, ſed etiā fideliū; ſicut* Regis *Cracoviæ, cui violenter abſtuliſſe feruntur duas terras, &c.* Quod poſterius à *Bzov.* etiam confirmatur an. Chr. 1329. S. 22. Ab hoc ergò latronum & prædonum manipulo, quem expectes in Chriſtianiſmi propagatione ſucceſſum? Nec Miſſæ ſacrificium illicem fuiſſe, quo ad Chriſtianiſmum permoveri potuiſſent Gentes, ex Hiſtoria, quam recitat *Vitod.* p 21. b, luculenter patet.

[*b*] 1. *Lithuani*, ultimi in Europa populi, an. Chr. 1387. Chriſtianiſmum induunt Gentilium Idololatriâ depoſitâ, & Uladislaus Rex in Vilna

inſtituit Eccleſiam Cathedralem, & Epiſcopatũ. *Mech. Buchh.* extirpatis ante Idolis à Iagellone *Geneb.* p. 709. Fuit autẽ Iagellus Lithuaniæ Princeps, cui Poloni filiam regis defuncti deſponderunt, hac conditione, ut Chriſtianus fieret, & Lithuaniam Poloniæ regno adjungeret, qua conditione acccepta d. 12. Febr. baptizatur, Ladislaus Iagellus vocatus; *Calv.* a. Ch. 1370. & 1386. *Geneb.* p. 710. Compendium vitæ & rerum geſtarum habet *Keckerm.* Syſt. Log. Plen. P. II p. 461. *Bzov.* a. cit. S. 4. Quæ religio eorum, vel ſuperſtitio potius fuerit, idem narrat: F*uit*, inquit, G*ens Lithuanica priſca, multorum Deorum, ſeu verius dæmonum, ſuperſtitioni dedita: quia & ignẽ pro Deo colebat, & eum in celebrioribus locis atq; oppidis perpetuum aſſervabat. Fulmini quoq;, quod Percunum vocabat, divinum honorem tribuebat. Lucos & eximias quasdam arbores in ſylvis, ſacroſanctas habebat, ita ut violare eas ferro, nefas eſſet. Nec impune erat tale quicquam auſis. Nam violentia dæmonum vel interibant ſubito, vel membro aliquo capiebantur. Viperas item atq; ſerpentes divinitatis nõ exortes eſſe credebat, & alebantur ii, quaſi quidam familiares in ſingulis domibus atq; familiis, & lac eis libabatur, & galli gallinacei immolabantur, erat q; inauſpicatum & exitiale toti*

: toti familia, quemquam ex his occidiſſe aut ιiolâſſe. Erat autē apud eos quotannis ſolenne ſacrificium, ſub initium menſis Octobris, poſt ollectas fruges, ad quod frequentes cum uxoribus & liberis & ſervitiis conveniebant, ac oto triduo epulabantur, de his, quæ diris mactarunt, atq; obtulerunt. E bellis etiam revertentes, manubias, & unum aliquem de captiυis eximium, victima loco igni cremabant. Corpora mortuorum cum pretioſiſſima ſupellectili, qua vivi maximè uſi erant, & cū equis & armis exurebant, & ad buſta propinquorū, lacte, melle, & mulſo parentabant. Converſionem à Gentiliſmo Papa Iohannes XXII. jam a. Ch. 1329. tentabat; ſed cùm Rigenſis Archiepiſcopus, Papæ eos nomine ſolicitaret, reſponderunt: *Papam veſtrum neque novimus, neque noſſe cupimus, fidem ac religionem, quam paterna traditione accepimus, in ea permanebimus.* Bzov. 2. Referunt exemplum magni cujusdam Regis Tartarorum (neſcio an idem ille ſit, cujus meminit *Vitod.* p.m. 67.b.) ad Chriſtianam fidem adducti; *Id.* an. Ch. 1321. qui decem Monaſteria Franciſcanis extruxerit, & poteſtatem prædicandæ doctrinæ Chriſtianæ fecerit. Epiſcopos etiam Tartaris ordinâſſe dicitur Papa *Geneb.* p. 691.

SE-

Sectio IV.

De

JUDAISMO.

Pergimus ad Judaiſmum, qui tanto Seculo hoc fuit pluribus mactatus malis, quanto pertinacius, Gens effrenis impietati ſuæ, addicta, ægrè ubique Chriſtianis [a] facere fuit parata Unde variis eos ſuppliciis affectos fuiſſe & [b] Chriſtiani tradunt ſcriptores, & ipſi etiam [c] Judæi. Non deerant tamen, qui ex [d] Chriſtianis patrocinium ſuſceperunt, ſive aureis telis expugnati, ſive ſpe converſionis ſuffulti. Non pauci ſacrorum [e] mutatione vitam redemerunt: alii, ne avitæ ſuperſtitioni repudiũ mittere cogerentur, vel [f] diſputationibus ſe defendunt; vel capita [g] ſponte offerunt. [h] Miraculis, [i] martyriis, & quorundam [k] Apoſtaſia confirmati, in ſua plerique impietate perſiſtentes, ſtudia [l] Theologica, & Philoſophica,

ca, [m] operâ minime proletariâ, tractare [n] quidam pergunt.

[a] Referunt enim Chriſtianorum annales, eos 1. infantem Uberlingæ exenteratũ, in fontem præcipitâſſe. *Vitod.* p.50.a 2. Idem deſignâſſe facinus, & in alio quodam Hoſpitalario; *Id.* p.56.a. Eremitam quendam ad VVormatiam a.Ch.1343. dilaniâſſe, diſcerpſiſſe, eviſcerâſſe & membratim diſſolviſſe, *Vitod.* p.75. 3. Fontes infeciſſe veneno, quo latè ſerpens peſtis in orbem ſit invecta, *Naucl.* Gen.45. pag.254.b. 4. Hoſtias profanè tractâſſe, *Bzov.* an.Ch.1399. S.13. *Vitod.* p.58.b.& pag.47.b. ubi tamen non diffitetur in Judæos, hoc ſaltem nomine, innocentes fuiſſe ſævitum: vel ipſos etiam ſacrificulos ſuam adhuc ſæpe contuliſſe operam, p.58.a. vide ſup. p.786. 5. Furtis, ſacrilegiis, & aliis ſceleribus ſe obſtrinxiſſe. *Vitodur.* p.72.a. 6. Cum leproſis ad inficiendos fontes conſpirâſſe, *Naucl.* Gen.45.p.254.

[b] Aut enim, exilio multati ſunt, ut in a. *Gallia.* An. Chr.1306. Judæi in Galliis mandato regis Philippi die 22. Julii capiuntur, facultatibus exuuntur, & regno ejiciuntur. *Albert. Argent. Calv. Geneb.* pag.693. Et iterum an. Chr.1395. quod quartum & extremum è Francia exilium vocatur, *Id.* pag.712. b. *Germania.* An.Ch.1392. edicto Imperatoris ex tota Germania ejiciuntur, & literas ac pignora debitoribus reddere coguntur, nobilibus quidem abſque ulla ſolutio-

lutione, civibus & aliis pro dimidio pretio. *Annal. Suev.*

Aut λύτρῳ vitam ſuam redemerunt, ut Judæi Caſtellenſes, qui omnes capiebantur, *Zem. Dav.* p. 49, b. *Iuch.* 143. *Aut* ferro, & igni in eos ubique animadvertebatur *Felix. Fab.* Hiſt. Suev. l. 1. p. 151. *A. D.* 1348. *facta eſt magna Iudæorum perſecutio quaſi ubique, adeo, ut gens Hebræorum crederet finem veniſſe, & undique comburebantur ſine differentia ſenes & juvenes. Dicebatur enim de iis, quod venena, in aquas ſparſiſſent, quod & fatebantur in tormentis. Porro Dux Auſtriæ, Comes de* Habſpurg *& Kyburg rogatus à Iudæis, qui erant in illis comitatibus, ut eos protegeret, reſervavit in Kyburg* 330. *Sed civitates Duci Alberto ſcripſerunt, ut eos per ſuos judices cremaret, vel ipſæ eos per juſtitiam comburere vellent, & illi etiam omnes exuſti ſunt. In illa autem Iudæorum perſecutione multi baptiZati fuerunt, & in vita conſervati. Ceſſante autem perſecutione quidam Iudæus baptizatus in Conſtantia cum ſua familia, incluſit ſe in domo ſua, & ante noctis medium eam ſponte incendit, & per feneſtram clamavit, quod ipſe cum ſuis ut Iudæus, non ut Chriſtianus mori vellet, & multa blaſphemans mortuus eſt proprio*

rio igne, & 40. domus ſimul ab eodem igne ncenſa ſunt & combuſtæ. Similiter quidam 'udæus baptizatus extra portam in quoddam ugurium ſe recepit, & ſeſe in eo combuſſit. Ex illis autem incendiis, orta fuit indignatio remationis. Vnde proſcripti fuerunt extra egionem. In Eslinga etiam Iudæi omnes uam intrantes Synagogam, eam incenderunt, e ipſos in ea cremantes, ſicque fuerunt Iudæi ene omnes deleti. Cauſa autem tantæ ſeve itatis in Iudæos erat immaniſſima peſtis, quæ ere per totum mundum graſſabatur, et amnum in transmarinis partibus, & ubique udæi inculpabantur, quod fontes infeciſsent. Vide ſup. pag. 647. Sic Naucl. Gen. 45. p. 254. De ac peſte infamati fuerunt Iudæi, quòd eam fe- erint fontibus infectis, & propter hoc cremati unt à mari uſq; in Alemaniam, præter Avinionē, bi ipſos Papa præſervavit. Habitus fuerat deſu er tractatus in Bennfe.. l oppido Alſatiæ, &, ut icebatur, quidam ex Iudæis inventi fuerunt, uaſi omnium maleficiorū commiſiſſe genera, x in Hiſpania de veneficiis conveniſſe. Item de ece multorum puerorum, de falſificatione ſu- er debitis inſtrumentorum & monetæ. Verùm najores & potentiores nitebantur, eos deſcen- lere; ſed plebs furens omnes traxit ad ſuppliciū.

Cre-

Cremati ſunt in multis locis, & cùm evadere ſe non poſſe viderent, incluſerunt ſe in domibus, & ſe ipſos cremaverunt, unà cum locis vicinis. Dicitur etiam tantus fuiſſe ignis Moguntiæ, ut magna campana civitatis in Eccleſia S. Quintini, & pretioſæ feneſtræ ex igne defluxerint. Scribitur etiam, quòd majores Judæorum ad excidiū Chriſtianitatis puteos & fontes toxicaverint, & inventi ſint ſaculi in fontib⁹ veneno pleni: unde fontes & putei claudebantur, & aqua fluviali aut pluvia homines utebātur. Multi etiam ex Judæis utriusq; ſexus baptizati ſunt, pauci amore Dei, ſed potiùs timore magnæ pœnæ. Civitates Imperiales domos Judæorū fregerunt, & cum lapidibus earū, & cœmiteriorū ſuorum turres & muros cōſtruxerunt, inventiq; ſunt theſauri plures, ac alia innumera bona. Fuerunt etiam nonnulli Principes, nobiles & potentes, & præſertim Rupertus Comes Palatinus, pro pecunia, ut dicebatur, Judæos recipientes, contra quos convenerunt nobiles & ignobiles, in Judæorum fautores ſe vindicare parantes. Non defuerunt etiam, qui dicerent, peſtem ex aëris indiſpoſitione ita invaluiſſe, atque Iudæos per hoc judicabant innocentes fuiſſe, ſed cùm ambigua ſint, non nihil affirmare contendimus. *Avent.* annal.l.7 pag. 776. An.Ch.1337. Iudæi, hoſtes pietatis Chriſtiani pervicaciſſimi ob lætalem ſimultatem & plus quàm civile bellum ſummorum Principū, Cæſaris atque Pontificis, religioni noſtræ (quam alio-

alioquin vanam, falſam, confictam, exiſtimant) excidium adfore rati, in necem Chriſtianorum per univerſam Germaniam conſpirant, illos veneno tollere parant, ſacra noſtra furto ſublata, furnis ardentibus injiciunt, incude contundunt, aliisque ludibriis afficiunt. Quæ ubi prodita ſunt (ſicuti nulla ſcelera, præcipuè hujuscemodi, diu latere poſſunt, quippe ſanguine pluiſſe traditur) Hartmannus de Degenberg, Teckendorffenſes pridie Nonas Octobris Iudæos in vincula conjiciunt, contrucidant, igne incremant, eorum opes diripiunt. Idem Strubingæ cæteris urbibus Germaniæ atque Bojariæ, præterquam Viennæ, atq; Reginoburgii factitatum eſſe reperio, invitis Magiſtratibus, tamen ob furorem vulgi, tumultumq; popularem opem ferre non audentibus.

Iohannes Vitoduranus p.m. 50.a. An. Chr. 1332. Scelus immane in Uberlingen à Iudæis perpetratum eſt. Quidam enim puer à parentibus ſuis amiſſus illic, cû maximo dolore per aliquot dies cuidam fonti injectus tandem repertus eſt, qui allatus ad civitatem à parentibus agnitus eſt. Notantes autem eum certis conjecturis & evidentibus argumentis, ſcilicet in inciſionibus viſcerum & venarum à Iudæis necatum, nimis commoti ſuper puero ſuo valenter clamare per civitatis vicos ceperunt, irritare cupientes Burgenſes in ultionem filii, qui ſimiliter veritatem rei in cicatricem renovatione, cûm ante domos

Judæorum portaretur, perpendentes, inconſulto Imperatore Ludovico, & advocato, qui judicio tendente ad indulgentiam Iudæorũ propter pecuniam, ſpreto, quia ad parcendum eis, non puniendum eos, erat primus, tumultu populi illico jam facto, fremuerunt adverſus Judæos, meditantes, qualiter eos opportunè perderent, civitate illæſa permanente. Videntes enim, tot & tantis ſignis & indiciis ipſos fore reos, ſe refrænare non valebant ab eorum digna nece. Ut autem omnes pœna mortis una cõprehenderet, ut nullus effugeret, eis tacitè perſuadebant, per modũ ſalubris conſilii, ut ad domum quandam excelsã lapideam convenirent, quod dum feciſſent, in partibus ſuperioribus domus firmiter detenti & concluſi ſunt, & infra in pavimento domus, rogus copioſus accenſus eſt, qui gradatim ardor incrementa ſuſcipiens, & miro modo invaleſcens, eos ad altiora domus fugere coëgit, & aliquot viros tectum conſcendere; tandẽ ignis ſuccreſcens & totam domum in flammã convertens omnes quidem quandam melodiã perſonant, quos conſumſit, & penitùs incineravit. Quidam verò ſuper tectum ſtantes, ſentientes ſibi mortẽ appropinquare, cultros ſuos exertos, gladios, trabes, lapides, ſpicula, & quicquid manus eorum invenire poterant, ad turbam populi quodammodo infinitam, circa domum exitium eorum conſpicientem projecerunt, & quod mirabile eſt dictu, neminem lædere potuerunt. Præterea alii ſentientes

entes moleſtiam ignis per feneſtras & de tecto in turbam fidelium ſe præcipites dederunt, qui ſecuribus mutilati & truncati repentè ſunt, & gladiis lanceisq; transfoſſi; quidam uſq; ad excuſſionem cerebri percuſſi ſunt. Quidā etiam latitans in privata, à quodam viro fideli caſualiter repertus, tanquam bos ad macellum ductus ſecuri ſectus eſt. Ad mortem Judæi, qui ibi per ignē incinerati ſunt & peremti aliàs, & in ignem retruſi, ut fertur, plures quàm 300. fuerunt. Et p.58.a. *Illo quoque tempore ſingularis Iudaeorum tribulatio orta eſt*, propter hoſtiam illam, de qua ſup. p.786. Sic p.56.a. *ſcribit*: Nunc mirabile factum, in tantùm, quod à ſeculo non eſt auditum, act.an.Dom.1336.tempore Benedicti Papæ XII. & Ludovici Imperatoris, quanto melius potero enarrabo. Quidam enim vir nobilis, tunc temporis in partibus Franconiæ, â Judæis fraudulenter, malitioſè ac turpiter interfectus eſt, quòd audiens frater ejus de ordine Hoſpitaliorū, vir robuſtus & animoſus, nimium dolens de occiſione fratris ſurrexit, & multorum virorum animos ſibi concilians, in ultionē fratris, Judæos graviſſimè perſecutus eſt in illa terra. Et ut efficaciùs efficere poſſet, quod ſolicitè diligenterque volvebat in pectore, ſub prætextu paſſionis Chriſti, illatæ ab eis vindicandæ ab eo zelo fidei accenſus, tanquam eſſet magnam multitudinem virorum, in exterminium & necem Iudæorum

provocaturus: ulciſci enim ſcelus Iudæorum Chriſtum crucifigentium, in poſteris tunc præſentibus & ſuperextantibus ſe veraciter reputabant. Hic cum tali modo multos Iudæos occidiſſet, tandem ejus mortem magno pretio dando malis Chriſtianis procurabat, & ſic de manibus ejus erepti ſunt.

Hujus exemplo quidam ruſticus campo exiſtens, ut fama communiter proteſtabatur, in Alſatia, ſtatim poſt eum, neſcio pro certo, quo motivo, inſtigatus, inſurgens contra Judæos populari turma copioſè conſtipatus, magnâ plagâ eos percuſſit, velle enim ſe vindicare in eis martyriũ Chriſti, manifeſtè aſſeverans, de plebeia turma virorum nanciſcens, & ad inſtar adamantis attrahens grandem multitudinem, oppida plura in Alſatia vexillo crucis, & imagine prætenſa adiit, petens opportunè & importunè intromitti, allegans ſe divinâ inſpiratione & cœleſti oraculo in mandatis accepiſſe, in tota terra debere Judæos inimicos Chriſti per eum & mediantibus auxiliatoribus ſuis deleri, & de medio tolli, addens quæcunque civitas caſtrum vel oppidum ſibi in hoc reſiſteret, orthodoxæ fidei, & Dei ordinationi contrarietur. His auditis verbis exhilarati, libenti animo portas aperientes liberum introitum ei, & eum comitantibus indulſerunt, nec contenti ſunt in hoc, imò pari & concordi voluntate, unà cum eis in Judæos ſævientes, ipſos cum uxoribus & liberis extinxerunt. In

hac

hac cæde multi Iudæorum videntes ſe mortem evadere non poſſe, pueros ſuos utriuſque ſexus ſtrangulabant, vel de alto in ima præcipitabant, ne timore mortis perterriti ad baptiſmum convolarent. De una enim pulcherrima Iudæa audivi, quòd cuidam viro populari ſe, & ſua ſubdidit, promittens baptiſmi lavacrum ſuſcipere, & ad lumen fidei Catholicæ declinare, ut per eum à mortis caſibus eripi & liberari mereretur, quæ ille, quia ruralis, incompoſitus & inſulſus erat, minimè advertens, ipſam in inguine transfodit & vitam præcidit. Hic perſecutor Iudæorum, de quo jam eſt ſermo: vocatus erat à vulgaribus Rex Armleder fortè ut verbum rei geſtæ alludebat: hac de cauſa quòd in brachio corio pro ferro utebatur, ipſum enim inermem gens inermis ſequebatur. Nam ſicut iſta vocatio quemq; alliciendo deprehendit, ſic ad iſtam expeditionem ſeu congregationem in ſpiritu vehementi rapiebat: crebeſcente enim fama Regis hujus & intentione ſua bona, quam prætendit, ut prædictum eſt, quantum ad opinionem & crudelitatem ſimplicium hominum, rudium & inſipientium, de cunctis finibus & angulis Alſatiæ, more torrentis, raptim & certatim ad eum in ingenti numero confluebant, & obliti rerum ſuarum, cunctiſque ſuis negotiis peragendis relictis, excepto ſolo pane, quem ſecum in ſacculo deportabant, ad eum ardenti deſiderio feſtinabant, quando voluerat, domum remeabant,

quandò verò voluit, catervatim redierunt ad eũ, cum acceleratione incredibili, & propriis ſibi ſtipendiis militabant, unus quisque inſtrumento ſui officii, vel artis ſuæ ſcilicet ſecuri, raſtro, gladio, malleo, vel tribula, cultro, aſcia, bipenni, venabulo, arcu, baliſta, cuſpide, vel quocunque alio modo providens in craſtinum: ſed providentiæ divinæ ſe cõmittentes affectu mirifico divinitus, ut præſumitur, indito, ad Regẽ quaſi in momento accurrebant, una enim voluntas omnibus inerat ulciſci mortem innocentem & ſanguinem Redemptoris. Glutino enim fidei unum cor & una fides ſunt effecti. Quid plura? Sive in Rufach, ſive in Einſisheim, ſive in aliis oppidis, & locis Alſatiæ fuerit, mille & ducentos, & ultra, ut fertur, Iudæos perdidit, & ſpurcitiam eorum, & maleficia de medio fidelium ibidem habitantium extirpavit, cadavera eorum extra oppida vehebantur, & in aquis demergebantur, vel in aggerem ſeu cumulum in campis comportata, igne conſumpta ſunt. In hac perſecutione Iudæorum dicitur iſte Rex habuiſſe in comitatu ſuo millia quinque quingentos: interdum ferè duo millia virorum peditum, quorum ſeveritas in omnem terram circumpoſitam, perſonare vulgabatur, ut verbum Prophetæ videatur quodammodo in eis completum dicentis: In omnem terram exivit ſonus eorum, &c. Imò eorum rumor & pavor in cunctis circumjacentibus in tantum inſonuit, quòd poſt ſtragem præ-

fatam

fa am Iudæorũ, cæteri Iudæi ſuperſtites de cunctis illis terminis adeò conterriti & ſtupefacti fuerunt, ut in civitatem Alſatiæ Colmar, Imperialem confugerint, & Burgenſium patrociniũ invocarint. Quod percipiens Rex civitatem eandem in ira vehementi adiit, & Judæos receptos ab eis in protectionem ſibi exponi popoſcit, quod dum facere recuſarent cives ipſos multimodè affligere cupiens, primò civitatem cum ſua militia & exercitu copioſo per multos dies potenter obſedit, meſſem & vindemiam eorum graviter impediens, propter quod ſchiſma grande & ſeditio malè diſcriminoſa in civitate orta ſunt. Nam vulgares expellere Iudæos nitebantur, ſed potentiores auſus eorum temerarios coërcentes, Judæos, totis viribus tuebantur, quamobrem illic turbationes & terrores ſecuta ſunt. Nam ut tunc à quibusdam dicebatur, de potioribus civibus pro muro ad defenſandum Iudæos ſtantibus aliqui vulnerati ſunt. Cùm ergo civitatem taliter multis diebus afflixiſſet, tandem, cùm Judæos habere nequiret, ad quandam villam non longè diſtantem à civitate divertit, ubi dum quamdiu ibi manebat, populares de civitate egredientes requirebant, & frequenter viſitabant. Cùm verò proxima quadrageſima ſequente hoc factum Imperator Ludowicus in ſæpe dictam civitatem cauſa demorandi ibi ad aliquot dies, & Rex jam præfatus in partes Galliæ ſeceſſiſſet, cum conſorte ſua Imperatrice tranſtuliſſet,

liſſet, & Iudæis & ſuis patronis aſtaret, indignata Imperatrix jubet duos gallos gallinaceos aſſari, & aſſatos Imperatori per dapiferum in menſam afferri & præſentari, quos allatos abhorruit, & tolli irato animo mox à ſe præcepit, inquirenti quoque cur cibus jejunii tempore ab Eccleſia vetitus ſibi propoſitus fuiſſet? Imperatrix nomine Margaretha, filia comitis Hollandiæ, reſpondit: Cùm Judaizare videamini, Iudæis aſtando & conſentiendo, conſequenter rationi conſonum videtur, ut eis vosmetipſos conformetis, carnes quas jam non vitant, ſed eis liberè veſcuntur unà cum ipſis licitè manducando. Quo audito Imperator obſtupeſcens ad cor rediit, & præcavens in futurum ait: Pœnitet me feciſſe præterita, ergo corrigam & deinceps in talibus me emendabo. Igitur cùm Imperator illa à civitate, cunctis quæ volebat ibi diſpoſitis & peractis diſceſſiſſet prænominatus Rex reverſus eſt, & ſecundariò civitatem obſidione concluſit, & multipliciter moleſtavit, agros & prata, frumenta & vineta degraſſando, univerſos quoque fructus depaſcendo, nec non cives intra muros coarctando. & res & bona extra muros ſpoliando, cùm ibi & alibi dominatio, ut, & poteſtatis ſuæ robur gradatim invaleſceret, & evidenter appareret, ne longè latèque odoris ſui invincibilem ſpargeret magnificentiam, non ſolùm Iudæis in Alſatia conſtitutis, verùm etiam in Suevia timorem inæſtimabilem incuſſit, ut ali-

qui

qui relictis civitatibus, ubi reſiſtentiam & domicilium multis priùs habebant annis, loca tutiora & firmiora ſolicitè de animabus ſuis quærerent, & ut talia loca adipiſci poſſent, Dominis terrarum, ea habentibus, pecuniam maximam erogabant, vel eam ab eis ſibi debitam, & in proximo ſolvendam remiſerunt, & totaliter condonaverunt. *Id.* pag. 75. ait, Comitem Palatinum ab Imperatore patruo impetrâſſe veniam, Iudæos torquendi, per totam Germaniam, quod Eremitam, de quo ſupra, ſuſtuliſſent è medio. Et p. 72. a. An. Ch. 1342. apud oppidum, Horenberg vocitatum 13. Iudæi deprehenſi in ſacrilegiis & aliis furtis gravibus, combuſti ſunt, complices quoque eorum aliqui ab eis proditi, vel aliàs notati Schaffhuſæ & in Friburgo inferiori, & in Villingen morte condigna multati ſunt. *Bullinger.* annal. Tigur. l. 7. c. 19. refert, multos hoc ſeculo Tiguri habitâſſe Judæos, in beyden Brungaſſen/ ubi Synagogam (quæ etiam num hoc nomine obtento, veteris ſuperſtitionis quædam veſtigia retinet) ſuam habebant. Legi non ita pridem documentum, ex quo collegi, civitatis nonnullos jure eos gaviſos fuiſſe. Infanticidii autem a. Ch. 1349. reos, de fontibus inſuper veneno corruptis ſuſpectos, ad ſupplicium ignis fuiſſe raptos, veſperâ. Matthiæ a. cit. cæteros verò perpetuò epoſtraciſmo relegatos, ſpe commorationis inter Tigurinos planè præciſa. Liberum tamen per territorium Tigurinum Iudæis patuiſſe

deinceps aditum, noſtræ adhuc ætatis praxis docuit, uſque dum, non ita pridem, blaſphemus quidam apella & blaſphemiæ ſuæ pœnas dedit, & impietatis ſocios à limitibus noſtris abeſſe coegit. Quid Conſtantiæ, quid Baſileæ & Eslingæ de Judæis ſit actum, idem *Bulling.* loco dicto commemorat.

[c] R. *David Gans*, in Zem. Dav. P. 1. p. 59. a. & P. 2. p. 89. a. meminit, magnæ illius ſtragis, Judæis in Gallia, Hiſpania & Germania inflictæ. Ait, *peſtis ſævitiâ decimam vix orbis partem ſuperſtitem relictam. Ex Iudæis autem nonniſi pauciſſimos fuiſſe mortuos. Vnde ſuſpicio infectorum fontium & fluminum orta, quæ nonniſi morte Iudæorũ ſedari aut expiari potuerit.* Vide etiam Chronica R. *Ioſeph Sacerdotis* p. 82. Referunt hanc cladem, ad a. Ch. 1348. Idem p. 59. a. meminit ultimi exilii Gallici, an. Chr. 1386. Et ſequenti mox anno ſcribit, Pragæ fecem vulgi ipſo Paſchatis feſto (cauſam narrat *Bzov.* an. Ch. 1389. S. 11. quòd Sacerdotem, hoſtiam portantem, Judæorum pueri luto lapidibusque inſectati fuerint) in Judæos inſurrexiſſe, gladiis, ſecuribus oppreſſiſſe, ædes incendio devoviſſe, mortuos etiam ſepulchris extraxiſſe, idq; invito Imperatore Wenceslao & Principibus; P. 1. pag. 59. b. P. 2. p. 92. a. In Hiſpania magnam perſecutionem contra Judæos motam, habet ib. ita ut vel 200000. Iudæi legem ſuam mutârint. Ad an. Chr.

Chr 1400. notat: *Plaga magna fuit in terminis Germaniæ Provinciæ, Italiæ, cuiusmodi ab orbe condito, præter Romanam, nulla fuit. Ex Iudæis autem, ne unus quidem fuit mortuus. Vnde accuſarunt eos, quòd venenum conjeciſſent in fluvios, unde peſtis illa contraheretur: propterea etiam univerſalis contra eos decreta perſecutio, in omnibus regionibus, Germaniæ, Provinciæ, fuitq́ anguſtia magna & calamitas, quæ ſimilem non habuit.* Mutuavit hæc ex *Schebh. Iehudæ.* Eadem recenſet R. *Gedal.* in Schalſch. pag. 114. qua de re prolixam ſe legiſſe, Rabbini cujusdam epiſtolam, teſtatur. Præcedenti pagina Catalogum texuit omnium hujus ſeculi perſecutionum. Anno 5110. fuerunt Iudæi per univerſum penè terrarum orbem graviſſimè afflicti, præſertim in Arragonia, Catalonia, &c. A. M. 5081. *magna per Hiſpaniam graſſata fuit peſtis, ita, ut multi extra civitates degerent. Accidit autem quondam, ut in urbe quadam inſimularentur conventionis cum leproſis extorribus initæ, qui odio reliquos proſequebantur, quòd nec ſatis ille de victu proſpicerent, nec ipſi reverti auderent. Capti igitur Iudæi, per novem menſes fuerunt detenti. Cumq́ innocentia eorum manifeſtaretur, religionis eos prætextu accuſatos, & 15000. igni extin-*

extinctos fuiſſe. Hanc *perſecutionem, quæ a Leproſis nomen habeat, per Germaniam etiam, Cataloniam & Provinciam diffuſam eſſe.* A. M. 5106. coegit Philippus Rex Galliæ Iudæos, mutare religionem, quam multi menſe Abh mutârunt. Vide etiam *Iuch.* p. 133. a. Mortuo eo, filium quidem eos reſtituiſſe. ſed anno mox 7. ad populi votum iterum expuliſſe. Cumque Carolus nepos eosdem revocâſſet, à plebe, poſt ejus mortem, indignè tractati fuerunt, alii ejecti, alii occiſi, & prædæ dati. An. M. 5128. *perſecutiones contra Iudæos fuerunt excitatæ in regno Caſtellæ, Leonis, variæ afflictiones inflictæ, & omnes maledictiones in iis confirmatæ. Toleti cumprimis, fame, intra bimeſtre ſpatium, ultra* 10000. *perierunt. Mulieres miſericordes, ſuos coxerunt liberos, quos, ut & gramen, aſſati inſtar, in cibum converterunt. Multæ tum Synagogæ Martyrium ſuſceperunt. A. M.* 5160. *quasdam Galliæ, Navarræ & Luſitaniæ Synagogas detulerunt. Vnde quidam Iudæi, mutata religione, evaſerunt, alii fugâ ſalvati, alii trucidati ſunt. Monachus erat, Reginæ Hiſpaniæ à Confeſſionibus, qui author illi fuit, ut Iudæos extruderet, & cauſa exitii extitit multarum Synagogarum. Tandem Iudæi* λύτρῳ *libertatem emerunt.* Additque, *non modò*

modò authorem, perfidiæ convictum, regis juſſu, fuiſſe ſuſpenſum, ſed & ipſis Iudæis, intercedente quodam Iudæo converſo, oblatam pretii ſummam relaxatam. A.M.5151. Iudæi in Catalonia, Caſtella, & Arragonia graviſſima ſunt perſecutione preſſi, ita; ut plures quã 200000. Chriſtianiſmum ſint amplexi. Confer *Iuch.* 134.a. Cauſam impingunt Iſraëlitarum cum Chriſtianis congreſſibus, quod ſcelus divinitus ita fuerit punitum, ut ex Iudæis geniti filii, ſuos trucidarint parentes. Vide *Iuch.* p.134.a. Hujus ſtragis ſupra etiam meminimus ex *Zem. Dav.* quam & *aut. l. Iuch.* recitat, p. cit. Eandem etiam *Bzov.* an. Chr.1391. S.8. attingere videtur his verbis: *Hoc anno* Hiſ*pali atq; Corduba, in Hiſpania, in Iudæorum gentem ſævitum à populo eſt. Illata eis clades, domicilia, Synagogæq; eorum direptæ. Turbæ concitator Ferdinandus* Marti*nus* Ar*chidiaconus Aſtigitanus, per plateas concionabundus, invalidis Magiſtratibus, apud vulgus, ſpe prædæ magis, quàm ſincero religionis ſtudio. Vis mali, ex intervallo in alias* Hiſ*paniæ regiones diffuſa. Toleti, Lugrunii, Valentiæ, atque Barcinone, quaſi ſigno dato ad certam diem, Nonis Auguſti in miſerorum fortunas graſſatum eſt. Multi Chriſtiani hominis officium, datis nominibus, ſimulârunt potius,*

tius, quàm impleverunt. Metus, *haud ſincera voluntate impellebat.*

[*d*] Favebat enim iis 1. Papa. Refert R. Gedal. in Schalſch. p. 113. a. quòd, *cùm Philippus Galliarum* Rex, *Iudaos graviter preſſiſſet, Papa illi auxilium implorârint, qui, epiſtola ad Regem ſcriptâ, Iudaorum cauſam egerit.* Hac ei *inter alia tribuit verba: Ego, Gregorius Papa, pracipio tibi, ô Rex, ne lædas Iudaos, qui propterea, quod* M*eſſiam occiderunt, non peccârunt. En ſimile à* Rege, *qui cuſtodiendum tradidit hortum amico ſuo! Pracepit autem illi, ut quicunque ingrederetur absque licentia ſua, eum occideret. Accidit autem, ut die quodam* Rex *probare vellet amici fidem, officium ne cuſtodiæ ritè faceret? Peregrinum igitur ſe ſimulans alias induit veſtes, & ad portam horti veniens vi ingredi voluit; ſed non permiſit illud ei cuſtos.* R*egerenti autem* Regi; *permitte, ſum enim* Rex *ipſe; reſpondit cuſtos: Mendacium dicis! Apage, nec enim per* R*egis praceptum ingredi tibi licebit. Cum vero* Rex, *vi irrumpere voluiſſet, inſurrexit in ipſum cuſtos, eumq; occidit. Eadem ratio eſt Iudaorum. Scripſit Deus Benedictus in lege ſua: Ego ſum*

Deus

Deus tuus, non erunt tibi Dii alii coram me. Et cuſtodite vosmet ipſos, quia non vidiſtis ullam ſimilitudinem. Nam non videbit me homo & vivet. Cum ſurrexerit in medio tui Propheta aut ſomnians ſomnium, & dabit tibi ſignum aut prodigium, non audies verba illius Prophetæ, quia tentat vos Dominus Deus veſter, &c. Et ſi qui ſunt alii huius tenoris textus. Cumque Meſſias noſter veniſſet in mundum, in ſimilitudine hominis, & ſe ipſum feciſſet Deum, interfecerunt eum Iudæi, ſicuti illis erat præceptum. Neque dubium eſt, quin, ſi ſciviſſent verè, quod Deus eſſet, non manum ei injeciſſent. Vnde reperies, quod ſuo tempore illos iterum eſt ſervaturus. Sic ſceleſtos *κυριοκτόνους*, Papa excuſavit. At ubi ſancta Dei Eccleſia expreſſo Dei verbo ſuffulta, jugum traditionum Pontificiorum detrectat, igni & aqua vel interdicitur, vel interficitur. 2. *Epiſcopi* & reliqui, magnam partem Clerici. *Vitodur*. p. m. 85. a. *A. D.* 1344. *tempore vernali, ſeu æſtivali, dum cives plures in oppido Sueviæ Memmingen debitores cuidam Iudæo, eis cohabitanti, fuiſſent, & ſibi ſolvere illis diebus, quãvis inſtanter petiiſſent, neglexiſſent, Diœceſanum Epiſcopum Auguſtenſem adiit ſuppliciter poſtu-*

Digitized by Google

poſtulans, ut propter eum, locum memoratum Eccleſiaſtico dignaretur ſupponere interdicto, ut cives per hoc compulſi de debitis ſuis ſibi ſatisfacerent, prætermiſſis. Epiſcopus verò, qui etiã ejus debitor extitit gravis, ut ſub inducias vel dilationem ampliorẽ ſolvendi præſtarent, facilem præbuit aſſenſum, ſicut exegerat, Iudæo locum ſubiiciens interdicto; quod dum cives, per aliquot dies amaro animo, quia extra cæmiterium, defunctorum corpora ponebantur, pertuliſſent, unanimiter Iudæum, potiores, cũ debitoribus ex eis, acceſſerunt, rogantes, ut interdicti propter eum, in eos fulminati, ablationem & relaxationem, ne ultra illi carerent Eccleſiaſtica ſepultura, illico procuraret: ad quod faciendum, dum eum flectere minimè potuiſſent, miniſter civitatis valde induſtrium, et ſagax reſponſum invenit, quo Iudæum tantum terruit, ut eis incontinenti acquieverit. Fuit autem miniſtri verbum: Si non faceret, quod cunctos Iudæos morituros illic cum Chriſticolis in cæmiterio tumularunt. Quod Iudæus tantum pertimuit & horruit, ut mox eis annuerit, & aſſenſerit. O quàm vilis Eccleſia facta eſt, quod ad infideles & hæretici verbum cultus Dei prohibitus eſt, & incultus! Heu! *inſanabilis*

bilis eſt plaga eius, miſerabiliter cecidit, non adjiciens reſurgere à planta pedis uſq; ad verticem, non eſt in ea ſanitas; Egreſſus eſt ab ea, omnis decor ejus. 3. *Imperatores, Reges & Principes.* Id quod ex iis, quæ modò ex *Vuod. Naucl.* & aliis citavimus, luculenter patet. Auſtriæ præſertim Duces iis faviſſe dicuntur *Vitodur.* p. 47. b. & *Ludovicus Imperator*, qui Uberlingenſes in Iudæos, ut diximus, ſævientes, graviter mulctavit. *Nam eos*, inquit idem p. 50. *talliavit, & murum civitatis in longitudine multorum cubitorum dirumpi precepit*, Et. p. 91. b. A. C. 1346. *Imperator Ludovicus apud Monachium, civitatem ſuam propriam in Bavaria, accuſationes graves, & querimonias miſerabiles parentum, pueri noviter tunc occiſi, à Iudæis ibidem habitantibus corruptus pecunia audire recuſavit. Populum quoq; civitatis memoratæ, catervatim locum occiſionis pueri extra muros frequentantem, ubi Dominus miracula ſanitatum plurima, ut fertur, operari dignabatur, cohibere & reſtringere minis & terroribus à capto concurſu ſatagebat.* Quæras hic iterum I. *quid de miraculis* ejusmodi, illis præſertim, quibus Transſubſtantiatio fulciri videtur, ſit ſentiendum? R. Mentem noſtram ſuperius jam aliquoties aperuimus, quam confirmare videtur

Bzov. an. Ch. 1328. S. 41. miraculis in Schiſmaticis & Hæreticis, Novatianis maximè conſpicuis, non ut Novatianorum hæreſis confirmaretur, ſed ut veritas Catholicæ Eccleſiæ de non repetendo baptiſmo demonſtraretur.

II. *An veriſimile ſit, Iudæorum malitiâ peſtem illam orbi fuiſſe illatam*: R. Minimè. Erant præſtigiæ, quibus faſcinatus mundus tergiverſabatur ingenuè fateri, ſuis ſe peccatis malum tantum acceſſiviſſe. Quidlibet aliud confingere facilius erat, quàm culpam deprecari. Judæis, genti abjectæ, diſperſæ, divino oraculo execrabili, exitium tribuere, vel tertiæ orbis partis, id verò pietas Chriſtiana nos non ſinit. Non extenuamus Iudæorũ nequitiam & nocendi deſiderium: nec tamen videmus ita Deum frænum iis laxâſſe, ut in orbem ipſum dominium quaſi habeant. Veneno ſuſtulerint tantum, Chriſtianorum, Gentium, & Saracenorum numerum, ipſi interim malorum immunes? Unde gratiam hanc gens χειϛονητῶνος fuerit conſecuta? Hoc certè nec videre, nec credere poterant multi eorum, qui jure cenſentur ὑπείροχοι ἄλλων. Non negamus interim, Iudæos muneribus jam antehac plùs æquo & honeſto ſibi devinxiſſe Principes Chriſtianorum.

[*e*] Præſertim Judæi Caſtellani, Arragonea, Catalauni, *Zem. Dav.* pag. 59. b. *Iuch.* 134. *Schalſch.* 113. b. Vide ſup. R. Levi, ben Gerſon, de fide quibusdam fuiſſe ſuſpectum, habet *Schalſch.* pag. 61. a. Alius meminit p. cit. b. Luculentum Proſelyti,

lyti Chriſtiani exemplum occurrit in *Paulo Carthagena*, cognomento *Burgenſi*, à patria unde ortû habuit, & ubi Epiſcopum egit. Hic converſus libros edidit in ſuo genere mirandos. Moritur an. Ch. 1398. *Cal.* Trevigni Archidiaconus primùm, deinde Carthaginenſis Præſul, poſtremò Burgenſis creatus; addita conſequentibus annis regii ſcrinii præfectura. Ejus vox illa fuit: Ex gente Hebræa prognatis, nullam Reipublicæ partem committendam, videri, moribus ex fraude atq; mendacio compoſitis, ſimulare mentiriq; natis, neque bello bonis, neque pace. Tres filios ex nuptiis reliquit, priusquam Chriſtianus eſſet ſuſceptus; Alphonſum, qui ex Decano Segobienſi in defuncti patris locum ſubrogatus, Burgenſis Epiſcopus, ſcripſit de Hiſpaniæ Regibus opus non inelegans, cui Anacephalæoſi nomen fecit, Gonſalvum, virtutum merito Placentinum Epiſcopum, Alvarum Garſiam familiæ propagatorẽ, ſanguine, uti erant ejus temporis mores, cum nobilibus Hiſpaniæ familiis confuſo, cujus extant commentaria de rebus Johanne II. Caſtellæ Regis geſtis, non ineleganter conſcripta. *Marian.* de reb. Hiſp. l. 19. c. 8. *Bzov.* an. Ch. 1398. S. 12.

[*f*] Referunt huc quidam, diſputationem *Hieronymi de Sancta fide*; de qua ſup. Sec. p. 543. Eam ita ſcribit R. *Gedal.* p. 113. b. *A. 113. obtinuit Iehoſua Lodiceus, qui Hieronymus de Sancta fide vocatur, à Papa, ut vocarentur ad ſe Sapi-*

entes Iſraëlis, ut monſtraret iis, Meſſiam *eſſe exhibitum. Adduxit igitur Papa ex Hiſpania viros ſapientes, quos intererat* R. *Theodorus Iachiades. Cum aliquot dies diſputationibus tranſegiſſent coram Papa & multis Principibus, ut eſt in* Schebhet *Iuda, decretum eſt contra Iudæos, ut fœnora, quæ acceperunt, redderent: ſed poſtquam rem ad Papam, Martinum Florentinum, devolviſſent, Iudæi liberi dimiſſi ſunt.* Scripſit etiam hoc ſeculo R. Iſaac Sprot Lapidem lydium, lib. contra Chriſtianos. *Iuch.* p.133.b. Bib. Rabb. p.313.

[g] Confer ſup. p.877.

[h] Miraculosè ſe conſervatos tempore per orbem graſſantis peſtis ſcribit auth. *Zemach David,* P.I. pag.58.b. & P.II. p.87.a. Huc pertinet miraculoſa inſtitutio R. *Menahem Recanatenſis,* de qua R. *Gedal. in Schalſch.* p.61.b. R. *Menahem Recanatenſis, compoſuit commentaria in legem Cabbaliſticè, librum item judiciorum. Audivi autem à Doctore meo* R. *Iacob* Recanatenſi, *qui ex ejus lumbis fuit egreſſus, quod traditione* πατερωπαραδότῳ *acceperit, hunc* Gaonē *dilexiſſe quidem Legem, ſed craſſo fuiſſe ingenio & planè ſtupido. Iejuniorum autē & precum frequentia Deum ſolicitâſſe, ut intellectū & cor ſuum ad intelligendam legem dilataret.*

Cum-

Cumque vice quadam precibus vacaret & jejunio in Synagoga, opprimitur ſomno. Et ecce vir, in cuius manu vas plenum aqua excitans eum, dixit: Bibe. Surgens igitur bibit. Antequam verò potum exhauſiſſet, abiit ab eo vir. Ille verò pro more in Gymnaſium ingreſſus, ſenſit intellectum ſuum illuſtratum & rectum: Converſus enim erat in virum alium. Ex quo tempore compoſuit explicationem legis, librum de judiciis, de ſenſu præceptorum, &c. Sed & Ioſephus quidam *Giktila, baal Hanniſſim*, Thaumaturgus vocatur *Iuch.* p.133.b. Quo etiam referri poſſunt futurorum nuncii ſeu vates, cujusmodi occurrit puer 7. annorum in R. *Gedal.* pag. 61.a.

[i] Confer ſupra eorum exempla, qui mortem, religionis mutationi, prætulerunt. R. Samuel Levita, κατ' ἐξοχὴν ſanctus vocatur, quia propter ſanctificationem Nominis occiſus eſt: *Schalſch.* pag. 61.1.a. Hanc ferè Iudæi Germanis pervicaciam potiùs quàm laudem tribuunt; *Zem. Dav.* 59.b.

[k] *Ioh. Vitodur.* p.m.37.b. *Circiter iſta tempora, quidam lector in ordine Fratrum Minorum, quodam maligno ſpiritu dominatus judaizare cupiens, ab ordine apoſtatavit declinando ad Iudæos, apud quos tandem proditus,*

in quodam oppido Alſatiæ , à fratribus captus eſt , & ad fratres deductus , qui dum eum per argumenta , rationes & auctoritates ſacræ Scripturæ convincere non poſſent , ut ab erroris propoſito. captoque deſiſteret (nam inſtantias eorum confutabat , & in quantum poterat, refellebat) ipſum de Alſatia in Herbipolin urbem, ubi auctâ cuſtodia , quouſque ab errore ſibi infiſcato , reſipiſceret , deduxerunt. Cum autem ad quoddam oppidum dictum VVerdach deveniſſent , & eum in ſtupa(hypocauſtum vocare ſolemus *) hoſpitii, Fratrum Domini, percepta refectione ulterius pergerent, recluſiſſent , ipſe interim per feneſtram proſpiciens , contra vicum, populum tranſeuntem allocutus alta voce fuit , O vos omnes, qui tranſitis! Licèt me videtis , ut ſciatis , me non eſſe Chriſtianum,ſed Iudæum, & eorũ fide moriturum: Huius rei in ſignum, me ipſum, in oculis veſtris,transfodiã. Et arrepto,his dictis, cultro,incautè in ſtupa relicto,in conſpectu hominũ concurrentium ad vocẽ ſuam,ſe cum cultro uſq; ad mortem vulneravit , quem Patres, ſemivivum poſt refectionem,invenientes,nimis conſternati ad metã itineris perduxerunt, ubi altera die vitam finiens , ſepultus iſthic in horto Fratrum fuit.*

[l] The-

[l] Theologiam 1. *Biblicam* ſeu Exegeticam excoluit Ralbag. i. e. R.*Levi. ben Gerſon*, cujus præter alia ſcripta, commentaria extant in XXIV. V. Teſt. libros. *Zem. Dav.* P.1. p.59.a.

2. *Didacticam*, qua religionis ſuæ tradunt articulos poſitivé. Talis eſt liber *Avkat rocel*. id eſt, pulvis aromatarius R. Maciri *Schalſch.* pag.61.a. *Bibl.Rabb.* p.304.

3. *Elenchticam* tractârunt a. R. *Ioſeph Albo*, author libri *Ikkarim*. Schalſch. 61. b. b. R. *Iſaac Sprot*, de quo ſupra.

4. *Talmudicam*, R. Iacob, filius Aſcher, author Arba turim, *Zem.Dav.* P.1. p.58.b. Liber ritualis eſt & juridicus, magnæ authoritatis. Vide *Bibl. Rabb.* pag. 316. Qualis etiam Tzedah ladderech, viaticum vitæ R. Menachem, Galli; *Schalſch.* R. Iom. Tobh, fil. Abraham, *Id.* pag 59.a. cujus eſt *Migdaboz*, turris fortis. R. Aſcher, cui tribuitur liber, *Agudah*, i.e. collectaneorum.

5. *Problematicam*, authores Scheeloth uteſchuboth, cujusmodi hoc ſeculo commemoratur R. Iſaac, bar Scheſcheth, mirandum Legis lumen appellatus: *Zem. Dav.* p.59.a. R. Simeon *Id.*b.

6. *Leiturgicam.* R. Ierucham, author libri ritualis Adam & Eva: *Gedal.* p.61.a. & R. Aſcher, cujus eſt Rituale Hiſpanicum; *Id.* b *Bibl.Rabb.* p.371.

[m] Ad *Phyſicam*, & *Aſtronomiam* pertinent, libri ſeculo hoc, à Judæis conſcripti. *Schebile emunah* ſemitæ fidei, Rabbi Meir, *Zem.Dav.* p.59.a. *Hiſtoricus* eſt liber *Ieſod olam*, Fundamentum mundi,

di, authore Rabbi Iſaac Iſraelita, quem compoſuit in Hiſpania, in honorem Præceptoris ſui R. Aſcher a. Ch. 1310. *Schalſch.* 61. *Bibl. Rabb.* 351.

[*n*] Quos inter excellunt 1. R. *Iſaac* bar Scheſcheth. 2. *R. Simeon Duranus*, qui multos compoſuit libros. *Zem. Dav.* 59. a. b. 3. *R. Levi ben Gerſon*, ejuſq; parens, cui plura tribuuntur ſcripta, quàm quorum numerus facile iniri poſſit; *Iuch.* 133. *b. Schalſch.* 61. b. Nepos etiam ejus, magnus vocatur ſapiens, qui ultimo Hiſpaniæ exilio ejectus, in Turciam migravit; *Ib.* 4. *Ben. Ioſeph*, Kabbaliſta & Philoſophus, *Ib.* Huc pertinent fundatores Synagogæ Bolonienſis, *R. Moſe*, & *R. Elias*, fratres, ex puerorum illorum familia, quos Titus Romam abduxit captivos; *Ibid.*

Sectio V.

Seu

συμβίβασις Doctrinæ.

Sequitur Seculi huius συμβίβασις, quæ oſtendit 1. [*a*] VValdenſium [*b*] VViclefiſtarum & [*c*] Huſſitarum ſucceſſum. 2. Varia contra [*d*] Pontificem, Pontificios & Pontificia ſacra certamina, ab iis etiam, quibus recepta alioquin

Eccle-

Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, non uſque adeò diſplicuit, ſtrenuè vel inſtituta, vel continuata.

[a] Multi enim erant 1. in *Germania*. Vitod. p.m.50.b. *Circiter an. D.1334. multi homines, ut fama celebris teſtabatur, in civitate* Nürenberg/ *propter quandam ſuperſtitionem, vel opinionem hæreticam Orthodoxæ fidei valde contrariam & inimicam, ab eis frivolè, diuque, in malum corporum & animarum ſuarũ ſervatam, ignis incendio deleti ſunt.* Hos ubique graſſatos queritur *Bzov.* an. Ch. 1315. S. 8. quam etiam cauſam eſſe vult horrendæ illius famis & peſtis per Angliam, Brabantiam & Galliã. Et S.11. *Magnus eorum fuit numerus in Bohemia, Auſtria & vicinis. Ad* 80000. *in eam ſectam apud Boemos, Auſtriacos & circumvicinas regiones, adſcriptos, numerabat quidam ex eis Viennæ exuſtus, nomine, novus Magiſter. Multi ex eis in Auſtria diverſis in locis fuerunt combuſti, qui omnes unanimiter in ſuis erroribus pertinaciſſimè uſque ad mortem, magna cum hilaritate, perſeverârunt.* 2. In *Sicilia*; Bzov. an. Ch. 1353. S.17. 3. In *Gallia*, an. Ch. 1373. S.14. 4. In *Flaminia*. De his enim loqui videtur id. a. Ch. 1325. S.35. 5. In Principatu *Boſnenſi*, apud Illyricos, *ubi quam plurimi ſuccreverunt,*

 mul-

multos Catholicorum ſeducentes, & in errorem mittentes; an. Ch. 1340. §. 19. Obſerva autem, Papam, & Papales VValdenſium Eccleſias perſecutos eſſe:

A. *Convitiis & calumniis*. Hinc ſeculi hujus ſcriptoribus non modò vocantur *Adamitæ*, Orebitæ, Geneb. p. 711. *Fratricelli* Bzov. an. Ch. 1303. §. 11. 1327. §. 15. Lolhardi, à Lolhardo orti, a. Ch. 1307. §. 9. *Beguardi* Faſc. tem p. 64. a. Bzov. an. Ch. 1314. §. 33. & 1324. §. 8 *Turelupini*; Id. an. Ch. 1372. §. 7. Sed & tũ in doctrina ψευδοδιδασκαλία, *Bzov.* an. Chr. 1372. §. 8. *Vitod.* pag. 62. a. & 92. b. *Gen.* p. 692. tum in vita, *Geneb.* p. 707. *Bzov.* an. Chr. 1303. §. 11. 1317. §. 18. 1321. §. 8. 1335. §. 2. mores traducuntur.

B. *Variis decretis*, quibus contra Fratricellos pugnavit Johannes 22. Vide loca apud *Bzov.* cit. & an. Chr. 1331. §. 3. 1335. §. 2. & 1329. §. 17. Nec remiſſior fuit Urbanus V. Id. an. Ch. 1365. §. 8.

C. *Inquiſitionis, & tormentis*. Inquiſitores Bonifacius VIII. conſtituit, in civitatibus & Diœceſibus, Patavina & Vicentia, Franciſcanos, exauctoratis Dominicanis, *Bzov.* an. Ch. 1302. §. 10. Iohannes 22. Inquiſitores miſit in Bohemiam, an. Ch. 1317. §. 37. Bertrandus Cardinalis ſub Clemente, in Æmilia & Flaminia, idem aſſignavit munus Iohañi Iacobo de Spelo, Minoritæ, *Bzov.* an. Chr. 1317. §. 28. Inquiſitionis etiam ſtudium multi Papæ probârunt apud Inſubres a. Ch. 1318. §. 2.

S.2. in Delphinatu, *ubi Orthodoxi favore quorundam Principum nimis erant potentes*, an. Chr. 1375. S.12. & reliquo Galliarum regno an. Ch. 1325. S.12. Tanta eorum fuit ſævitia, tamque immanis crudelitas, ut Papæ etiam auhoritate, illa fuerit compeſcenda. Ita enim Iohannes 22. *Cùm Matthæus de Pontiniano, ordinis Prædicatorum, Inquiſitor hæreticæ pravitatis in regno Siciliæ, auctoritate Apoſtolica, deputatus, frivola occaſione quæſita, ac noſtra, & ſedis Apoſtolicæ reverentia & honore poſthabitis, in dilectum filium,* G. *de Baleto,* A*rchidiaconum Forolivienſem, Capellanum noſtrum, Campaniæ* M*aritimæq́;* R*ectorem, excommunicationis ſententiā inconſultis motibus, non ſine multa temeritate, duxerit proferendam: Nos volentes de cætero, talium præſumptionibus obviare, univerſis & ſingulis, tam ordinariis, quàm delegatis judicibus, & Inquiſitoribus pravitatis ejusdem, & aliis univerſis & ſingulis, quacunque authoritate fungantur, authoritate Apoſtolica diſtinctius inhibemus, & mandamus expreſſe, ne contra noſtros & Apoſtolicæ ſedis officiales & nuncios, aut ipſorum aliquem, quamvis occaſione vel cauſa, absq́; noſtra & Apoſtolicæ ſedis licentia ſpeciali, eis, per ſedis ipſius literas, concedenda,*

denda, plenam faciente de tenore præſentium mentionē, procedere quoquomodo præſumant: aut in eos, vel ipſorum aliquem excommunicationis vel ſuſpenſionis, ſeu quasvis alias ſententias promulgare. Videbat nempe Pontifex, non ſic rebus ſuis conſuli, ſi quacunque ratione ſuſpecti ad ſupplicia ſtatim raperentur, aut diris devoverentur, Belgii Hiſtoria docet, quid ſit hoc loco nullum tenuiſſe modum. Non ſacra tantùm, aut Eccleſiaſtica; ſed & Politica ſuo jam Imperio ſubjectuti, temeritatis pœnas luebant, Florentinæ cumprimis, *Bzov.* an. Chr. 1346. S. 29. & apud Taurinenſes, ubi F. Antonius Pavonus, Dominicanus Inquiſitor ſanguinem fuſurus, Talionis legem experitur *Id.* an. Ch. 1375. S. 15.

[*b*] Fuit hic Anglus, qui circa an. Chr. 1370. multa ſcribere cæpit, contra receptas ſeculi ſui opiniones & dogmata. Diſcipulum habuit Iohannem Huſs, qui Wiclefi dogmata & libros in Bohemiam intulit. Wiclefus propter profeſſionem doctrinæ in exilium miſſus, moritur in Anglia an. Chr. 1387. 31. Decemb. Ejus corpus, Martini Pontificis juſſu, exhumatum ac publicè crematum eſt anno 41. ab obitu ejus, Chriſti 1428. De VViclefo multi multa. Nos, memoriæ iterum & perſpicuitati conſulturi, vitæ ejus, ex ſcriptore Anglico, breviter exhibitæ, ſuccinctam ſubjiciemus certis aphoriſmis ſeu poriſmatibus, explicationem, Vitam *Lelandus*, & ex eo

Bal.

Bal. (auctam tamen hic) Cent. VI. p. 450. ita deſcribit : Johannes Wicleſus vir magno & excellenti planè ingenio præditus ; Oxonii in Collegio Martonenſi, omnes eruditas artes, tanta cum felicitate perdidicit, quanta ſui temporis nemo facilè alius. Nam in Philoſophia illa Scholaſtica, acuminis oſtentatrice, principem locum obtinebat. Tum præterea in Theologiæ receſſus penitiores, & ſacroſanctos quidem illos, tam altè deſcenderat, ut à Theologorum vulgo pro Deo tantùm non habitus ſit; quo tandem calculo ſummis honoribus & inſignibus , quæ in eruditos Academia conferre ſolet, donatus eſt. Ille verò, ut ſe vidit ejusmodi auctum titulis, ſuámque tanti in Scholis eſſe authoritatem, ut omnia quæ doceret, tanquam è tripode dicta crederentur, primùm fraterculorum mendicitatem cutetenus ſtringere cæpit, nec multò poſt altis plagis vulnerare. Ut tamen bona pars Scholaſticorum in hominem adfecta erat, ad hæc præludia connivebat. Deinde in publicis prælectionibus atque aliàs privatim, vellicabat Romani Pontificis aſtum, avaritiam, ambitionem , ac tyrannidem; ſic putans futurum , ut Chriſtiana Eccleſia , cognitis erroribus, reſipiſceret. Hæc Lelandus. Et præter vitam, quàm verè Apoſtolicam VVicleſus duxit, ingenio, facundiâ, atque eruditione multiplici, omnes in Anglia commilitones longo intervallo ſuperabat. Unde ipſum æternus Pater, anno poſt Servatorem natum 1360. per ſuum

ſuum ſpiritum ſuſcitavit, ut in mediis errorum tenebris, ac locuſtarum Tartarearum ſeu hypocritarum obſcurationibus, pro ſua veritate ſtaret magnanimus Chriſti pugil, fieretque adverſus ejus infenſiſſimos hoſtes, Antichriſtos, inſuperabilis Eccleſiæ columna. Erat profecto ſuorum temporum Elias validiſſimus, ut diſtorta omnia reſtituerit. Unus & primus (non ἀπλῶς; ſed cum grano ſalis hæc ſunt intelligenda) poſt Satanæ ſolutionem extitit, qui in caliginoſo illo ſeculo, veritatis attulit lucem, & coram tota Diabili Synagoga auſus fuerit apertè confiteri Chriſtum, revelareque fœdiſſimas meretricis magnæ turpitudines. Illuxit enim, Simonis, ſacerdotis exemplo, ut ſtella matutina in medio nebulæ, & diebus multis permanſit teſtis in Eccleſia fidelis. Quaſi ſol ſplendens in tempore Dei refulſit, & quaſi thus ardens in igne. Erat ei fides integerrima & ingenium veritatis ſemper amantiſſimũ. Dedit illi Dominus cor ad præcepta, ut Iſrael doceret Teſtamentum æternum. Aſcendit ab ortu Solis, & abraſo beſtiæ charactere, vivo Dei verbo, fideles ſignabat in frontibus vivis. Velut alter David cum leonibus luſit, Romaniſtis præparatis ad eſcam. Validiſſimis argumentis eorum tetigit, ac detexit ſuperſtitiones, vires infirmavit ubique, ac hoſtilia caſtra dejecit. Contra illum ſteterunt urſi, prædonica gens Monachorum, cum tota congregatione chori: ſed ſpiritu oris Domini conſumti ſunt. Percuſſi erant cæcita-

citate in foribus juſti, ſalvumque fecit egenum à gladio oris eorum, ac diſſipavit eos. Per longum foret hic narrare, quot ab his Antichriſti ac Diaboli miniſtris, ſuſtinuerit interim piiſſimus vir improperia, deſpectiones, & exilia. Vivente Anglorum Rege Eduardo III. ſecurus perſtitit inter ferociſſimos Sodomæ tyrannos. Sed ipſo mox defuncto (ut annales tradunt) ſub Richardo ſecundo exilium ad aliquot annos eſt paſſus. Impavidus tamen Chriſtum ſemper docuit, Evangelii decorem revocare paratus. Hinc verò, & aliunde colligimus.

I. *VViclefum præclaro fuiſſe ingenio*. Non negant Pontificii. *Bzov*.a.Ch.1352.S.15. *Fuit VViclefus acer ingenio & eloquentia non mediocri, lepidus*. *Geneb*. libr.4. p.704. ait, *plusquam* 200. *volumina librorum eum compoſuiſſe*, quod, quàm à veritate non abhorreat, Catalogus docet lucubrationũ ejus, textus à *Bal*.Cent. VI.p.451.

II. *Neminem facilè ex doctis, & Academicis honoribus inſignitis viris, majori animo, hoc tempore, Papatum invaſiſſe, VViclefo Anglo*. Unde & theſes ejus, ſeu articuli, Papatui oppoſitæ, ita claræ ſunt & perſpicuæ, ut de mente ejus, dubitare nemo potuerit. *Thomas VValſingamus* apud *Bzov*.a.Ch.1377. S.5. ei tribuit, quod docuerit 1. *Euchariſtiam in altari, poſt conſecrationem non eſſe verũ corpus Chriſti, ſed ejus figuram*. 2. *Eccleſiam Romanam non eſſe caput omnium Eccleſiarũ, nec ma-*

jorem

jorem poteſtatem per Chriſtum datam fuiſſe Petro,quàm cuilibet alteri Apoſtolo. 3. R*omanum Papam non habere majorem poteſtatem, in ducibus Eccleſiæ,quàm quemcunque alium in ordine ſacerdotii conſtitutum.* 4. *Dominos temporales poſſe legitimè ac meritoriè auferre bona fortunæ ab Eccleſia delinquente.* 5. *Evangelium ſufficere ad regulandum in vita iſta quemlibet Chriſtianum, & quòd omnes aliæ ſanctorum regulæ, ſub quarum obſervantiis degunt diverſi religioſi, non plus perfectionis addant Evangelio, quàm addit albedo parieti.* Prolixius hæc tractat an.Chr.1352. S.15.& 1385 S.16. *Gault.* Tab.Chron.p.707. Ex noſtris VVicleſianæ doctrinæ compendium tale habet auth. *Catal. Teſt. Verit.* l.18.p.810. Multa contra Papam docuit: Non debere eſſe in Eccleſia aliquē ſupremum Epiſcopum: Papam non ſolùm non eſſe vicarium Chriſti, ſed etiam Antichriſtum. Ejus privilegia, bullas, diſpenſationes & indulgentias eſſe tum otioſas, ac inutiles, tum etiam impias. Spiritualibus non eſſe dandum dominium politicum. Papam, ac ejus ſpirituales rapuiſſe claves regni cœlorum, & nec ipſos ingredi, nec alios permittere intrare. Tranſubſtantiationem, Miſſa, officia, horas Canonicas, & alias battologias improbavit. Ex baptiſmo ſuſtulit Chriſma, ac ſimplici aqua baptizandos fideles

deles docuit, ſicut Chriſtus fecit. Confeſſionem auricularem, vel ejus abuſum improbavit. Reprehendit & Papiſticam doctrinam de pœnitentia & ſatisfactione. Ait, eſſe talem ſatisfactionem imponendam, qualem Chriſtus adulteræ impoſuit: Vade & noli amplius peccare. Tantum duos miniſtrorum ordines eſſe debere judicavit, nempe Presbyteros & Diaconos. Sacramentum confirmationis & extremæ unctionis planè improbavit. Venerationem Sanctorum & reliquiarum reprehendit. Doctores ſummos affirmavit & infimos eatenus tantum audiendos, quatenus verbum Dei afferunt. Ritus humanos & novas umbras ac traditiones planè rejecit. Negavit cuiquam licere quicquam addere ad religionem in ſacris literis comprehenſam, eamque facere difficiliorem, ſicut Papam feciſſe queritur. Baſilicas & totam iſtam pompam cultus Papæ, item & varios ſpiritualiū gradus tollendos putavit. Ordines Monachorum tanquam ſuperſtitioſos, impios & variæ religioni plurimum obnoxios damnavit, & quàm primùm deſerendos cenſuit. Accuſavit Papam ac ejus ſpirituales, quòd multipliciter Eccleſiam aggravarint, eamque libertate à Chriſto donata ſpoliaverint. Defendit quoque communionem ſub utraque ſpecie, ut ex damnatione Ioannis Huſs apparet. Præter hæc porrò tribuuntur quoque ei ab adverſariis quædam parùm pia (inter alia Anabaptiſtica vertigo, vide *Bzov.* a. Ch. 1381.

S.2.) quæ nequaquam probari debent. Sed ſuſpicor ea parum bona fide ab iſtis ſycophantis Papæ ex VViclephi libris extracta eſſe: quanquam non negem, eum in aliquibus revera parum rectè ſenſiſſe. Vide & ſeqq.

III. *Eo, hunc Moſen, veniſſe tempore, quo multiplicabantur lateres.* Quàm duro enim Papæ jugo Anglicanæ Eccleſiæ fuerint preſſæ, & hoc, & ſuperioribus aliquot ſeculis, haud obſcurè ex ipſa hac tractatione hiſtorica liquet. Nec abnuit *Bzov. a.* Ch. 1371. S. 7. Ut autem illa ſua prava dogmata longè latéq; ſpargeret, illis temporibus multæ opportunitates illi accedebant. Illa dogmata eo plauſibiliora fuerunt, quod ad Romani Pontificis (qui propter exactiones, quodq; ad ſacerdotiorum in Anglia collationem traheret, Regi inviſior factus eſt, atq; magis Gallorum Regis rationes tueri videretur) quanquam illud non eſſet (principatum ſubvertendum) quodq; ad Regis, civiliumque Magiſtratuum authoritatem amplificandam potiſſimùm ſpectarent. *Hæc ille.*

IV. *Non defuiſſe VViclefo inſidias & adverſarios*, quorum primipili erant Iohannes Kyningam, Strodus, Richardus, Lavinham, Guil. Bertho, qui publicè VViclefum hæreſios damnavit, *Bal.* p. 500. cum aliis undecim; *Id.* p. 515. Ioh. Gaſcoyn, Simon Sothray, Thomas Aſcheborn, vel Asheburne, qui tamen paulò mitior factus eſt. *Bal.* p. 494. Thomas Vuyneterton, Richardus Maydeſton, Galterus Diſſa, Robertus Humbleton, Ioh.

Tyſſigton, Ioh. Maronis, Ioh. Mark. Guil. Wodfordus, *Bal.* pag. 511. omnes Angli, qui calamum contra eum ſtrinxerunt; *Geneb.* p. 706. Primus VViclefi Antagoniſta publicus fuit Guil. Bynham, *Bal.* 458. cui tamen in diſputationibus Philoſophicis jam reſtitit Kyninghamus, *Id.* p. 457. eum etiam in Scholis adortus fuit Guilel. Iordanus, ſed præter riſum nihil reportabat domum, *Id.* p. 483. Sententiam ejus de Euchariſtia oppugnavit Iohannes Sharpe, *Id.* p. 505. Pœnis etiam, ſuppliciis, anathematiſmis in VViclefum & aſſeclas ejus à Clero & Magiſtratibus animadverſum eſſe, fusè monſtrat *Bzov.* an. Ch. 1387. S. 8.

V. *Nunquam tamen emergentis Reformatoris ita opprimi potuiſſe conatus, quin ſubinde haberent aliquos vel Nutricios, vel fautores.* Magni nominis, & equeſtris ordinis viros VViclefi inſtitutum probâſſe & propugnâſſe, habet *Bzov.* loc. cit. confer *Catal. Teſt. Verit.* L. 18. p. 811. Baleus multum defert a. Eduardo III. quo vivo ſalvæ VViclefi res fuerunt. Obtinuit enim Rex, authore VViclefo, ea, quæ Pontifex amiſit. Amiſit autem hic in Anglia jus creandorum Epiſcoporum, poteſtatem imperandi ſacrorum proventuum decimas, ac Petri denarios, decretumque fuit ut, judices ac procuratores cauſarum, non Normannicè deinceps, ut hactenus, ſed Anglicè loquerentur: Cent. VI. p. 484. b. Iohanni Ashwarby, p. 498. c. Philippo Repington, qui audacter in cleri Papiſtici mores, atq; impura dogmata declamabat, p. 501.

 d. Ni-

d. Nicolao Heerforde; *Id.* p. 502. e. Petro Pateshull Auguſtiniano, p. 509. f. Richardo VVitho, *Id.* p. 514.

VI. *Unde de incrementis hujus doctrinæ tot Pontificiorum tum querela, tum ingenuæ confeſſiones.* Bzov. an. Ch. 1381. S. 15. ait, VViclefum viſum eſſe abſorbere Iordanem, & omnes Chriſtianos mergere in abyſſum. Et S. 14. obſervat, VViclefum ejusque ſequaces, doctrinam Berengarii, de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti ita dilatâſſe, ut penè majores Provinciarum, eorum ſequerentur errorem. Unde Lollardorum nomen, qui, juxta Thomam Arundelium, à lolio nuncupati: quod lolii inſtar agrum Domini inficerent, *Bzov.* a. Ch. 1381. S. 16. & 1387. S. 10. quanquam malim Lollhardorum vel Lolhardorum nomen, cum VValdenſibus fuiſſe commune VViclefiſtis, propter communia utriusque dogmata, quibus, ut *Bzov.* an. Ch. 1360. S. 11. Germaniam commacularent: Caputiati etiam dicebantur, ſeu Pileati, quòd Euchariſtiæ pro more, vetuſto, in editione templi loco collocatæ, caput non aperirent. *Id.* Ib. Lelandus apud *Bal.* p. 519. ſcribit; VViclefi factionem editis in lucem bene multis famoſis libris, ita invaluiſſe, ut cogerentur tanquam victi ſupplices dare manus, niſi prius habuiſſent, quibus venienti occurrerent malo.

[*c*] Quæ tractatio ſequentis eſt ſeculi, quo meſſis Huſſitarum in maturitatem erupit. Hujus

jus tamen ſeculi Hiſtoria, incunabula nobis Huſſitarum oſtendit, de quibus ſequentia obſervanda.

I. *Bohemiam, Reformationem Huſſicam, Angliæ merito ferre acceptam.* Fatetur hoc *Geneb.* lib. 4. pag. 709. ſed fuſius *Nauclerus* Gen. 47. p. 264. b. Sub VVenceslao, jam ab imperio amoto, perfida Huſſitarum, inſania ortum habuit, quæ peſtis neque adhuc extincta eſt. Rexerant Scholam Pragenſem uſque in ea tempora Teutones, id moleſtiſſimum Boëmis fuit, hominibus natura ferocibus. Ex quibus vir quidam genere nobilis ex domo, quam Putridi Piſcis vocant, apud Oxoniam Angliæ civitatem literis ſtudens, cùm Iohannis VVicleff libros offendiſſet, quibus de realibus univerſalibus titulus inſcribitur, magnopere illis delectatus exemplaria ſecum tulit. Inter quæ de civili jure, de divino, de Eccleſia, de diverſis quæſtionibus, contra clerum, pleraque volumina velut pretioſum theſaurum, patriæ ſuæ intulit. Imbutus jam ipſe VVicleſitarum veneno ad nocendum paratus, virus in cives ſuos evomuit, commodavit autem ſcripta, quæ attulerat his potiſſimùm, qui Teutonicorũ odio tenebantur, inter quos eminuit, obſcuro loco natus, Iohannes ex villa Hus, quod anſerem ſignificat, Hic, cùm eſſet ingenio peracri, & linguâ diſerta, multumque Dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, avidè admodum VVicleffitarum doctrinam arripuit,

eáque Teutonicos vexare cepit, ſperans, eo modo confuſos, ſcholas relicturos. Quod, cùm ſuccederet, à VVenceslao Rege impetratum eſt, ut Pragenſe gymnaſium ritu Pariſienſis gubernaretur. Ea res Magiſtratum Scholæ Teutonibus abſtulit. Quam ob cauſam, commoti Magiſtri ac diſcipuli Teutonici, generis jurejurando adacti, uno die, ſupra duo millia apud Lipſig. Myſnæ civitatem trium dierum itinere à Praga diſtantē, univerſale ſtudium erexere. Boemis ſcholæ ſuæ gubernatio libere patuit, quorum princeps eſt habitus Iohañes Hus, lingua potens & mundioris vitæ opinione clarus, qui ubi ſatis fidei cōparatum ſibi exiſtimavit, venenum, quod jam pridem occultè conceperat, palam evomuit. Fundaverat opulentus quidā in urbe, ſub nomine ſanctorum Matthiæ & Matthæi, haud ignobile templum, quod Bethlehem appellavit, redditibus additis, ex quibus duo prædicatores alerent, qui feſtis, profeſtisq; diebus, verbum Dei, Boemico ſermone plebibus inſinuarent. Horum alter Iohannes aſſumptus eſt, qui cùm ſe libenter audiri animadverteret, multa de libris Iohannis VVicleff in medium attulit, aſſerens, in eis omnem veritatē contineri, adjiciensq; crebro inter prædicandum, ſe, poſtquam ex hac luce migraret, in ea loca proficiſci cupere, ad quæ VVicleffi anima, profecta eſſet, quem virum fuiſſe bonum, ſanctū, cœloq; dignum, non dubitaret. Sequebantur Iohannem, Clerici ferè omnes, ære alieno gravati,

vati ſceleribus ac ſeditionibus inſignes, his & nonnulli doctrina celebres juncti erant, qui, cũ in Eccleſia conſequi dignitatem non potuiſſent, iniquo animo ferebant, ſacerdotia majorũ cenſuum his committi, qui, quamvis nobilitate præirent, ſcientiâ tamen viderentur inferiores. Excæcavit eos invidia, proruperunt in blaſphemias, & cùm aliquibus ignaris fortaſſe, ac vitioſis maledicere poſſent, in omnes latrare ſacerdotes cepere, ab Eccleſia Catholica recedentes, impiam VValdenſium ſectam amplexi ſunt, hujus peſtiferæ, & jam pridem damnatæ factionis dogmata ſunt: Romanum præſulem reliquis Epiſcopis parem eſſe, inter ſacerdotes nullum diſcrimen, Presbyterium, non dignitatem, ſed vitæ meritum, efficere potiorem; Animas corporibus excedentes, aut in æternas è veſtigio pœnas mergi, aut perpetua conſequi gaudia: Purgatorium non inveniri; vanum eſſe, orare pro mortuis, & avaritiæ ſacerdotalis inventum; Dei & ſanctorũ imagines delendas; Aquarum palmarumq; benedictiones irridendas; Mendicantium religiones malos dæmones inveniſſe; Sacerdotes pauperes eſſe debere, ſolùm contentos Eleemoſynâ: liberam cuique prædicationem verbi Dei patere; nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratiâ tolerandum: qui mortalis culpæ reus ſit, eum, neque ſeculari, neque Eccleſiaſtica dignitate potiri, neque parendum ei: Confirmationem, & extremam unctionẽ, inter

Eccleſiæ ſacramenta minimè teneri; auricularē confeſſionem nugacem eſſe; ſufficere ſua quemqueDeo in cubiculo confiteri peccata; baptiſma, fluviali undæ nullâ interjectâ ſacri olei mixturâ, recipiendum: Cœmiteriorum uſum inanem, quæſtus cauſâ receptum; quacunq; humana corpora tegantur tellure, nihil diſtare: templū Dei, latè patentis ipſum mundum eſſe; coartare majeſtatem ejus, qui Eccleſias, monaſteria, oratoriáque conſtruunt: Sacerdotales veſtes, altariū ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vaſa hujusmodi, nihil habere momenti; Sacerdotem, quocunque loco, quocunque tempore, ſacrum Chriſti corpus conficere poſſe, petentibus miniſtrare; ſufficere, ſi verba ſacramentalia tantùm dicat; ſuffragia ſanctorum in cœlis cum Chriſto regnantium impetrari, in Canonicis horis, cantandis, dicendisque, fruſtrà tempus teri: nulla die ab opere ceſſandum, niſi quæ dominica nunc appellatur, celebritates ſanctorum rejiciendas; jejuniis quoque, ab Eccleſia inſtitutis, nihil ineſſe meriti. Tum Epiſcopus Pragenſis, conſilio & animo illuſtris, orienti calamitati obviam ire cupiens, priusquàm amplius debaccharetur, libros Iohannis VVicleff, ad ſe ferri, omnésque, doctorum conſilio adhibito, publicè concremari juſſit, ſupra ducenta volumina, plerumque auro tecta. Iohanni Hus prædicatio interdicta, & adjectæ minæ. Ipſe propterea Pragâ excedens, apud villam, unde natus erat, permittente

ſente loci Domino, plebem docere non deſtitit, multa in Eccleſiaſticos maledicta congerens, utque populum conciliaret, decimas haud aliter, quàm Eleemoſynas ſacerdotibus aſtruit, Dominos prædiorum, ad dandum eas, nullo jure cogi poſſe. Deinde attulit novam peſtem, Petrus Trezenſis, patriâ expulſus, velut Hæreticorum aſylum, Pragam repetiit, apud Eccleſiam S. Michaelis prædicabat Iacobellus Myſenenſis; Petrus aggreſſus hunc, mirari ſe ait, doctum virum, errorem illum, non animadvertiſſe, communionis Euchariſtiæ ſub una ſpecie, cùm apud Iohannem Evangeliſtam, ſub duplici ſpecie, panis, vinique iubeantur, dicente Salvatore: niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Commotus his Iacobellus, cumq; apud S. Dionyſium & S. Cyprianum, communionem calicis laudari inveniſſet, poſt prohibitionem etiam in templo S. Martini, publicè commovere populum cepit, ne deinceps, communionem calicis, ſine qua ſalvari nemo poſſet, negligerent: hinc omnes hæretici conſenſerunt, gaudentes, quòd articulum inveniſſent, in Evangelica lege fundatum, per quem, Romanæ ſedis vel ignorantia, vel nequitia argui poſſet. Odioſo quamvis animo VVenceslaus hæc audiret, deſidiâ tamen, & (quod præter alios VVenceslao etiam exprobravit *Cuſpinianus*: vide *Bzov.* an. Ch. 1400. S. 4.) inertiâ impunè debacchari ſinebat hæreticos

Pragenſis Epiſcopus, ubi nullum adverſus tantum malum inveniſſet præſidium, ad Sigiſmundum Ungariæ Regem confugit, obſecrans, negligentiã fratris emendet; dat fidem Sigiſmundus: Sed cùm dies in diem deducitur, Archiepiſcopus apud Ungariam moritur, & Albicus ei ſufficitur, Boemus, arte medicus, extremæ avaritiæ baratrum. Contigit poſthæc, cùm infeſtaret Ladislaus rex Eccleſiam, adverſus quem Iohannes Papa XXIII. bellum decernens, plenariã peccatorum remiſſionem indulſit, his, qui ad tuendam Eccleſiam arma induerent: recitabatur in Eccleſia Pragenſi decretum Pontificis; quod, cùm quidam ſordidæ artis homines audiviſſent, Iohannem Papam Antichriſtũ eſſe magna voce clamaverunt, qui crucem contra Chriſtianos decerneret, eos propterea Senatus in carcerem rapi juſſit, populus verò, ſuſceptis armis, dimitti eos petiit, ſed placatus oratione Senatus, ſuam quisque domum rediit, de illis clam ſupplicium ſumptum eſt; at cùm ſanguis extra prætorii januam defluens, indicium necis feciſſet, iterũ accurrens populus, interemptorũ corpora rapuit, & aureo circumvoluta panno, per omnes urbis Eccleſias detulit, clamantibus ejusdem *ſectæ* ſacerdotibus, Iſti ſunt ſancti, qui pro Teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt; hujus mentionem faciemus infra, in temporibus Conſtantienſis Concilii. Hæc ex *Nauclero* ordine recenſere placuit, quod non pauca habeant, quibus Hiſtoria Eccleſiaſtica illuſtratur. II. *Diſ-*

II. *Diſſolutam Bohemorum vitam, procerum & cleri, Iohanni Huſſo, ad audenda maxima, animum addiſſe.* Hiſtor. perſecut. Eccleſ. Bohem. c. 8. p. 25. ſuccinctè rem geſtam ita narrat: Anno 1392. fundatum fuit à quodam cive pragenſi, Mulhaymio, Academiæ dedicandum, Sacelli nomine, juſtæ capacitatis templum, Bethlem dictum: in quod primus prædicator introductus fuit M. Stephanus de Colonia: huic autem Anno 1400. demortuo, ſucceſſor datus M. Iohannes Hus, Academiç Profeſſor, vir inculpatæ vitæ, zeloque inſignis. Hic cùm jam pridem omnes ordines diſſolutos eſſe, neminemq; officium facere, Regē, Epiſcopum, Civem, Clerum, Nobilem, tantùm avaritiam, ſuperbiam, ebrietatem, luxum, & peſſima quæq; ſectari animadverteret: tanquam divinitus data ſibi occaſione, publica illa peccata publicè oppugnare aggreſſus eſt. Et quamdiu quidē in ſeculares tela vibrabat, tamdiu à Theologis magni habitus fuit, tanquā è cujus ore Spiritus Sanctus loqueretur: ut verò in eos ipſos quoque denotare cœpit, mox animis mutatis, furere cū, & à Diabolo agitari, clamabant. Primas de eo querelas ſcribunt à Magnatum quibusdam ad Regem (Wenceslaum illum, quem Papa bullas ſuas per Bohemiam exſequi nolentem, & hæreticos ultra voluntatem ſuam tolerantem, Germaniæ Principibus ut ignavum, & imperio inutilem, exoſum, hiſtoriis autem tantùm non infamem, reddidit) delatas fuiſſe, poſtulatumq;, illi, tur-

turbulentis ejusmodi concionibus, interdici. Sed Archiepiſcopus (VVolbram) id fieri poſſe negavit, quoniam Huſſus ad vera loquendum, ſine perſonarum reſpectu, ſeſe in ordinatione ſua juramento obſtrinxiſſet. Cùm autem anno ſequente, idem Huſſus, ſpiritualium avaritiam, luxum, ſacrilegiáque, multò acrius fuiſſet adortus, & Archiepiſcopus à Rege idem, quod antea Magnates, peteret, reſpondit Rex: Fieri id non poſſe, Huſſum enim ad vera loquendũ, ſine perſonarum reſpectu, juramento obſtrictum eſſe. Ita nimirum Deo ipſo molitiones adverſum virum ſanctum, tanquam futurum organon ſuum, jam tum diſſipante.

[e] Exemplo eſſe poſſunt tum illi, qui propterea, quòd ad Pontificis nutum & votum non erant compoſiti, anathematiſmis multabantur (ſup. pag. 805.) tum hi etiam, qui multa ſibi in Pontifice & clero improbari, palàm ſunt faſſi, ſup. pag. 763. & deinc. Rei tamen momentum nos urget, ut luculentiorẽ συμβιβάσεως demonſtrationem exhibeamus, quod tum fuerit, ubi probaverimus, in ipſo Papatu Papatum fuiſſe ſæpiſſimè oppugnatum. Reperimus enim

I. *Biblia ſacra* in linguam Gallicam fuiſſe tranſlata, juſſu Caroli V. *Geneb.* p. 707.

II. *Superſtitiones*, & cultum idololatricum multis diſplicuiſſe A. Quid de *reliquiis* nonnulli ſenſerint, poëmate quidam ſeculo hoc expreſſit, ubi inter alia:

Trun-

Truncaſti vivos crudeli vulnere Sanctos
Vendere nunc horũ mortua membra ſoles.

Cat.Teſt.Verit.l.18. p.792. Tanta reliquiarum *adorationem* cura Papa amplexus erat, ut etiam Indulgentiis eam commendârint: *Bzov.* an. Chr. 1359. S.3.

B. *Cultum Sanctorum* non obſcurè taxavit *Taulerus* concione ſuper: *Simile eſt regnum cælorum Patrifamilias.* Ja es ſeynd etliche geiſtliche Menſchen / die ohne Troſt nicht wollen ſeyn. Dann ehe ſie leutterlich vnd wahrlich ohne Troſt wollen ſeyn/ vnd ledig vnd loß funden werden / ſo nemmen ſie ehe für ſich himmliſche Creaturen/ als die Heiligen vnd die Engel/ vnd beſitzen die in ihnen ſelber mit einer geiſtlichen Luſt / vnd ſetzen die für ſie zu einem Troſt. Als/ dieſer Heiliger iſt mir lieb vor andern Heiligen/ oder der Engel vor andern Engeln/ vnd verrichten dann dieſen Vnderlaß vmbſonſt/ daß es nicht ſol ſeyn/ ſo haben ſie darinn wenig Frieden / ſie haben wol darinnen Vnfriede. Vnd das iſt dannzumal vnrecht/ vnd iſt dir gegen Gott ein groſſe Hindernuß. Du ſolleſt ledig ſtehen aller Creaturen im Himmelreich vnd auff Erdreich / vnd auff niemand bawen noch bleiben/ dann bloß lauter auff GOtt allein. Wann du das thetteſt/ wahrlich vnd leutterlich/ ſo weren alle Heilige wahrlich vnd vollkommenlich von dir geehret vnd gewürdiget. Sic *Henricus* *de Haſſia* lect. in Genes. dicit, eſſe timendum errorem,

rorem, & formidandam ſuperſtitionem in eo, quòd narratur, *aliquos Sanctos ſuam memoriam colentibus aliqua bona aut corporalia, aut etiam ſpiritualia impetrâſſe. Pro exemplo affert, quòd S. Barbara, remiſſionem peccatorum omnium ſuis cultoribus, in extrema eorum hora, impetraverit. Poſtea etiam prolixius ſanctorum legendas inſectatur, & affirmat multa ibi pueriliter & ineptè, multa etiam fabuloſè & falsò ſcripta eſſe.* Cat. Teſt. Verit. l.18. p.801.

C. Superſtitioſam *dierum feſtorum obſervationem* Michaëli Altiſiodorenſi Archiepiſcopo moleſtam fuiſſe, vel hinc patet; quòd *congregata provinciali Synodo pleraque feſta abolevit.* Nic.Clem. Cat. Teſt. Verit. l.18. p.787.

D. *Itinera Romana* ſibilis digna multis viſa fuiſſe, poemition hujus ſeculi, cui nomen Pœnitentiarius Aſini, teſtatur. Cat.Teſt.Verit.l.18.p.792.

E. *Imaginum* cultum Tellius, Helveticæ libertatis primus Aſſertor, ſuo multis exemplo excuſſiſſe queat. Rem geſtam & narrat, & probat, Bzov.an.Ch.1324.S.30. *Per id temporis mirum in modum Deus ultus eſt quendam tyrannum inter Helvetios. Iucunda ſunt, quæ adjungo. Geslerus is erat, nomine Ludovici Bavari, in Suitia & Vrania præfectus. Explorare volebat,*

lebat, qui ſibi minùs morigeri eſſent. Itaque huic rei pileum in publica via Altorffenſi baculo impoſuit, ac eundem magnâ obſervantiâ coli præcepit, tanquam ſibi præſens adſtaret. Huic etiam loco cuſtodes adhibuit, qui mandatum negligentes obſervarent. Cum Vilelmus Tellus, vir magnanimus præteriret, vile illud ſignum neglexit. Ejus rei cum admoneretur, reſpondit: ſeſe præfectum ſemper ſumma veneratione excepiſſe & coluiſſe, idque facturum porrò ſe eſſe; verum, iniquum eſſe, ut homo, Dei creatura, abjectum pileum tanta veneratione amplecteretur, &c. Hoc ſibi antiquitatis ſcrinio erutum habeant reſponſum, qui cur Dei imaginibus λατρείας cultum non deferamus importunè quærunt.

III. Ad *Miſſam* ubi deventum eſt, videmus

A. *Communionem ſub utraque* conſtanter multos Bohemos præſertim, & ex iis Matthiam Ianovium Pragenſem, defendiſſe. *Hiſt. Perſecut. Eccleſ. Bohem.* pag. 19.

B. *Tranſſubſtantiationem*, totámque pompam Miſſaticam, nõ paucos adverſatos eſſe *Bal.* Cent. p. 380. *Iohannes Pariſienſis ordinis Prædicatorum poſuit, quòd panis in altari maneret poſt conſecrationẽ. Thomas VVald. lib. de Sacram.* Conradus Hager, ut ex Bullis quibusdam Ottonis Epiſcopi Herbiprlenſis patet, confeſſus eſt, ſe

ſe annis 24. *ſenſiſſe & docuiſſe,* Miſſam *nullo modo eſſe ſacrificium, aut cuiquam vel vivo vel mortuo prodeſſe. Dixit etiam, ſi haberet hypocauſtum plenum aureis, non unicum datu rum pro* Miſſis. *Affirmavit etiam, ſe putare propterea populum abhorrere à* Miſſis, *quod ipſe multos eam ſententiam docuerit. Abhorruiſſe autem incolas eorum locorum tunc à Miſſis pro mortuis, non ſolum hinc, ſed etiam ex alio ejusdem Epiſcopi mandato apparet, ubi ſeveriter ſubditis præcipitur, ut perſolvant ea, quæ à ſuis majoribus pro ſtatis Miſſis legata teſtamento fuerant.* Vixit a.Ch.1340. *Cat.Teſt.Verit.* l.18.p.778. Sic Iohanes Muntziger, Rector Scholæ Ulmenſis an.Chr.1384. recitavit publicè in Schola Orationem quandam, in qua contendit, *corpus Chriſti non eſſe Deum; atq; ideo nec adorandum ut Deum, pro adoratione latriæ: quæ & ſcripturis poſtea defendet.* Id. pag.794. An.Chr. 1371. Fr. Petrus Bonageta Minorita in Arragonia docuit, *Quòd ſi hoſtia conſecrata cadat ſeu projiciatur in cloacam, lutum, ſeu aliquem turpem locum, quòd ſpeciebus remanentibus ſub eis eſſe deſinat corpus Chriſti, & redeat ſubſtantia panis. Quòd ſi hoſtia conſecrata à mure corrodatur, ſeu à bruto ſumatur, quòd remanentibus dictis ſpeciebus* ſub

ſub eis deſinat eſſe corpus Chriſti, & redeat ſubſtantia panis. Quòd ſi hoſtia conſecrata à juſto, vel à peccatore ſumatur, quòd dum ſpecies dentibus teritur, Chriſtus ad cœlum rapitur, & in ventrem hominis non trajicitur. Hos tamen articulos Curia Romana damnavit, & ſub excommunicationis pœna prædicari vetuit: *Bzov.* S.13.

IV. *Iuſtificationis* gratuitæ, alióſque ei affines articulos aliter à nonnullis tractatos fuiſſe, quàm ſeculi injuria & communis Scholaſticorum doctrina tulerit. A. *Thomas Brandvvardinus* circa a. Ch.1330. pugnavit acerrimè pro gratia Dei contra liberum arbitrium, & Pelagianos ejus patronos, nempe Scholaſticos, non ſine approbatione multorum doctorum. Vide *Anal. noſt.* pag.14. Compendium doctiſſimi illius ſcripti, & accuratam Juſtitiariorum ζωγραφίαν habet author *Catal. Teſt. Verit.* l.18. p.762. B. *Taulerum* de juſtificatione ſatis rectè docuiſſe, ait idem pag.773. C. *Henricus de Iota*, vel *Heuta*, aſſerit 1. *omnes, in mortali peccato exiſtentes, etiam optimè agendo peccare mortaliter. 2. Deũ, non vero ſacerdotem remittere peccata. 3. Omnia conſilia, ut a Papiſtis appellantur, fuiſſe præcepta*: *Catal. Teſt. Verit.* l.18. p.801. D. Adeò certam & immotam Dei electorum ſalute eſſe ſententiam, ut Diaboli inſultibus aut præſtigiis poſſit inverti,

ipſi Pontificii, *Tauleri* exemplo, largiri coguntur. Vide quæ recitat *Bzov.* an. Chr. 1355. S. 21. Et ne quod χρησφύγετον illorum eſt, revelationi illud ferendum clament acceptum, audi conſilium ipſius, quod morituris idem ille præſcribit. *Vbi*, inquit, *morbum ingraveſcere ſenſeris, & ad extrema deventum fuerit, ſequere conſilium hoc longè ſaluberrimum. Inprimis piorum ſanctorumq́ hominum orationes & exhortationes adhibendæ ſunt. Nec parum conducit tales homines morientibus præſentes adeſſe. Iam pietatis opera, quæ poſt mortem, non abſque fructu, homini poſſunt applicari, ſimpliciter conſultius eſt, eadem in mortis neceſſitate conſtituto præſtare: cum alioqui, neque prius quidem, neq́ poſterius præſidia ſpirituali æquè ſunt illi neceſſaria: ſingulariter profuerit & illud, ut hujus cenſeri verba dicantur ab infirmo, vel ad ejus aures elata voce clamentur: Domine Deus ego ſum miſer homo ille, quem tu pro paterna bonitate, & potentia tua creaſti, propter teipſum, & ad te ipſum, Domine Ieſu Chriſte, ego ſum miſer ille, quem tu per ignominioſiſſimam, & innocentiſſimam mortem tuam redemiſti, ab omni poteſtate inimici. Tu ergo ſolus imperium & poteſtatem habes ſuper*

per me. Domine Deus, ego ſum homo miſer, quem tu ſalvare potes, ſecundum abyſſum miſericordiæ tuæ. Experientiâ compertum eſt, ajebat Thaulerus, & ſanctorum authoritate comprobatur, hujuſcemodi verba morientibus recitata, mirum in modum prodeſſe. Fuit enim vir quidam fide dignus, cui in extremis à ſenſibus alienato, hæc verba in aures acclamabantur, qui ad ſe reverſus, tres ſibi dæmonum turbas aſſiſtere vidit, ſeque jam penè ad tartara fuiſſe relegatum. Porro, quoties unum ex ſupradictis verbis tribus proferebatur, una dæmonum turba aufugit, donec ſimul omnibus prolatis, omnes quoque dæmonum turbæ recederent, nec eum amplius poterant tentare. Idem ipſe ait, quòd cuicunque ſupradicta verba in aures acclamarentur morituro, aut ab ipſo cogitarentur haudquaquam poſſet perire. Huc facit exemplum Petri Thomæ, de quo *Iohannes Faventius*, Guardianus Paſſenſis in Inſula Cypri: An.D.1366 Petrus Thomæ, Patriarcha Famaguſtæ, in domo Carmelitarum moriens dixit: Piiſſime judex Ieſu, peccavi in cœlum & coram te: nec ſum dignus vocari filius tuus, quòd majeſtatem tuam offenderim in hac vita miſerrima. Et poſtea: Sentio me nimium peccatorem, quod meum multipliciter offenderim creatorē.

Sed habeo judicem valdè pium, qui meis ſceleribus indulgens, pœnas inferni miſericorditer relaxabit, ſuæ paſſionis virtute ac meritis. Philippus de Macerils, Cypri Cancellarius, in vita ejusdem: Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus, morti propinquans dicebat: Medicis corporalibus non indigeo: habeo enim medicū meum ſpiritualem, Ieſum Chriſtum, qui me jam ſanavit. Ipſum appeto, & cum ipſo bene ſto. Et in ipſo mortis puncto iterum dicebat: Ego de illo vitæ fructu accipio, qui regit ac ſuſtinet univerſa. In quo confido: ipſum volo, nec aliud jam volo. *Bal.* p. 464.

V. *Conjugium Clericorum* non paucos, nec abjectos habuit propugnatores. An. Ch. 1320. Pariſiis quidam Theologus publicè docuit, *quod melius Clericis eſſet uxores proprias ducere, quàm more ejus ætatis incontinenter vivere:* *Bal.* p. 380. Johannis Folsham, Anglus, conjugii defenſionem ſuſcepit; *Id.* pag. 421. multis reclamantibus. Refert Petrus Præmonſtratenſis, *Archiepiſcopum Colonienſem fuiſſe uxoratum,* *Id.* p. 438. confer p. 507. de incommodis cœlibatus clericorum. Templarii etiam matrimonio jungi voluerunt in Anglia; *Bzov.* an. Chr. 1312. S. 4. voto non obſtante.

VI. *Papa* cumprimis, curia, doctrina, authoritas ejus lethaliter hoc ſeculo impetita fuit. Nam

A. Ro-

A. *Romanam & Eccleſiam & Curiam meretricem multi vocârunt Babylonicam.* *Petrarcha*, ſcribit Bzov. an. Ch. 1356. S. 19. *in aulam Pontificiam, adeoq; in ipſum Pontificem calamum ſtrinxit, Avinionemq; labyrinthi* Rhodani *& Babylonis tertiæ nomine infamavit: ubi non carcer horrendus, non tenebroſæ domus error, non fatalis urna, humani generis fata permiſcens, deniq; non imperioſus Minos, non* Minotaurus *vorax, non damnatæ Veneris monumenta defuerint: ſed remedia, ſed amor, ſed charitas, ſed promiſſorum fides, ſed amica conſilia, ſed fila, perplexum iter tacita ope ſignantia, ſed* Ariadna, *ſed Dædalus, una ſalutis ſpes in auro eſſet, auro placaretur* Rex *ferus, auro immane monſtrum vinceretur, auro ſalutare lorum texeretur, auro durum limen oſtenderetur, auro vectes & ſaxa angerentur, auro triſtis janitor molliretur, auro cœlum panderetur; quid multa? auro Chriſtus venderetur.* Confer *Catal. Teſt. Verit.* l. 18. p. 774. 794. 796. Sic Petrus Iohannes Biracenſis ſeu Pyranenſis per Babylonem, meretricem Romanam, (Apoc. 1. 17.) intelligebat Eccleſiam Romanam, & Papam per Antichriſtum; *Geneb.* p 696. Sic *Hayabalas* quidam an. Ch. 1345. Avinione vexabatur, quod publicè concionari fuerit divinitus juſſus,

Eccleſiam Romanam eſſe Babylonicam meretricem, ac Cardinales Antichriſtos, *Catal. Teſt. Veri*t. l. 18. p. 730. Quæ opinio Vratislaviæ vulgò obtinuit; *Bzov.* an. Ch. 1340. S. 8.

B. *Papam eſſe Antichriſtum.* Ingenua hæc fuit Iohannes Milicii in Bohemia confeſſio. *Hiſt. perſec.* p. 20. Occamus Iohannem 22. Antichriſtum appellat; *Avent.* l. pag 785. & ipſe etiam Ludovicus Imperator in memorabili illo Senatus conſulto, quod recitat p. 700. *Arnoldus de Villa nova,* per Danielis & Sibyllæ Erithreæ prophetiam probare nitebatur, adventum Antichriſti & perſecutionem Eccleſiæ futuram eſſe inter 1300. & 1400. *Paraleip. Vrſp.* pag. 351. Plura de viro, ejus ſcriptis, condemnatione & morte *Bal.* pag. 359. Confer *Catal. Teſt. Verit.* l. 18. p. 773.

C. *Papam hereſeos crimini eſſe obnoxium.* De proceſſibus Iohannis 22. contra Ludovicum ſcribit *Naucl.* Gen. 45. p. 248. b. *Iſti proceſſus, ut ſcribit, frater* Hermannus, *qui tum temporis vixit, à quibusdam ſtrictiſſimè ſervabantur, a multis verò invalidi reputabantur, quia dicunt examinati à Doctoribus utriusque juris, qui judicabant eos, penitùs non valere. Imo Iohannem Papam magni & multi Theologi, ſcientia & vita probati, dogmatiZabant, eſſe hæreticum, propter errores certos, quos tamen die obitus ſui dicitur tepidè revocâſſe, & ſucceſſor*

ceſſor ejus Benedictus eos errores fertur publice damnâſſe. Avent. annal. l.7. p.750. *Hunc Iohannem temere atque male de beatitudine; Nullam penitus animam mortalium, donec hi reviviſcerent, atque immortalitate donati poſt excidium demum orbis forent, cæleſtem in curiam recipi prædicavit. Legi ego Epiſtolam, quæ extat, Theologorum ejusdem tempeſtatis, maximè Pariſiorum, qui illum hæreſeos nota inurunt, atque ut reſipiſcat, commonefaciunt.* Controverſiam hanc paulò fuſiùs pertractat Bzov. an. Ch.1331. S.11. *Eodem tempore*, inquit, *ipſe idem Pontifex alios adverſariorum adverſum ſe excitavit, cum antiquiorum Doct. Tertulliani, Lactantii, Victorini, Prudentii, Bernardi, & ex* Græcis, *Iuſtini* Martyris, *Irenæi, Origenis, Theodoriti, Oecumenii, Theophylacti, Euthymii, & aliorum, quos Xyſtus Senenſis lib.6. Biblioth. ſanctæ, annotat.345. enumerat, de clara viſione Dei opinionē nondum ab Eccleſia damnatam, pro concione recitaſſet: & in partem quorundam Fr.* Minorum, *aſſerentium, animas à corpore ſeparatas non ſtatim beata viſione Divinæ eſſentiæ frui, ſed eam, usque ad diem judicii expectare, diſſerendo quidem, non autem aſſerendo, neque*

decernendo inclinavit. Fratres Prædicatores (& ex iis potiſſimum Thomas Vvalleys, ſeu Gualenſis, Anglus, Bal. p. 406.) *primi fuere, qui docentem Ioh. Pontificem impugnavere: ex Sacræ Scripturæ authoritatibus & exemplis oſtendentes, animam juſti mox reſolutam corpore, cælos, ad felicem viſionem divinitatis penetrare. Fr. Dominicanis, Prælati, & Doctores fere omnes, in Palladio Pariſienſi contra Iohannem ſubſcripſere, eaq; de re illi dehortatoriam, dogmaticamque Epiſtolam miſere. Scripſit & Philippus* Rex *Gallorum, & Robertus Siculorum, nec Pontifex ſe contra torrentem doctiorum virorum opponeret, neve hac opinatione maculam nomini ſuo inureret. Cum tamen, ipſo Guillelmo A Chorno, graviſſimo adverſario, teſte, hæc verba diceret: Nunquam tamen meæ intentionis fuit, dicere aliquid contra fidem, & ſi aliquid diximus, totum ex nunc revocamus. Ocham. dial. 1. part. 2. cap. 9. & 10. Tergiverſationes diu erant plurimæ multorum, quum Fratricelli garrire non mitterent. Sed prævaluit tamen veritas dicente Chriſto ad latronem:* Hodie *mecum eris in Paradiſo.* Sententiam tandem & Iohannes revocavit, *id.* an. Ch. 1335. S. 1. & Benedictus

lictus ſucceſſor an. Ch. 1335. S. 8. & 1336. S. 9. Diam Calvino Monachus impingit, quaſi injuriam Iohanni faceret, cùm ei hæreſin de animarum viſione imponit, cùm is de quæſtione nondum per id temporis ab Orthodoxa Eccleſia definita, non tam aſſerendo, quàm diſſerendo, & recitando potiùs, quàm decernendo quippiam dixiſſet, neque pertinax in ſenſu proprio, aut ea opinione hæſiſſet, ſed tandem monentibus Regibus & Cardinalibus obaudiens, Catholicam veritatem profeſſus, ſancto fine quieviſſet: an. Chr. 1331. S. 11. & an. Chr. 1334. S. 3. Quid verò araneam texis? Non primus fuit Calvinus, ſed doctiſſimi fidei tuæ ſocii, qui hæreſeos labem in Iohanne animadvertunt. Sed *diſſerendo potiùs luſit, quàm aſſerendo decrevit*? R. Vobis in re tam ſeria ejusmodi habetote luſus. Aut num jocus erat, cùm, ut ipſe loqueris, *veritatis animosè prædicatæ pœnas dederunt præcones ejus*? Num, *qui Catholicum dogma impugnat*, quod de Iohanne & aſſeclis ejus non facilè negaveris, Acatholici periculum effugiat? Capiant has ſubtilitates alii; nobis ſub tam craſſo aëre natis non licet. Non licet, inquam, aſſequi, qua ratione is, qui ſententiam, & Sc. & Patrum authoritati è diametro oppoſitam, pro concione explicat, ab aliis propoſitam approbat, contradicentes carceribus multat, propugnantes defendit nudo aſſertionis velo tegi aut excuſari poſ-

ſit. *Sed retractavit? Tepidè*; inquit *Nauclerus*. Quid ſi & fervidè? Tantò certè graviori ſe obſtrictum fateri debuit errore, quanto majori ſtudio eundem ejuravit. Quòd ſi erravit, & quidem in re tanta, erroris utiq; immunis non eſt. Quicquid ſit, cum Eccleſiæ ſuæ Antiſtibus prius tranſigant, qui propter hæreſin Iohannem depoſitum ſcribunt, (vide ſup. pag. 776.) quàm telum hoc cōtra Papæ ἀναμαρτησίαν nobis extorqueant. *Geneb.* p. 694. Errorem Lactantii & Irenæi, de receptaculis animarum, usq; ad reſurrectionem tenuit: & publicè prædicavit. Sed ex decreto Pariſienſis Facultatis illum retractavit. *Tanti olim fiebat hujus Facultatis authoritas*. Quantò majoris ergo æſtimari debet Scriptura? Vide & pag. 697. Fuit hoc Iohannis certamen cum *Dominicanis*, qui intrepidè cauſam ſuam contra Franciſcanos egerunt. Mox ipſi Franciſcani hæretici infamiâ Iohannem notant. Ex *Vitodurano*, qui prolixè admodum Iohannis vitam, doctrinā & mores deſcripſit, jam ſupra monuimus, quàm malè ejus in Eccleſia Romana accepta fuerit opinio de ἰδιοκτησίᾳ Chriſti & Apoſtolorum. Emphatica ſunt verba: *quod, inſania inductus nova dogmata parturierit, quod poſitio eius fuerit ſcandaloſa: quod Imperator Papam hæreticum nuncupârit; quod authoritates eius diſſona & contraria fuerint* Scripturæ evidentiſſimis rationibus. Alios præterea non leves Iohannis hujus

is fuiſſe errores, haud obſcurè innuit idem pag. .7. a. *Fertur* (dubitanter loquitur) *quod in fine vitæ ſuæ errores ſuos correxerit, qui multi, præter à me ſupra tactos, extiterunt.*

D. *Cenſuras multi & anathematiſmos, tanquam bruta fulmina contemſerunt.* Bzov. an. Chr. 1317. S. 5. de Iohanne, Epiſcopatum Toloſatem dividente, commemorat, quòd novitatum quidam ſertæſi, obedire ei detrectârint, præcepta, maledictiones & cenſuras nihili æſtimarint. Henricus Archiepiſcopus Moguntinus, qui Ludovico favebat, cenſuras Papæ publicè aſpernabatur; Bzov. a. Ch. 1342. S. 7. Sic. an. Ch. 1378. *Florentini* contempto interdicto celebrare per urbem agrumque cunctis templis ſacerdotes juſſerunt. *Et legitur in Chronicis* (Naucl. ſunt verba Gen. 47. p. 259 b.) *quod, habito ſuper his conſilio à Canoniſtis conſultum fuit, ſuper eos per eosdē, civitatem non teneri ad obſervationem cenſurarum à papa prolatarum, quia ex odio & inimicitia ad eos movebatur. Bulla Iohannis adverſus Ludovicum Bavarum ſolide ſatis refutatur à Canoniſtis & Theologis*; Naucl. Gen. 45. pag. 251. Avent. l. 7. vide ſup. p. 777. *Ipſe Ludovicus* (ſcribit Fel. Fab. annal. Suev. l. 1. p. 149.) *a. Ch. 1338. mandavit omnibus Clericis & religioſis, ut divina officia quæ Papa interdixerat, reaſſumerent,*

merent, nec proceſſus Apoſtolicos acciperent. Vnde aliquæ Eccleſiæ reaſſumpſerunt contra Eccleſiam, ex quibus una fuit Conſtantienſis, quæ ceſſaverat multis annis, ſcilicet 12. ſed cõpulſi per cives prophanaverunt, aliqui autem receſſerunt, ut ſervarent interdictum, quibus favit nihilominus Epiſcopus Conſtantienſis, ſine cuius conſenſu reaſſumta fuerunt officia. A*liquæ Eccleſiæ nunquam ſervaverunt interdictum, aliquæ ſervaverunt, & fuit grande ſcandalum in tota Alemannia.* Multi *Epiſcopi adhærebant Ludovico, & aliqui non. Principes vero, quaſi omnes, contra papam, Ludovico favebant, & Civitatenſes. Vnde* F*ratres noſtri Vlmæ eo tempore, quia profanare nolebant, ejecti fuerunt de civitate. A. D.* 1339. *Conſtantienſes, Thuricenſes, Vlmenſes, & quaſi omnes alii, cives Imperii coëgerunt Clerum profanare, & qui nolebant, expulerunt. Vnde eodem tempore oppidum Rottvvilenſe, Conſtantienſis Diœceſis penitus combuſtum fuit, demtis ſex domibus, quod à multis credebatur accidiſſe, propter profanationẽ. A. D.* 1346. *reducti fuerunt in Conſtantiam Fratres Prædicatores per Epiſcopum, qui propter interdictum 6. annis exulaverunt, & in*

Dyſen-

yſenhoven degerant (aliqui autem in conventu profanantes manſerant) & cum conventũ intrâſſent, ſequeſtrato loco habitabant, uia profanare nolebant: ſicq; una pars violait, quæ tamen minor pars erat. M*inores uq; profanabant, demtis cõventibus in Schaffuſen Briſaco. Porro in Lantshuta & Ratisona cum Prædicatores 25. annis, clauſis jauis celebrâſſent, quidam Satrapa de Deck in onventum Lantshutenſem cucurrit cum inenſis facnlis, comminans, niſi cantarent, quod mnia igni traderet, & ſic victi profanabant.* Argentorati quid factum ſit, habent *Paraleip. rſp.* p. 356. Cùm Minores & Prædicatores, qui liquot annis cantârunt, cum Auguſtinianis cantare ceſſarent, dictum eſt eis à civibus: Sie ſollen ſingen / oder auß der ſtatt Straßburg ſpringen. Confer p. 359.

E. *Decreta Pontificis, ejusq; proceſſus ſugillabantur ſæpe, & damnabantur* 1. In Helvetia. Vitodur. p. n. 44. b. *Circa illa tempora, quidam Clericus amoſus à Papa Baſileam dirigitur, ut quosdam proceſſus frivolos ibidem promulgaret, ui ſtatim de Curia Monaſterii ſummæ Canonicæ dictæ Burg / eminenti & valde excelſo loco in fluvium Rhenum illic præterfluentem præcipitatur, qui quamvis de alto proiectus fuiſſet, ut*

ut veriſimiliter mori potuiſſet, non tamẽ mortuus fuerat, nec etiam tantũ conquaſſatus & colliſus fuerat, quin Rheno ſe mox immitteret, natando mortem evaderet, quod & feciſſet, ſi perſecutores eius, videntes eum nare, in naviculis ipſum celeriter inſecuti non fuiſſent, quem cum apprehendiſſent, necabant. 2. In *Germania*, vide *Calviſ.* an. Chr. 1338. 1339. 1343. & 1347. confer quæ dicta ſunt ſup. p. 777. quibus & Pariſienſes & Bononienſes ſubſcripſerunt. *Avent.* lib. 7. p. 784. *Conſulti iuſſu Regum Theologi Lutetiæ Pariſiorum, reſcripſere, reſponſa Clementis ſolum iniqua, ſuperba, ſed & contraria æquitati Chriſtianæ eſſe. Idem Bononienſes fecerunt.* Ne pigeat hac de re prolixam Vitodurani noſtri audire narrationem. Hoc enim momentum rei requirit. Ita p. 63. His temporibus (circa a. Ch. 1338.) defuncto Iohanne Papa XXII. qui ſententias excommunicationis, & interdicti contra Ludovicum Imperatorem fulminaverat, & creato Benedicto Papa duodecimo, Imperator confidens de eo, quia ipſum non offenderat, & cupiens Romanæ Eccleſiæ ſedi ſub eo, & per eũ reconciliari, & ab eo confirmari, & coronari, Legatos ſuos reverendos omnis generis, quaſi viros frequenter ad eum, & pluries miſit, ut cauſam ſuam, & Eccleſiæ apud eum agitarent, & diligenter promoverent, qui ſemper

per fruſtra laboraverunt, & vacui omni gratiâ redierunt, non enim eum placabilem invenire potuerunt, quem Rex Franciæ, in cujus manibus conſiſtebat, induravit, ut fama communis atteſtabatur. Si enim eum non avertiſſet, & prohibuiſſet, benignum & propitium, ſecundùm relata hominum, ipſum reperiſſent. Sicut patebit per hæc, quæ conſequenter ſubnectam. Cùm enim prima vice, tam arduo negotio, & tractatui condignos nuntios, ad Papam deſtinâſſet, ſcilicet viros ingenuos, & expectabiles, genere dignitatisq; apice præclaros, ac eminentes, ſublimatos, ſapientiæ quoq; radio illuſtratos, utpote Rectores, Iuriſperitos, Theologos acutiſſimos; & illi perſpicaciter, & diſertiſſimè coram ſummo Pontifice, coramq; ſuis Cardinalibus, teſtimoniis ſacræ Paginæ, & utriusq; juris civilis, ac Canonici veriſſimis, & certiſſimis demonſtrâſſent, Imperatorem Ludovicum deberi recipi, ad gremium matris Eccleſiæ, & inſignia confirmationis, & coronationis, impendi ſibi deberi, nec nõ relaxari interdictum, contra eum latum in regno ſuo, à ſuo prædeceſſore, præſertim, cùm paratus eſſet ſubire pœnitentiam condignam ſuis exceſſibus, quos ſcienter, vel ignoranter contra ſedem Romanæ Eccleſiæ commiſit, & quicquid oneris ſibi imponendum cenſeret, dum tamen rationabile eſſet, libenti animo ſufferre, juraq; & privilegia more ſuorum anteceſſorum, Papalia confirmare, defenſare, & pro viribus ſuis quandiu vive-

viveret, conſervare. Papa & Cardinales gaudio exultantes in his dictis, aſſurgentésque inclinatis capitibus, Deo gratiarum actiones, ut dicitur, reddiderunt, jucundum & facilem conſenſum ad ſingula petita perficienda, prætendentes. Hoc videntes Imperatoris nuncii, gaviſi ſunt, gaudio magno valdè, exſpectantes beatam ſpem, & adventum concordiæ, & unitatis Eccleſiæ, diu cum tædio concupitæ. Sed heu eorum expectatus inanis fuit, quia Rex Franciæ, & Rex Bohemiæ, qui Imperatoris felicibus tunc ſemper ſucceſſibus invidebant, percipientes Papam, unà cum Cardinalibus, velle propitiari Imperatori, & ad gratiã eum recipere velle, ipſum avertunt, propoſitum ſuum nobiliſſimum irritantes, ſicq; legati Imperatoris ſine fructu reverſi ſunt, fruſtrà habitis multis laboribus, & expenſis. Imperator verò iterum alios ſubſtituit, & ſubmiſit, qui in nullo, ſicut priores, profecerunt, imò opprobriis, & contumeliis ad hæc affecti, absque omni effectu redierunt. Multis itaque nunciis, & interceſſoribus Imperatoris à conſiſtorio, & Curia Domini Papæ, cum injuria repulſis, & verecundia tandem A. Domini MCCCXXXVIII. tempore Autumnali, Apoſtolicos Legatos ſuos miſit, uſq; in Lotharingiam, colens, ac demandans, ut & Imperatoris illuc ad eos properarent, ut illic utrique convenientes, de pacis fœdere habendæ, inter eos tractarent. Miſit ergò Imperator ſolennes nuncios ſuos illuc, de Suevia, Dominum

minum Comitem de Nellenburg, & Dominum dapiferum de Walburg, de Bavaria, Dominum de Niſen, ſuum apocriſiarium, & præ cæteris dilectum. Cùm autem legati ſummi Pontificis, tam difficilia & ardua, & valdè pertimeſcenda, ab Imperatore exigerent, videlicet, ut ſe humiliter Domini Papæ conſpectui præſentaret, & Imperium in manu ejus liberè reſignaret: ſed quia ſecundùm juriſperitos Imperatoris juri cõſonum non erat, nec rationi, quòd tam perſonã, quàm res taliter in manus hoſtium ſuorum capitalium, hoc faciendo, traderet, & exponeret, præcipuè Regis Franciæ illis dominantis, Legati Imperatoris memorati omnibus poſtpoſitis, indignati animo, his viſis receſſerunt. Ob quam cauſam Imperator appellationem ſuprà dictam, per Fratrem dilectum Bonagratia, utriusq; juris, Legis & Canonis magiſtrum, & Doctorem expertiſſimum, quemadmodum memini, me ſuprà dixiſſe, contra Papam luculentiſſimè renovavit, accerſitisque Principibus Electoribus Regis Alemanniæ, & per conſequens Imperatoris Romanorum tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, nec non aliis majoribus natu in Alemannia, magnatibus, ſatrapis, Baronibus, quocunque nomine cenſerentur, vel quibuscunq; dignitatibus pollerent, in civitatem Franchfurd Franconiæ eis cum pondere, & flebili quaſi voce contemptum ſibi allatum, à Papa querebatur, per ordinem jam præſcriptum: Inſuper Regali-

bus veſtibus, gemmis, auro & argento ad modũ fulguris coruſcantibus indutus, ſceptro quoq; , & aliis inſigniis Regalibus decoratus, expurgavit ſe legitimè, coram omni multitudine militiæ ſuæ, ibidem congregatę. Rege etiam Angliæ, cũ ſua militia præſente, à vitiis illis, quæ ſecundùm decretalem incipientem: *Venerabilem*, in titulo, de electionibus, ipſum impedire, vel dejicere poſſent, oſtendere ſe & ſuos protectores, à tempore, quo non extat memoria, fidei Catholicæ profeſſores, à cunabulis devotos, & veriſſimos eſſe ſectatores. His & ſimilibus ſermonibus ab eo glorioſè, ac limpidè peroratis, per ſe, & ſuos juridicos, ſciſcitabatur ab eis, quid ultra facere deberet, quàm quod fecit, & quid ſentirent, *de interdicto* contrà eum, in regno ſuo indebitè, judicio ſui, & multorũ prolato, & jam per plures annos, in diſpendium animarũ, & periculũ maximum ſervato, in ſuum etiam dedecus & gravamen. Qui diſcutientes cauſas, & motiva ſingula, tam Papæ, quàm Imperatoris, diligenterq; examinantes, & acumine intellectus, luce clariùs omnia ſpeculantes, & perſcrutantes per ſe: principaliter vero per Imperatoris legiſtas, & canoniſtas valentiſſimos, principaliſſimè autem per Fratrem Bonamgratiam armarium, ſeu ſcriniũ, quaſi totius juris, conſequenterque per cunctos Prælatos, cæterumq; Clerum ibidem congregatum, repererunt, Imperatorem, cuncta, quæ debuit, ſufficienter peregiſſe, & ſibi aditum, & acceſſum

ceſſum omnis gratiæ, & juſtitiæ interclutum, & obſtructum, & indiſcretè, temeréque denegatum. Sententia ergo matura, & unanimi principes etiã jurejurando præſtito, determinaverunt omnes proceſſus, à Domino Papa, contra Dominum Imperatoré latos, indebitas, & prorſus nullius fore ponderis, vel momenti; ſed eas irritas, & inanes, & ab æquitatis lance penitùs alienas, aſtruxeruntque eodem jurejurando, ſententiâ diffinitivâ, per totam terram Imperii, Ludwicique Imperatoris ditioni ſubactam, divinum cultum, indebitè in pœnam, & contemptum Imperatoris interdictum, & ſuſpenſum, legitimè, licitéque, omni conſcientiæ ſcrupulo depoſito debere reſumi. Decreverunt nihilominus, totum Clerum ubilibet in regno, ſeu imperio Imperatoris conſtitutum, qui adhuc nón reſumpſiſſet, divina, compellendum ad reſumendum divinum cultum, diu intermiſſum, & interciſum, & ſi renueret, & contumaciter parere deſpiceret, tanquam hoſtis Dei publicè eſſet acriter puniendus. Exiit ergo edictum à Cæſare Auguſto Ludvvico, ut univerſa pars orbis ſibi ſubjecta, vel ſubjicienda, ſub obtentu gratiæ ſuæ, divinum cultum reſumeret incunctanter; quod ſui officiales, præſides, Advocati, ſibi ſerioſiùs commendatum, ad ternas mandârunt, in literis Imperatoris ſecum deportantes, fideli executioni præcipientes ſingulis civitatibus, & aliis locis advocationis ſuæ, vel jurisdictioni

ſubjectis, per minas & terrores, juſſionem Regis urgentem, per omnia obſervari. Quod cùm Clerus aliquarum Civitatum, una cum civibus effectui mancipare, aliquot dierum ſpacio, minimè curâret, vel ſpreviſſet, tandem habito cives ſupra hoc conſilio, ad cor redeuntes, vel recognoſcentes, durum fore contra ſtimulum calcitrare, valenter jubebant per civitates proclamari; quicunque clericus, tam religioſus, quàm ſecularis, divinum cultum, apertis januis, pulſatis campanis, habere, vel reſumere contemnerent, extra civitatem in perpetuum, vel ad tempus fieret; vel ſi quis animo fugiendi Divina, civitatem exiret, uſque poſt decennium, ſe ſciret irremediabiliter exterminatum; ab illa civitate, oppido, villa, cœnobio, vel loco quocunque, relinquentes tamen, & indulgentes clericis octo dierum, vel citrà manendi, vel recedendi, deliberandi ſpatium. Multi igitur diverſorum ordinum clerici, & ſeculares, aliis cantantibus de locis ſuis, diſcedebant, hinc inde vagantes, & in locis aliorum Dominorum, ad divina reſumenda non coactis, ſe recipiebant, & ibi nomen Pſallentium in tantum maculaverunt, ut more ſtercoris, vel luti fœtidi abjicerentur, & ipſorum cõmunio, familiaritates, converſationes, miſſa, oratio, prædicatio, abſolutio, & quæq; clavium authoritas, execrabilis haberetur. E contrario remanentes, & Domino præcinentes tacentes & recedentes, tanquã vecordes, & roncos, pertinaces,

tinaces, fatuos, & rebelles, occultè, & manifeſtè perſequebantur, & eos coram hominibus vitandos, & deteſtandos, tanquam perverſores, & dilaniatores latere; nihilominus tanquam venenatos, & contagioſos, & ad inſtar canis rabidi fugiendos, affirmârunt. Utraque pars, alteram deſipientem, vel una alteram ſchiſmaticam, rumpentem, & ſcindentem tunicam Chriſti integram, & inſutilem, judicabant. Multi verò de numero exeuntium, ducti poſt medium annum pœnitentiâ locum ſuum ardenti deſiderio repetebant; ſed indultum eis non erat, quia tota verè univerſitas, juramenta in eorum exitu, in cõtrarium emiſerunt, videlicet, ut nullus eorum facultatem, vel poſſibilitatem regrediendi haberet, ante finem termini, eis ſuper hoc præfixi. Unde factum eſt, ut inviti, cum amaritudine maxima mentis, extrà manerent, qui voluntariè ac improvidè exierunt; ut autem materiam hujus ſermonis concludam, animadvertendum eſt, quòd muta diu labia, in vocem cantûs, & lætitiæ cultûs divini ſunt reſoluta, & organa, per multa annorum curricula, ſuſpenſa, relaxata ſunt, in melodiæ, ac pſalmodiæ harmoniam, prædicta diſſenſione, & difformitate perdurante uſque in hodiernum diem. Hæc *Vitoduranus*.

3. In *Gallia*. An. Ch. 1301. *Bonifacius Papa mittit Bullam ad Regem Galliæ Philippum, in qua ſe prædicat Dominum Mundi in ſpiritualibus*

& temporalibus, & ea de cauſa iubet, ut Galliæ Rex *ſe pro feudi Domino agnoſcat. Hanc Bullam Philippus publicè comburit, & ſtatus regni convocat, qui ſtatuunt, Pontifici nullum ius eſſe in regnum Galliæ;* Polon. *Ideo iratus Papa fulmen excommunicationis emittit in regnum* Franciæ, *præſertim quòd Cardinales de Columna à* Rege *foverentur. Sed nemo excommunicationem hanc ratam habuit in* Gallicis, *præter Epiſcopum Burdegalenſem:* Hein. Mon. Cal. Confer ſup. p. 600. Plura apud *Bzov.* a. Ch. 1302. S. 4. 5. 6. 7. & 1303. S. 4. 5. 6. de Bonifacii & Philippi mutuis anathematiſmis; *Bal. cent.* p. 358. Præſertim de Galliarum prælaturarum direptione & Pragmatica ſanctione, perpetua fermè Regibus Galliæ, fuerunt certamina cum Papis, inde à Bonifacio VIII. ad noſtra uſque tempora. Vide *Cat. Teſt. Verit.* l. 18. p. 775.

Imò, quòd in tota penè Europa regnum, quæ Reſpublica fuit aut natio, qui ordo, unde Papæ, & Papatui vulnus non fuerit inflictum? Et ut de ordinibus aliquid dicamus.

Non pepercerunt a. *Imperatores.* Nimis manifeſta eſt Ludovici Bavari tragœdia. Ipſam Romã ingreſſus magna civium cæde an. Ch. 1328. libertatémque ſæviendi in Papam ſuis conceſſit, Ib. S. 5. & a. Ch. 1330. S. 1. Et quanquam, pœnitentiâ ductus, palinodiam canere paratus fuerit, *an.* Chr.

Ch.1336. S.1. & 4. & a.Ch.1338. S.1. mox tamen mutavit mentem an. Ch.cit. S.3.7. & 1340. S.3. Sed & Henricus Imperator non Italiam modò ferro & flammis devaſtat, ſed Clementi Papæ caduceatori aures obthurat, ingenuéque fatetur, non ſe à Papa, ſed à Deo Imperium obtinuiſſe, *Bzov*. an. Ch.1312. S.9. & 1310. S.10.

b. Non *Reges*. 1. *Edvvardus* Angliæ Rex an. Ch.1366. prohibuit Petri denarios deinceps per Pontificum Romanorum quæſitores colligi; *Bal*. p.449. Epiſtolam idem ſcripſit, quâ petiit à Papa, ut deſineret ſui regni Eccleſias commendare cui liberet; relinqueretque ſibi à regno liberam electionem prælatorum, aliorumque paſtorum, ſicut olim eam habuerunt. Queritur lugubriter, *Papam conferre regimen Eccleſiarum indignis, qui plerumque neque curent ſalutem ovium; nec earum vocem intelligant, nec etiam in ſuis Eccleſiis reſideant; ſed tantum lucro inhient, reditus Eccleſiarũ per procuratores exigentes, & oves deglubentes. Vnde fieri, ut pii & docti homines indigenæ, paupertate preſſi, ſtudia deſerant, ædificia Eccleſiarum corruant, ſalus animarum periclitetur, & regnum denique penitus exhauriatur, & debilitetur Domini vinea*. Epiſtolam habet author *Cat.Teſt.Verit*. lib.18. p.775. Concilii decreto ſancitum, *ut nulli mortalium deinceps lice-*

ret pro quavis cauſa agere apud Pontificem Romanum, ut quiſpiam in Anglia eius authoritate impius, religioniſq; hoſtis publicè declararetur, hoc eſt, excommunicaretur; Bzov. p. 500. Primus Eduardus pœnam indixit immanem his, qui in poſterum ulla Anglicana ſacerdotia impetrarent à Romano Pontifice; *Geneb.* pag. 707. 2. De *Galliarum* Regibus modò diximus. 3. In *Hiſpania* Petrus Caſtellæ Rex non adeò libenter Eccleſiæ & Innocentio Pontifici obſequebatur; *Bzov.* an. Ch. 1313. S. 11. & 1358. S. 8. *Bal.* pag. 429. 4. Birgerus *Sueciæ* Rex Eccleſiaſticam libertatem à Papis conceſſam acriter oppugnavit; *Bzov.* an. Ch. 1304. S. 9. Et ſi vel maximè Reges *jugo ſe* Pontificio ſubmittere aſſueverint, ipſis tamen nonnunquam *ſubditis* aliter fuit viſum. Nihil de *Scotis* dicam, ſacra Pontificiorum loca devaſtantibus, *Bzov.* an. Chr. 1314. S. 7. *Poloni*, ſedi Romanæ manifeſtè rebellabant. Laici & Clerici, *Id.* an. Ch. 1305. S. 11. & cumprimis *Vngari*, quibus ſub Anathematis pœna Papa Carolum obtrudere voluit. Erant, qui interdicti rigorem exequerentur, *alii tamen, ut ſummo Pontifici vicem redderent, cæteroſq; à vero & unico Eccleſiæ Catholicæ paſtore diverterent, profano execrabiliq; edicto ſummum Pontificem cum cæteris Antiſtitibus Vngariæ non modò ſacris, verũ etiam aqua & igni publicè interdixere, alta voce*

ce hos omnes profanos, & humana conſuetudine indignos prædicantes; *Bzov*. an. Ch. 1301. *S*. 5. Confer 1303. S. 1. Cætera vide ſup. p. 791.

c. Non *Duces, Principes, Comites, Barones, Reſpublica*; imò nec *plebeii*. Nam 1. *Romani*, duce Nicolao Gabrino, Laurentii Civis Romani filio, & Scriba publico, Capitolium cum armatis hominibus conſcendens, libertatem populi Romani aliquoties conclamavit, & facto concurſu promiſcuæ plebis, Senatores urbis, quorum eligendorum jus populo Romano à Clemente IV. fuerat conceſſum, Capitolio ejecit, illudq; ipſe occupavit, tanto populi favore, ut ſolus Rempublicam Romanam, quocunque vellet, flectere potuerit. Prætextus erat libertas, quàm à tyrannide Senatorum, & ab optimatibus nonnullis oppreſſam reſtituere, & antiquum Romani Imperii decus revocare ſe poſſe ajebat: *Bzov*. a. Ch. 1347. S. 1. *Geneb*. p. 702. Idem rebaptizatus graviſſimas minas Papæ intentavit; *S*. 2. & 21. Paulò poſt alius ſurrexit, *Baroncellus*, qui & ipſe in Pontificem fuit invectus; *Bzov*. an. Chr. 1313. S. 1. 2. *Ateſtini*; an. Ch. 1323. S. 6. 3. *Ferrarienſes* an. Ch. 1317. S. 33. 4. *Florentini*, Id. an. 1374. S. 8. 1378. S. 13. 16. 17. & 1387. S. 2. 1377. S. 23. Stell. in Greg. XI. 5. *Piſani*, an. Chr. 1305. S. 4. 6. *Dolonus auximas*, cum *Anconitanis*; an. Chr. 1347. S. 26. 7. Præfectus Vicanus Iohannes, Viterbio occupato, patrimonium Petri vexabat, *Id*. an. Chr. 1312. S. 13.

8. *Malateſta.* & *Ordelaffus*, Foroliviensis tyrannus, a. Ch. 1313. S. 16. 9. *Peruſini* quoque, dominium ſedis Apoſtolicæ detrectabant, *Id.* an. Ch. 1369. S. 6. 10. Turbatur Italia à Vicecomitibus Bernabove, & Galeazio, *Id.* an. Chr. 1325. S. 6, 1371, S. 7. aliisque an. Chr. 1356. S. 21. 1374. Sec. 5. & 1372. S. 1. 1375. S. 3. ubi demiſero Italiæ ſtatu. 11. *Gibellini*, *Bzov.* an. Chr. 1315. S. 4. 1316. S. 4. 1317. S. 11. 1320. S. 4. cumprimis 1321. S. 3. ubi bellum inter Pontificios & Gibellinos recruduit. Fax fuit Petrarcha, de quo an. Chr. 1355. S. 24. Et quanquam Pontificii (ita *Bzov.* appellat, qui Papam tum ſequebantur an. Chr. 1318. S. 3.) Ludovici cumprimis malo, *ſtatum Eccleſiæ miſerrimum* effectum clamitent, *Id.* an. Ch. 1343. S. 2. omnisque adeò culpa laicis imputetur, nunquam tamen audere negabunt, Clerum, ipſumque adeò Papam ſimultatibus apertisque odiis probâſſe, regnum Romano-Pontificium diviſum. Nonne enim

a. *Ipſi in mutua ſævierunt viſcera Papæ?* Tot Anti-Paparum hoc probant conatus. Dogmata etiam & decreta Anteceſſorum refutare parvi pen, debant. *ſtatim atque Pontificatum adeptus eſt* Clemens V. *quo animo erga memoriam Bonifacii afficeretur, declarant. Ex pacto enim antea inito, Philippum in gratiam recepit, omnia que fere ei ex voto conceſſit. Inſuper decreto publice promulgato, teſtatus eſt, ſe non tanto-*

pere

ere honorem Anteceſſoris, quàm regiam ami-itiam curari. Cumque non deeſſent plurimi, qui Bonifacium calumniarentur, quaſi is, editâ illâ famoſâ conſtitutione, unam ſanctam, *in* Regem *Regumq́; Franciæ, plus, quàm par eſſet, juris, ſibi, Romaniſque Pontificibus, vendicaret: cumque alios non puderet fingere, referre & ſcribere, quaſi Bonifacius diademate, & paludamento Imperatorio ornatus, gladioque accinctus, in theatrum prodiiſſet, Imperatoremque ac Pontificem ſupremũ ſeſe nuncupaſſet, & in poteſtate ſua eſſe, regna dare aut auferre, gladiumque pro arbitrio in quemvis ſtringere, dixiſſet: Clemens, ut eo errore ac ſcrupulo Philippum liberaret, eam, quam ſubjungo declarationem, evulgavit, his ipſiſſimis verbis:* Meruit, chariſſimi filii noſtri Philippi, Regis Francorum, illuſtris ſinceræ affectionis ad nos, & Eccleſiam Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt. Meruit inſuper Regnicolarum puritas, ac devotionis ſinceritas, ut tam Regem, quàm Regnum favore benevolo proſequamur. Hinc eſt, quòd nos, Regi & Regno, per definitionem & declarationẽ bonæ memoriæ, Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit. Unam ſanctam, nullũ volumus, vel inten-

intendimus præjudicium generari. Nec, quòd per illam, Rex, Regum & Regnicolæ, prælibati ampliùs ſint Eccleſiæ ſubjecti Romanæ, quàm antea exiſtebant. Sed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu; quo erant ante definitionẽ præfatam; tum quantum ad Eccleſiam, quàm etiam ad Regem, Regnum & Regnicolas ſuperius nominatos. Hæc *Bzov.* an. Ch. 1305. S. 4. Unde & animoſior Rex factus, ipſam etiam memoriam Bonifacii VIII. damnari voluit, *Id.* an. Chr. 1307. S. 3. 1308. S. 1.

b. *Academiæ, & facultates Theologicæ* haud ἀνυπόδιθωνα eſſe Paparum ſcita, ſæpe teſtatum fecerunt, Pragenſis, nimirum, Oxonienſis, Pariſienſis, *Cat. Teſt. Verit.* l. 19. p. 798. 802.

c. *Archiepiſcopi*, quorum nonnulli jugum Pontificiæ juris dictionis planè excuſſerunt, ut Iohannes Vice-comes, Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui & temporale & ſpirituale dominiũ tum Mediolani, tum alibi ſibi deberi, legato Pontificis in faciem dixit; *Onuph.* p. 211. *Bzov.* an. Ch. 1351. S. 1. & *Richardus Armachanus*, quem *Hæreticum* appellat idem an. Chr. 1360. S. 12. *quòd Hierarchicum ordinem pulsâſſet, religioſis mendicantibus infeſtiſſimus eſſet, & publice doceret, inferiores ſacerdotes, abſente Epiſcopo, conſecrare altaria, oleum & chriſma benedicere, conferre ordines, & alia munia Epiſcopalia poſſe obire.* Confer *Bal.* Cent. 444. p. 445 364.

d. Ex

d. Ex *Epiſcopis*, ajunt, Udalricum Auguſtanū fuiſſe Cleri & Eccleſiaſticæ dignitatis ac libertatis adverſarium, qui in literis Iohanni Pontifici à Bavaro ſcriptis, Pontificem beſtiam de mari aſcendentem, appellare non erubuerit; *Bzov.* an. Ch. 1333. S. 9. *Lupoldus Bambergenſis Epiſcopus* ſcripſit contra Pontificem de juribus imperii, an. Ch. 1338. S. 5.

e. Sed & *Theologi*, & *Iuriſconſulti*, & *Poetæ* ſuum huc contulerunt ſymbolum. *Occamus* maximè, de quo ſup. Confer. *Bzov.* an. Ch. 1347. *S.* 36. *Cat. Teſt. Verit.* l. 18. p. 769. *Dantes* Id. p. 770. *Marſilius Patavinus* Id. p. 767. *Iohannes de Ianduno*: Cat. p. 768. *Michaël Ceſenas*: Id. p. 795. *Bzov.* an. Chr. 1330. *S.* 6. pluréſque alii: Vide *Bzov.* an. Ch. 1321. S. 7. & 1330. S. 8. *Bal.* p. 377. 378. 380. *Cat. Teſt. Verit.* l. 18. p. 796. *Avent.* p. 746. & ſup. pag. 727. Toti quin etiam *Monachorum ordines*, Dominicani præſertim & Franciſcani, cum Iohanne 22. *ἄσπονδον* geſſerunt bellum. Et hi quidem pertinaciſſimè. Repete quæ ex Vitodurano deſumſimus ſup. p. 739. *Bzovius*, ut Papam tueretur, *Beghuardorum*, *Bzov.* an. Ch. 1325. S. 8. tantùm manipulum, paupertatē Chriſti aſſeruiſſe, contendit: non Franciſcanos. Sed aliter à Iohanne Vitodurano, ordinis ſocio, edocti ſumus. Ipſe Ceſenas, Minorum Generalis, ita ſenſit, & eum ſecuti Occamus, Bonagratia, Henricus de Chalem, ut ex Pontificis patet bulla, apud eundem an. Chr. 1318. S. 18. Conqueritur *Bzovius*, *Mino-*

res

res contra Eccleſiam inſurrexiſſe, & tum Schiſmati viam aperuiſſe, materiamque miniſtrâſſe, tum hoſtibus ſedis Apoſtolicæ occaſiones non modicas, ſuppeditare cæpiſſe. Pervicaciam iis tribuit, falſa dogmata & blaſphemias. Aſſeruit enim Michael, Antiſtes eorum 1. *quod Imperator poſſet Papam deponere, & depoſitum declarare. 2. quòd Clerus & populus urbis* Ro*mæ, poſſit Papam deponere, & depoſitum declarare. 3. Quòd illud aliàs inauditum facinus, quod adverſus ſanctiſsimum Patrem & Dominum, Dominum Iohannem Papam 22. in urbe prædicta, per aliquos perditionis, & diffidentiæ filios, de facto attentatum extitit, de jure ac legitimè actum fuit. 4. Quod conſtitutiones per* Ro*manum Pontificem, canonicè intrantem editæ, de conſilio ſacri ac fidelis Collegii Dominorum Cardinalium ſunt hæreticæ. 5. Quod obedire illi, cui univerſalis Eccleſia obedit, eſt animam damnare, & ſe hæreticum confiteri*: an. Chr. 1331. S. 2. De *Kupeſciſſano*, quem hæreticum nuncupant, vide an. Ch. 1317. S. 4. *Catal. Teſt. Verit.* l. 18. p. 788.

VII. Reſtat *reliquus Clirus*, cujus libertatem vellicabant 1. *Angli. Bzov.* an. Ch. 1329. S. 25. In *Anglia non par ſacerdotalis dignitatis reverentia.*

tia. Epiſcopus Londinenſis in crimen vocatus periculum adiit: non usque quaque tutus, per Eccleſiaſticam dignitatem juxtà ac immunitatem. Confer an. Ch.1306. S.6. 1343. S.7. 1382. S.19. & 1324. S.20. ſup. p.791. 2. *Galli.* Petrus Cunerius, advocatus Regius, in ſenatu Pariſienſi hoc eodem tempore jurisdictionem temporalem, Eccleſiaſticámq; libertatem infringere conatus eſt. *Id.* a. Ch.1327. S.8. *Bal* p.403.488. ſup. p.787. *Geneb.* pag.695. qui ſe ei magno molimine opponit. 3. *Florentini,* qui, lege lata, omnibus eorum privilegiis derogabant; *Id.* a. Ch.1346. S.19. *Plat.* p.246.b. 4. *Germani,* vide ſup. p.789.791. *Bal.* p.388. 5. *Helvetii,* qui an. Ch.1370. peculiare fecerunt fœdus, contra iniquas ſacerdotum excommunicationes: *Annal. Suev. Cal.* qua de re nos, σὺν Θεῷ, aliàs. 6. *Iohannes Rochetaylanus,* quod aliqua in Clerũ dixiſſet, Pontificis juſſu crematus eſt. *Bal.* pag.376. Orationem oremi in Papam & Cleros vide *Catal. Teſt. Verit.* l.18. pag.779. Et Henrici de Haſſia λόγον ψεκτικὸν, pag.801. De *Monachatu* repeti poſſunt, quæ diximus ſup. pag. 762. quibus addimus 1. *Ne ipſos quidem Pontifices amore ſemper Monachos fuiſſe amplexos.* De Benedicto XII. ſcribit *Bzovius* an Chriſt. 1337. S.10. *quod erga Prædicatores non ita bene affectus, decreverit, ne conciones ad populum promiſcuè haberent, ne pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrarent, ne mendicatu paſſim vi-*

ctum

ctum quærerent, ne in poſterum niſi paucos, quibus alendis redditus certi uniuscujusq; Monaſterii ſatis eſſent, ad religionem admitterent, neve præter deſignandum in quocunque Monaſterio numerum, alios fratres ſuſciperent. Quid Iohannes 22. contra *Franciſcanos* ſubinde tentârit, creperæ ejus teſtantur Bullæ. Vide *Bzov.* an.Ch.1318. S.1. 1330. S.7. cæterorumque gnathonum ejus blanditiæ, quibus authoritatem ejus contra Michaelem Cæſenatem defendere nitebantur. Conſule *Bzov.* an.Chr.1331. Sec.1. Quàm graviter autem in diſſentientes animadverterit, & paupertatem Chriſti & Apoſtolorum aſſerentes multârit, exemplis idem probat an.Chr.1334. S.18. *Manavit iſtud*, inquit, *contemnendi claves exemplum, à nonnullis* Mi*noritanis, quibus illud ſolenne iurgium, de Chriſti &* A*poſtolorum paupertate* Confer *Bal.* pag.397.) *contra* A*poſtolicam ſedem placuerat. Hoc etiam anno (* Rebdorffii *verbis narro) multi de ordine Minorum* Fratres *inceperunt dogmatiſare, & diſputare, de proprio & paupertate Chriſti* (initio jam ante an.Chr.1322. facto: Id. Sec.1.5.1323.S.11.) *& Apoſtolorum, contra diffinitionem, & determinationem Iohannis Papæ XXII. aſſerentes, quòd Papa non potuit revocare conſtitutionem Nicolai Papæ III.*

qua

quæ incipit: Exiit qui ſeminat. de hæret. lib. 6. & de verborum ſignificationibus. *Item, quod Papa e quacunque cauſa, non poſſit delere ordinem Fratrum* Minorum. *Vnde duo Apoſtatæ, prædicti ordinis, capti ſunt, in Monte Peſſulano, unus ſacerdos, alter converſus, & ducti ad Avinionem, & de mandato Innocentii Papæ examinati, confeſsionem ſuam in quodam longo libello, multos circa promiſſa articulos continentes legerunt: publice affirmantes, quod Papa Iohannes prænominatus, & omnes ſucceſſores ſui, nec non ipſe Innocentius Papa, contrarium aſſertioni illorum aſſerentes fuerint, & eſſent hæretici, & perverſi: nec ad quamcumq; dignitatem, vel beneficium Eccleſiaſticum titulum haberent. Propter quod iidem Minores, ſacerdos quidem degradatus, converſus vero habitu ordinis exutus, in præſentia Dom. Papæ traditi ſunt curiæ ſeculari, & infra octavam Pentecoſtes, igne cremati. Hi dum ad ſupplicium irent, alta voce clamabant; Gloria in excelſis Deo: Et dicebatur publice, quod plures profeſsi ordinis illius fuerint traditi curiæ ſeculari, & cremati in Vaſconia, & in Italia propter præmiſſos articulos: quos duo præmiſſi dicebant vere Martyres. Adeo autem*

 de-

dementaverant plurimos, ut non pauci ex illis, qui præſtare ſcientiâ dicebantur, eosdem errores defenderent. Rebdorff in Annal. *Fuere ex illis, qui ſe à reliquo Franciſcanæ religionis corpore diviſerant. Qui ut a reliquis diſtincti agnoſcerentur, temeritate propria quosdam habitus, cum parvis capuciis curtos, ſtrictos, inuſitatos, & ſqualidos aſſumſerunt, quemadmodum ſuperius* 1318. *Ioh.* 22. *depinxerat. In hos avulſos, & in erroribus variis obſtinatos, Innoc. Pontif. hoc anno ſententiam tulit.* Ep. 202. Confer *Avent.* l. 7. pag. 747. 767. Certamina Prælatorum Gallorum cum Monachis recitat author *Catal. Teſt. Verit.* l. 18. pag. 731. Sed & Armachanus Hiberniæ Primas mendicantibus Monachis infenſiſſimus fuit; *Avent.* an. l. 7. pag. 799. *Bzov.* an. Chr. 1360. S. 12. & 1356. S. 18. *Is primum in Anglia, deinde Avinione in publico Cardinalium conventu, multa contra eorum ſtatum evomuit.* Wiclefi mentem ex lib. de Hypocriſi habet *Bal.* p. 475. Plura vide p. 448. 491.

SE-

Sectio VI.

De

ECCLESIA FALSA.

Falſa Eccleſia, vel [a] Judaica eſt; vel Gentilis, vel [b] Antichriſtiana, vel [c] Pſeudochriſtiana.

[a] De qua in Judaiſmo. Dogmata eorum, ex *Petro Alfonſo*, Hiſpano Judæo, ſeculo 12. converſo recenſet *Bzov.* an. Ch. 1319. S. 9. quo & Iohannes Papa decrevit, *ut Talmudici libri conquiſiti exurerentur, & execrandarũ blaſphemiarum convicti caſtigarentur.* Idem tamen ille, cùm pecunia, ut fertur, à Turcarum Satrapis corrupti, Elephantiacis perſuaſiſſent, ut fontes inficerent, eámq; ob cauſam variis ſuppliciis addicti, ſuis potius, quàm Chriſtianorum, manibus mortem oppetere parati eſſent, continuisque deinceps perſecutionibus exagitarentur, *univerſis Chriſtianis perſcripſit, ut Iudæos ab inſolentiis aliorum tuerentur; cum ipſi ſint in teſtimonium Chriſtianæ fidei, quaſi per miraculum ſervati,* Id. an. Ch. 1320. S. 22. Idem præcepit, *ne Iudæos ad fidẽ converſos, vel convertendos, moleſtiâ afficerent in poſſeſſionibus,*

quas ante converſionem vel Catechiſmum poſſediſſent: *Ib.* In Germania tamen contra Hebræos uſurarios animadverti, ex Lege juſſit an. Chr. 1325. S. 19. confer *Naucl.* p. 251. b. Cæterùm, dolendum, non Principes modò, aureis confoſſos telis, Judæorum genti, in ſuæ nationis homines animadvertendi, poteſtatem dediſſe, rationibusque vectigalium præfeciſſe, quod accidiſſe fatetur *Bzov.* an. Ch. 1379. S. 16. ſed ipſum etiam Papam, cædes & ignem contra innocentiſſimos VValdenſes ſpirantem, Judæis patrocinium præſtitiſſe.

[*b*] De qua ſupra.

[*c*] Quo Pontificii referunt 1. *Beguardos*, per inferiorem præſertim Germaniam celebres, quibus ſequentia tribuunt dogmata. a. Credebant hominem poſſe in hac vita beatitudinem ultimam ſibi comparare, eámque ſecundum omnes perfectionis gratus, quibus in cœleſti patria perfruetur. b. Naturam omnem intellectualem eſſe in ſe naturaliter beatam, non autem gratiâ Dei, ullove ſupernaturaliter gloriæ nomine. c. Peccatum quidem eſſe mortiferum, oſculari fœminam, quod natura hominem ad id minimè impellat aut inclinet; nihil tamen eſſe peccati, ſi carnaliter cum ea miſceatur, quòd natura hominem ad id impellat. d. Hominem in ſtatu perfectionis, & in ſpiritu libertatis conſtitutum, nulli humanæ obedientiæ debere ſe ſubjicere.

e. Ho-

e. Hominem ad perfectionis ſtatum appulſum, nec jejunare debere, nec orare. f. Imperfecti eſſe hominis, ſeſe in virtutum actibus exercere, animum hon ſtudio virtutes à ſe abigere cauſantes, homini qui ad ſupremum perfectionis gradum pervenerit, nulla bona opera eſſe facienda. g. Hominem poſſe in hac vita tantam virtutis perfectionem adipiſci, ut peccare omnino nequeat. h. Hominem in hac vita poſſe ad perfectionis gradum ita ſublimem aſcendere, ut amplius non poſſit in gratia proficere. i. Ad Eucharisticam corporis Jeſu Chriſti elevationẽ, neminem debere illi reverentiam exhibere, eò quòd imperfectio eſt, contemplationis altitudine indigna, attendere ad Myſterium humanitatis Jeſu Chriſti,, & ad Euchariſtiæ ſacramentum. Ita de his *Gault.* p.702. *Geneb.* p.692. *Prateol.* Sand. *Geneb.* *Bzov.* an. Ch. 1310. S.12. & 1311. S.10.. ubi puplico Concilio decreto damnatur. Horum duces fuiſſe ſcribit *Gault.* *Iacobum juſtum*, *& Bononatum*, quorum prior Martyres vocavit, qui ſanguine Beguardorum placita confirmâſſent. Iisdem annumerant *Bertholdum de Borbach*, qui Beguardorum erroribus adjecerit, Chriſtum inter tormenta eò uſque relictum fuiſſe, ut de ſalute ſua dubitârit. Revocâſſe tamen dicitur errorem Herbipoli, Paral. *Vrſp.* p.361.

2. *Beguinas*, quæ profitebantur, ſe honeſtè, religioſèque ſimul vivere, nullius tamen voti vinculo ſeſe obligantes, neque ſe facultatibus ſuis

temporalibus abdicantes. Beguardos deniq; ſequentes *Prat.Gault.*703.

3. *Beguinos*, quorum doctrinam his capitibus exprimunt. a. Sibi perſuadebant, eos perfectioni Evangelicæ adverſari, qui aliquid in cõmune habebant. b. Summum Pontificem non diſpenſare in Regula S. Francilci, vel in votis ordinis illius, neq; Fratribus Minoribus poteſtatem facere in alium ordinem migrandi. c. Fratrum Minorum ſtatum perfectiorem eſſe, ſtatu Epiſcoporũ. d. Papam non poſſe in voto ſimplici diſpenſare, ne pro bono quidem pacis, vel nationis alicujus ad fidem convertendi gratiâ. e. Sibi putant Beguini nullam eſſe impoſitam neceſſitatẽ reſpondendi Inquiſitoribus ad eorum interrogata, niſi in articulis fidei & ſacramentorum. *Sander.Gault.*

4. *Lolhardos*, à Walthero Lolhardorum parente denominatos. *Alii* ex Wiclefiſtis (unde, cùm de eorum progreſſu agitur, Wiclefi ſequaces vocantur. *Bzov.*an.Ch.1389.S.9. & 1394. S. 8. cum Wiclefiſtis συνωνύμως ponuntur) originem traxiſſe, *alii* eodem priores eſſe, & jam an. Ch.1315. à *Lolhardo VValthero*, qui an. Chr. 1321. Coloniæ cremabatur, inclaruiſſe volunt. Docuiſſe ferunt a. Luciferum cum aſſeclis injuria è cœlo deturbatum, atque aliquando in Beatitudinem recipiendum. b. Michaelem & Beatos Angelos omnes æternis ſuppliciis deſtinandos. c. B. Virginem à partu virginem eſſe deſiiſſe. d. Fugere divinos oculos, aut minimùm ultrices

manus

manus ea ſcelera, quæ ſub terra perpetrantur, *Prateol. Sand. Geneb. Trith.* & ex iis *Gault.* l. c.

5. *Iohannem de Poliaco*, Doctorẽ Pariſienſẽ, qui Confeſſionem auricularem ſequentibus impugnabat aphoriſmis: a. Fruſtra deponi peccata apud Religioſos mendicantes, & qui facerẽt, manere obligatos ad eadẽ, propriis Curionibus explicãda. b. Quod ſtante Canone *Omnis utriusq;, &c.* neq; Pontifex, neq; ipſe Deus diſpenſare poteſt Parochianum ab annua peccatorum omniũ confeſſione proprio Parocho facienda. c. Non poſſe cuiquam Pontificem, ac ne Deum quidem generalem poteſtatem facere excipiendi Confeſſiones: & qui talia ſacerdoti confeſſus eſſet, teneri ad recitandam denuo proprium Parochum, omnium noxarũ hiſtoriam. *Sander. Prateol. Gault.*

6. *Bartholomaum Ianovezium*, qui publico ſcripto ſequentia defenderit. a. Antichriſtum venturum die Pentecoſtes an. Ch. 1360. (de *Arnoldo* penè ὁμοψήφῳ ſup. p. 925. diximus: Confer *Bzov.* an. Chr. 1310. S. 14. ubi plenius ejus enarrantur dogmata) præcisè. b. Chriſtianos omnes libero arbitrio prædito, ab Antichriſto eſſe pervertendos, conſignandoſque in fronte, aut manu, ea vi, ut converti denuo, & æternam damnationem declinare nullo modo poſſint, quinimò flammis è cœlo miſſis interituri ſint. c. Fore, ut non modò Chriſtianorum infantes, ſed omnes etiam Judæi, Saraceni, aliique cujuscunque ætatis infideles ab Antichriſto aliquando ſe-

ducti, eo tandem extincto ad Chriſtum ſeſe convertant: non autem Chriſtianos, qui jam adulti, te compotes rationis Chriſto adhæſiſſent. *Prat. Gault.*

7. *Turelupinos* ſeu *Cynicos*, qui aſſeruiſſe ſcribuntur. a. Nihil pudere quenquam debere eorum, quæ à natura accepimus. b. Voce non eſſe orandum, ſed ſolo corde, eàque ſpiritus libertate, quæ divinis legibus ſubjecta non ſit. *Prateol. Geneb. Gault.*

8. *Dulcinum* & *Dulciniſtas*, *Gault.* pag. 704. de quibus ſup. p. 643. confer *Bzov.* a. Ch. 1307. S. 9. & 1310. S. 13. *Geneb.* pag. 692. κοινωνίαν Anabaptiſticam, & magiſtratuum contemptum iis abſcribit.

9. *Templarios* Id. ib. Addit tamen: *Hic mihi mens non eſt, diſceptare, ſint ne illis meritò objecta hæc omnia crimina, cùm certo ſciam, multos graves authores in alia eſſe ſententia.* Cur ergo tam audacter Hæreticorum phalangi eos annumerat? Hæccine res tam levis ſit?

10. *Barlaam* & *Acindynus*, quorum error in eo potiſſimùm verſabatur, quòd creata Dei effecta cum increata ejus ſubſtantia confunderent, Eſſentialéſque ejus operationes ad Effecta ejus creata referrent. *Prat. Gault.* Vide ſup.

11. *Michaelem de Ceſena*, & *Guilelmum Oikamum*, quòd pugnâſſent, Jeſum Chriſtum ejus diſcipulos nihil habuiſſe ſuum, neque particulatim, neque

que commune. Vide *Gault.* p.705. & cæteros, quos citat? Confer ſup. p.739.

12. *Magiſtrum Petrum de Cugneriis*, Regis advocatum, qui ob violatam jurisdictionem Eccleſiaſticam, etiam hodie irrideatur, tum in ſimulachro illo informi & ſimo, quod ad angulũ chori B. Mariæ Pariſienſis poſitum, obvius quisque pugnis & cultelis impetit; tum etiam in ejus nominis contemtu, quo utuntur Galli in hominem ſtolidum, quem vulgo vocant *Maiſtre Pierre de Cugner*; *Geneb. Gault.*

13. *Richardum Armachanum*; de quo ſup.

14. *VViclefum & VVicleſiſtas*, quorum dogmata 61. ordine recenſentur à *Gault.* p.707. Compendium vide ſup. p.904. confer *Bzov.* an. Ch. 1396. S.6. ubi etiam miraculis pugnatur contra Wicleſiſtas.

15. *Petrum Iohannem*, cujus errores hoc ordine notantur. 1. Quòd Dei Patris Filius humanum corpus paſſibile, & animam intellectivam ſeu rationalem, ipſum corpus verè, per ſe, & eſſentialiter informantem non aſſumſit. 2. Quòd Dei filio adhuc viventi latus lancea miles perfodit. 3. Quòd anima intellectiva non eſt forma corporis. 4. Quòd baptiſmus non eſt communiter tam parvulis, quàm adultis in baptiſmo gratia & virtutes non conferuntur. Damnatus ſub Clemente V. *Bzov.* an.Ch.1311. S.12.

16. *Manichæos*, etiam aliquos ſuperfuiſſe, hinc

 patet.

patet quod ad Eccleſiam hoc ſeculo rediiſſe obſervet ex Niceph. *Geneb.* p.696.

17. *VValdenſes* hæreticos porrò appellat *Bzov.* an.Chr.1319. S.10. & alibi. *Neque minorem*, inquit, *ſeveritatem Iohannes XXII. in hæreticos VValdenſes, per id temporis repullulantes exercuit, & Principibus caſtigandos tradi voluit.*

De his verò quid habendum ſit, breviter monebimus. I. *VValdenſes, & VVicleſiſtas, cæterosque, qui cum eis faciunt, jam ſæpius vindicabimus.* Eodem privilegio apud Reformatos gaudent omnes illi, quos doctrinæ ſinceritas, & Apoſtolica commendat ſimplicitas. Sint jam aliis Hæretici, Apoſtatæ, Eccleſiæ perturbatores, lupi, nihil æſtimationi eorum & dignitati apud Deum decedit. Jam pridem veteres ſunt conqueſti, quòd ſuo Hæretici nomine alios appellent. Pro reliquis vadimonium non obimus. Rem penſitamus, non perſonas. Unica judicii noſtri lima eſt Scriptura Sacra, qnam quod non ſuſtinet, βδέλυγμα καὶ ἀνάθεμα ἔςω.

II. *Injuriam facit Gaulterus, qui ea per ζυμβίβασιν Reformatis Eccleſiis imputat dogmata, à quibus toto pectore abhorrent.* Beguardorum inſolentiam, & typhum Phariſaicum Calvino improperat, quem nemo animoſius & nervoſius exagitavit. Quid miremur Waldenſes tot monſtroſis infamatos & diffamatos fuiſſe nominibus, cum ne

ne nobis quidem, ſuperſtitibus, & ſexcenties purgatis, clementior aſpiret aura? Cum Arianis, Neſtorianis, Manichæis, aliisque, quibus ἄσπονδον pridem indixerunt bellum, intolerabili parallelismo noſtri paratragœdiantur. Sed οἰστέα τὰ ἐρχενόθεν. Chriſti oraculum eſt, Matth. 5. v. 11. μακάριοί ἐστε. ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς, καὶ διώξωσι, καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ' ὑμῶν, ψευδόμενοι ἕνεκεν ἐμοῦ.

III. *Ipſum ſemper Papatum hæreſium & ſchiſmatum aliorum fuiſſe feraciſſimum.* Non illos hoc loco intelligo, qui abjecto prorſus jugo Pontificio, Hæreticorum nomine veniunt, Orthodoxi interim & verè Catholici: De his loquor, quos ſeculi conſuetudo & tyrannis receptis dogmatibus acquieſcere coëgit, etſi, quòd vel in modo, vel circumſtantiis graviter fuerunt hallucinati, hæreticis eos Scriptores Pontificii annumerârint. Et certè quid aliud à religione tot abſurditatibus referta expectes? Cùm ſpinoſa illa carnificina, auricularis confeſſio, obtruderetur, eam quidem totam convellere nemo facilè ſuſtinebat, ne contra torrentem niti videretur. Variæ tamen mox circa eam motæ & excitatæ quæſtiones, quarum patrocinio multi, in hæreſeos præſentiſſimam incurrerunt ſuſpicionem. Idem de ἀσυστάτῳ illa Transſubſtantiatione tenendũ. Cùm Eccleſię Romanæ, ſeculique conſuetudini tantum multi deferrent, ut abortum hunc lambendo, eundem etiam effinxerint & efformaverint;

rint; nævos nihilominus illius fœtus tam notorios oſtenderunt, ut Catholicorum nomen & axioma planè amiſerint. Non poterant alii videre, manentibus Accidentibus, panis tolli ſubſtantiam. Aliis hæc intacta relinquebantur, durũ tamen videbatur Chriſti Corpus in cloacas, aliáque loca abjecta projici. Hic jam Transſubſtantiationi contradicebatur. Nec alia ratio eſt cæterorum per univerſam Theologiam Papiſticam placitorum: Divortia in iis opinionum penè infinita, indice & teſte ipſo Bellarmino. Vide contract. Doct. Eccleſ. Rom. à *Iohan. Pappo* collectas. Deſinant igitur toties eandem tundere incudem, Anabaptiſtarum, Socinianorum, aliorumque portenta nobis objiciendo. *Sed damnat Eccleſia Romana ingenia iſta deſultoria, & à fide ſua devia?* R. Rejiciunt & noſtri, pridemq; rejecerunt omnes illos, quos invitis iis, & ad ravim reclamantibus, obtrudunt. Quis majori cum conceſſu & Anabaptiſtas, & cæteros heterodoxos debellavit, quàm Eccleſiæ noſtræ, & tamen hi fœtus illis opponuntur. Sed de his alibi. Vide P. 1. *Hiſt. Eccleſ.* pag. 51.

IN-

INDEX I.

Continens

A.

Epitomen totius Hiſtoriæ Chriſtianæ, à Seculo XII. ad XV.

SECULO XII. conſideramus A. *naturam*, quę oſtendit 1. Cometas, 2. Terræ motus, pag. 2. 3. Eclipſeis Solis, 4. Exiccationes fluminum & maris, p. 3. 5. Varias lunæ affectiones, 6. aquarum inundationes, 7. φάσεις p. 4. 8. Grandines inuſitatas, 9. glaciem inſolitam, pag. 5. 10. ſtellas cadentes, 11. Famem, peſtem, pag. 6. aliaque prodigia, pag. 6. de quibus Aventinus; Ib. & Urſpergenſis, p. 7.

B. *Politiam*, ubi I. *Regimen Orientis*, cujus Præſules a. Johannes Comnenus, b. Manuel Comnenus, c. Alexius II. cognomento Porphyrogenitus. d. Andronicus. e, Iſaacus II. cogn. Angelus, p. 9. II. *Occidentis*, cujus Imperatores a. Henricus IV. b. Henricus V. p. 10. c. Lotharius Saxo. d. Conradus III. p. 11. e. Fridericus Barbaroſſa, p. 12. f. Henricus VI. cogn. Aſper. p. 14.

C. *Eccleſiam* I. *Orientem*: ubi in genere notandum, eam graviter à Saracenis fuiſſe vexatam, teſte

teſte *Matth. Par.* p.15. & *Nicet. Chroniat.* p.16. In ſpecie verò A. Græcos a. nimium fuiſſe addictos ſuperſtitionibus, nempe 1. adorationi imaginũ, p.20. quam miraculis defenderunt, p.22. 2. Cultui ſanctorum, p.23. 3. Monachatui, pag.24. qui tamen ἰδιοκτημοσύνῃ & πολυπραγμοσύνῃ infamis erat, p.25. & ipſa Monaſteria in carceres degenerârunt, p.30. b. In Imperatoribus alii notabant ἀλλοτριοεπισκοπίαν, p.31. tum in vocatione Eccleſiaſtica, ib. tum in curioſis diſputationibus, p.36. ut eſt controverſia de filii ἰσοτιμίᾳ. & Muhammedanorum Deo *Azzammado.* ſeu ὁλοσφύρῳ, pag.41. Aliis deſidiam, p.46. alii tyrannicas conſuetudines, ib. nonnullis atheiſmum exprobrabant, p.47. c. Ex proceribus non nemo ad Muhammedanos tranſiit, ibid. d. Plebs & milites profani, p.50. Magiæque dediti, ib. e. Duravit odium inter Latinos & Græcos. Unde querelæ Latinorum, p.59. & Græcorum, p.60. f. Habuit tamen Græcia viros aliquot doctos, Balſamonem, pag.62. Euſtathium, ib. aliosque p.63. B. In *Syriacis* & *Arabicis* Eccleſiis Latinos aliquot religionis ſuæ habuiſſe Epiſcopos, p.63. Neſtorianos tamen & Jacobitas Ægyptum Patriarchis penè rexiſſe, 64. & deinc.

II. *Occidentalem*, quæ & ipſa afflicta fuit, teſte *Vrſpergenſi*, pag.67. In *Schola* enim habemus a. Petri Lombardi Theologiam ſcholaſticam, pag. 73. ipſi aliquandiu Pontifici ſuſpectam, p.74. & à Pontificiis exploſam, 76. de qua certis ætatibus

tibus abſoluta, p.80. videatur judicium noſtrũ, p.77. b. Jus civile ab Imperatoribus reſtitutum, p.87. Juri Canonico à Gratiano collecto, pag.88. cedere cogitur, pag.89. c. Studia Arabum à quibusdam Anglis excoluntur, 90. ſacra eorum, deteguntur, 91. fontes tamen Græci deſeruntur p.92. & Theologia Chriſtiana Arabum ſpinis vexatur, pag.95. d. Philoſophia, ſectis diſtracta, Theologiæ dominari cepit, pag.96. e. Philologia apud paucos quosdam Anglos in honore eſſe cæpit, p.97.

In *Monachatu* occurrunt a. novi ordines; 1. Hoſpitalis S. Johannis Baptiſtæ, p.98. 2. Dominicanorum, 3. Fratrum Domus S. Trinitatis. 4. Mendicantium Auguſtinenſium. 5. Templariorum, pag.99. 6. Carmelitarum. 7. Humiliatorum. 8. Præmonſtratenſium, p.100. 9. Marianorum, 101. 10. Gilbertinorũ, p.102. b. novæ eorum ſuperſtitiones, ib. c. Artes emungendi pecunias & graſſandi ad honores, p.103. Fuerunt tamen aliquot viri boni & eruditi in clauſtris, Bernardus, Petrus Cuniacenſis, Bernhardus Cluniacenſis, Rupertus Tuitienſis, Petrus Pariſienſis, Theodoricus, Hugo S. Victoris, Richardus de S. Victore, & plures alii 114. & deinc. qui meliori digni ævo cenſentur, Bernhardus cumprimis Clarevallenſis, de cujus vita & ſcriptis prolixè, p.109. & deinc.

In ipſa *Eccleſia*, fatebantur multi, Antichriſtum advениſſe, pag.127. inducti, ſine dubio, tot prodi-

prodigiis, pag.240. aliisque κεματηεjοις, diſſidiis, cæterisque, tum in Doctoribus, tum in doctrina obſervatis nævis.

Diſſidia notantur 1. propter ſedem Romanã, p.129. 2.propter inveſtiturãp.134.in Germania Ib. & Anglia,p.144. Gallia & Hungaria,p.144. 3.propter jus eligendi Conſules Romanos,pag. 145. 4.propter electionem Imperatorũ, p.147. 5.propter bona Eccleſiaſtica,p.153. In *Doctoribus* reprehendebatur a.ambitio 154.b.Ingeniũ Martiale,p.163. c.Vita diſſoluta, 176. d.Avaritia, 167. e.Simonia,167. f.Inhabilis ætas,Ib. g.Ingratitudo,169. In *Doctrina* verò ipſa, Heterodoxia deprehendebatur & veterum contemtus. Nam 1.Judicium controverſiarum ſoli deferebatur Papæ,174. qui tamen hæreſeos publice inſimulabatur, Ibid. 2. Miracula authoritati ſcripturæ opponebantur,177. 3.Conciliis adempta fuit a. libertas,179. b. Majeſtas,Ib. 4. In cultu ſacro crevit a. invocatio ſanctorum,180. Canoniſationibus aucta. Ib. b. Reliquiarum veneratio, 181. 5. Peccati natura non perſpecta ſatis fuit,185. 6.Juſtificationis articulus labefactabatur a.Satisfactionibus humanis,186. b.Indulgentiis,Ib. c.Purgatorio,187. d.Monachorum Σκληραγωγία,ib. 7.Miniſtris ademta fuit 1. libertas vocationis,188. 2.Conjugium,ib. *Objectio* hæc vitia tantùm perſonarum ſunt pleraque; non doctrinæ,p.189. Reſp. ib.

SECULUM XIII. quo proponimus A. *Naturam*

turam, ubi a. Terræmotus, 308. b. Cometæ, 309. c. Eluvies, 310. d. Rupturæ montiũ, Ib. e. Monſtra, Ib. Pluraque alia, quæ diligentiſſimè conſignavit *Matthæus Paris*, in cujus Hiſtoria occurrunt a. Inauditæ pluviarũ inundationes, p. 404. 466. 732. 790. b. Diluvia maris, & aquarum eluvies, pag. 716. 784. 785. c. Monſtra & partus præternaturales, pag. 733. 734. d. Inſolita maris inflatio, 764. e. Terræmotus, p. 692. 767. 716. 721. f. Peregrinæ aves, p. 789. g. Tempeſtates, 792. 795. 569. 570. confer. Bal. p. 273. h. Peſtis hominum, 294. 707. Naucl. p. 219. a. Bal. 314. & pecudum; Par. 811. i. Fames, 815. 816. 817. 818. k. Intenſus æſtatis calor & ariditas, pag. 809. 810. l. Sterilitas terræ, 845. m. Eclipſis, p. 206. 466. 467. 468. n. Cometa, 475. 501. Urſp. pag. 334. Naucl. p. 227. o. Aëris variæ affectiones. Vide 503. 797. 798. ubi melos in aëre auditum. p. Inſolita fulgura, p. 889. q. Pluviæ ſanguinis Urſp. p. 332. r. Varia incendia, Par. 718. s. Ventorum ſumma importunitas, 416. 419. 427. 465. t. Rivi inſoliti, 463. u. Prodigioſa piſcium pugna in mari, 523. x. Stellarum caſus de cœlo, 575. y. Maris receſsûs per tres menſes cohibitio, 686. z. Varia in cœlo portenta & apparitiones, 284. 466. 413. aa. Variæ faſcinationes. Exemplum habet p. 224. quod idem planè videtur cum illo, cujus in Muhammediſmo meminimus, p. 495. ex *Faſcic. temp.*

B. *Imperium I. Orientis*, ubi a. procerum ini-

quitas,312. rapacitas, Ib. luxus,pag.313. ſtudium commodi privati, Ib. b. Comnenorum præpoſtera dominandi libido, ib. comeſſationes, 314. auguria,315. c. Via Latinis ſternitur Conſtantinopolin expugnandi, 316. Regnum ad ſe transferendi,318, & aliquandiu retinendi,319. II Occidentis, qui præerant a. Philippus Barbaroſſæ filius. b.Otho IV. c.Fridericus II. d.Rudolphus Habſpurgicus, qui poſt interregnum ſucceſſit, p.322. e. Adolfus, Naſſoviæ comes, 324. f. Albertus,324.

C. *Eccleſiam* I. *Orientalem*, tum *Antiochenam*, Alexandrinam, Hieroſolymitanam, p.325. tum *Græcam*, de qua notandum a. Græcorum & Latinorum divortia, continuâſſe, 326. b.Moribus & pravis Paparum legibus Græcos exacerbatos fuiſſe, p.328. c.In dogmatibus etiam pleriſque Græcos à Latinis abiiſſe, 329. quod ex Nilo *κατὰ μέρη* probatur, Ib. & deinc.

II. *Occidentalem*, cujus examine *generali*, querelas proponimus Pontificiorum de exulcerato Eccleſiæ ſtatu,339. *Speciali* percurrimus A. ſtatũ *Scholaſticum*, ubi, a. Academiarum & Scholarũ augmenta,342. b. Studia Philoſophica,343. Medica,345. Juridica,345. Theologica, Ib. Linguarum,350. quorum omnium & diverſus ſcopus fuit, & diverſus ſucceſſus, 351. B. *Monachatum*, qui a. auctus quidem eſt privilegiis,357. b. Novis ordinibus, Cœleſtinorum, Franciſcanorum, 360. Fratrum de pœnitentia, Saccatorum, Flagellan-

gellantium, Servorum Mariæ, Montis Dei, 362. Sed intolerabilis tum moribus & inſolitis conatibus, quibus 1. Concionibus habendis, Confeſſionibusque audiendis adhibebantur, Ib. 2. Importunè divitiis & honoribus inhiabant, 362. 3. Luxuria, 367. contentionis ſtudio, 368. argentangina, 371, 372. infames erant; tum doctrina etiam ipſa, 373. C. *Eccleſiam* in ſpecie, cujus ſtatus erat triſtiſſimus, p. 377. *Caput* enim languidum fuit, ratione, a. electionis, 380. b. regiminis, 382. vitæ, 393. & deinceps. Reliqua *membra* Cleri morbida. Occurrit enim a. avaritia, 419. b. Negligentia, ib. c. Superbia, 421. d. Luxuria, 422. e. Tyrannis p. 426. f. Luſus, ib. g. Beneficiorum pluralitas p. 430. h. πολυπραγμοσύνη, 431. i. Diſſidia & rixæ, ib. k. Scandaloſa vita 432. *Doctrina* à multis quidem ſincerè fuit tradita, 433. ſed publicè & praxi miſerè corrupta. Peccatum enim eſt, circa Scripturam, 439. cui miracula ſemper opponebantur, ib. ad. pag. 472. Cultum Dei, 472. Sacramenta, 477. Magiſtratum, ib. Juſtificationem, 478.

SECULUM XIV. quo tractamus I. curſum *naturæ*, ubi, a. Fames, 638. b. beſtis, 639. c. Terræ motus, 642. d. Varii & inſoliti morbi, ibid. e. Monſtroſi partus, ib. f. Chaſmata, Cometæ, 643. g. Eluvies aquarum, 645. h. Grandines, 647. i. Locuſtæ, 648.

II. *Regimen* A. *Orientale*. cujus Imperatores a. Andronicus II. b. Andronicus III. c. Iohañes III.

Palæologus. d. Manuel Palæologus, 650. Atque hoc tempore Turcicæ Tyrannidi via fuit ſtrata Græco potiendi Imperio, 651. B. *Occidentale*, cui præerant a. Henricus VII. 653. b. Ludovicus V. 655. c. Carolus IV. 656. d. Wenceslaus p. 657. e. Robertus Palatinus, p. 658. ſubjicitur compendium Tragœdiæ Cæſareo-Pontificiæ ex Vitodurano, p. 658.

III. *Eccleſiam* A. *Græcam*, quæ 1. in Schiſmate perſtitit. 2. Papæ primatum oppugnavit, 671. Adverſa tamen preſſi fortunâ, 680. Papæ de unione ſoliciti, 681. gratificari voluerunt, 681. Erant tamen inter Græcos non pauci eruditi, præſertim a. Barlaamus, 685. b. Georgius Pachymeres, ib. Nicephorus Calliſtus & Gregoras, 686. qui Scholaſticis delectati quæſtionibus, ib. Monachatui inſuper, p. 687. & ſuperſtitionibus avitis, ib. vixerunt addicti: non condemnendis interim apud eos orthodoxiæ relictis veſtigiis, 689.

B. *Latinam*, ubi I. de Scholis ſeu Academiis novis, 696. & Bibliothecis, 696. præclaris ſeculi hujus ingeniis, 691. ſtudio Philoſophiæ Lullianæ, ib. Logicæ. 704. Theologiæ Practicæ, 707. Scholaſticæ, 709. Juris, 713. Medicinæ, p. 717. Latinæ & Græcæ Linguarum, 719. Academicorum inſolentia, 721. odio in literatos quosdam Papo-Maſtigas 727. & excitatis, propter Decreta, in Scholis diſſidiis ib.

II. De *Monachatu*, ubi occurrunt ejus, tum incre-

incrementa per a. milites Jeſu Chriſti. b. Ordinem Salvatoris. c. Ordinem militum D. Georgii. d. Monachalium Catharinæ. e. Ieſuitarum. f. Alborum. g. Peregrinantium. h. Hieronymianorum. i. Canonicorum Regularium S. Salvatoris, 737. 738. tum decrementa & perſecutiones, Templariorum cumprimis, p. 739. quos tamen multi excuſant, 741. tum etiam profana Monachorum mens, cujus ſpecimen in Regicidio Henrici 741. & deinc. ex *Vitodur*. Unde tot de iis Pontificiorum querelæ, 753.

III. De *Eccleſia*: In qua alia Pontificii ipſi deſiderant, p. 754. alia reformati; 787. *Pontificii* in A. *Pontificibus* reprehendunt a. inconſultas excommunicationes. b. πολυπραγμοσύνην. c. Sedis translationem, 755. d. Novitatis ſtudiũ, 757. e. Pruritum edendi decreta, 758. f. Schiſmata, Ib. g. Diſſidia, 764. h. Bellum Cæſareo-Pontificium, 766. i. Simoniam 769. k. Impietatem, crudelitatem, 721, B. in *Clero* a. Simoniam, 774. b. Ignaviam, ib. c. Ambitionem & ſuperbiã, ib. d. Tyrannidẽ, 776. e. πολυπραγμοσύνην, 777. f. Obedientiæ debitæ denegationem, 779. C. In *univerſa Republica* obſervant ſummam confuſionem, 783. Unde ancipites & ſuſpenſi hominum animi, & varia de ſtatu hoc judicia, 784. *Reformati* verò accuſant hoc ſeculum A. *Idololatria*, cujus ſpecies a. ἀρτολατρεία. b. μαριολατρεία, 788. c. ἁγιολατρεία ἀποθεώσει frequenti aucta, 790. d. εἰδωλολατρεία. e. λειψανολατρεία, de qua

prolixè, 793. B. *Tyrannidis* ſpiritualis, 794. 796. & corporalis, 895. C. *Magia* 804. quorum errorum fulcra erant a. Indulgentiæ, b. Metus excommunicationis, ib. c. Miracula 805. de quibus quædam monita ſubjiciuntur.

B.

Compendium Hiſtoriæ Muhammedicæ.

SECULO XII. proponimus I. *Religionem*, quæ & Practicis Muſelmannorum excolebatur exercitiis, a. precibus, b. Eleemoſynis, c. Cura pro defunctis, d. Præliis pro Islamiſmo &c. 194. 195. & procerum propagabatur exemplo, 196.

II. *Academias*, quibus multum profuit Principum erga literas & literatos amor, 197. Unde ſtudia floruerunt Aſtronomica, Medica, & Philoſophica, 198.

III. *Curiam*, ubi A. *Chalifa*, a. Ahmedus Abulabaſus, Muſtadirus billa, b. Fadlus Abu Manſor Moſtarſchedus billah, 209. c. Manſor Abugiafar Raſchiidus billah, 200. d. Muhammed Moctafa biamrilla, 201. e. Joſeph Abul Mutſer, Moſtanghed billa, ib. f. Abu Muhammed Moſtada benurillah. g. Nazirus, 202. B. *Reguli* I. Ægypti. a. Amirus, ib. b. Abu Majmon Abdol mach-

machbar, 203. c. Taferus billah, Ib. d. Faizus 205. e. Atedus ledinillah. f. Aſededdinus, 207. g. Joſephus Zelacheddinus, 207. II. *Bagdadi*, a. Muhammed Gajiattodinus, 208. b. Mahmudus. c. David. ib. d. Melicſchiahus, 209. III. *Halebi*, a. Tagjuddaula. b. Lulus. c. Bulgarus. d. Malecus. e. Soliman. f. Acſacar. g. Raſcæus. h. Fazailus, 210. i. Atabacus Zikæus. k. Mahmudus Nureddinus, 211. IV. *Damaſci* a. Atabacus Tagtecinus. b. Buræus. c. Iſmael Schamſcholmelicus, 212. d. Schiahaboddinus. e. Bahramſchah. f. Muhammed Gemaleddinus, 213. g. Orthaka. h. Azzoddinus. i. Joſephus Zelacheddinus.

C. *Veziri* a. Janeſus. b. Jahia. c. Talajus. d. Rozzaichus. e. Zorgamus. f. Alededdinus, 214. g. Joſephus Zelacheddinus.

D. *Mutatio* regiminis & familiarium. Nam a. Rediit vocatio Abbaſidarum in Ægypto. 214. b. Atabacæi caput efferunt. c. Iobitæ proſperos habent ſucceſſus, ib. Salghucidæ ad metam properant, 215. e. Proceres nonnulli à ſubditis opprimuntur, 216. V. *Militiam*, tum ſacram, (de ejus fautoribus & ſucceſſu, 227) deſcriptam ex Europæis, 216. & Arabibus 222. tum domeſticam ſeu inteſtinam inter ipſos Sultanos, 225. Scandalum à Chriſtianis Arabibus datum, 232.

SECULO XIII. Habemus A. *Politiam*, & in ea I. *Chalifas* a. Nazirum. b. Tahirum billah. c. Moſtanzirum billah. d. Moſtazemum billah, 481. & ſequentes Tartaros, de quibus in ge-

nere, pag.487. II. *Reges* Ægypti, a. Azizum, poſt cujus mortem regnum fuit diviſum, 485.

B. *Mesgidam* & Scholam, ubi ſacra Muhammedica defenduntur, 487. ab aliis obtruduntur, Ib. à Monachis non paucis refutantur, 488.

C. *Militiam*, ubi 1. Bella inter Chriſtianos & Muhammedanos enarrantur, 490. 2. Quædam inde poriſmata neceſſaria & utilia colliguntur, 492. a. Magnam Pontificum Romanorum hoc adhuc ſeculo pro continuatione belli ſacri fuiſſe curam, Ib. b. Nec paucos eum fuiſſe ſecutos, 493. c. Multa Cleri ſcelera ſub hoc prætextu fuiſſe palliata, 495. d. Felicibus in Oriente ſucceſſibus obſtitiſſe Chriſtianorũ diſcordiam, 497. e. Chriſtianos victores nimiùm ſæviiſſe, 498. f. Perfidia, fraudibus, & Idololatria Muſelmannos fuiſſe offenſos, 501. g. Belli ſacri infelicem fuiſſe exitum, 504. h. Variis tamen Muhammedanos hoc ſeculo calamitatibus preſſos fuiſſe, 506. bellis inteſtinis, ib. invaſionibus Tartarorum, ib. & Hiſpanorum armis victricibus, 507.

SECULO XIV. Monemus I. *Turcas* emerſiſſe per *Ottomanidas*, quorum a. Othman, fil. Otrogoruli, 825. b. Orchanes, Ib. c. Solimanus. d. Moradus, quem Amurathem vocant, p. 826. e. Childrin Bajazeth, (ſeu, ut in Tamerlanis hiſtoria Arabica ſcribitur, Ildrim Bajazed) Ibid. II. *Tartaros* graſſari perrexiſſe, duce Timurlango, cujus brevis προσωπογραφία ſubjicitur, pag. 831. III. *Europæos* Arabibus maſculè reſtitiſſe, & aliquot præ-

prælilis ſuperiores extitiſſe, 834. Unde deſiderium reſtaurandi bellum ſacrum rediit, à Pontificibus ſuſtentatum decimis, indulgentiis, 837. ſed ſine ſucceſſu, 846. IV. Et Latinos & Græcos in *converſionem* Saracenorum incubuiſſe, 843. V. Muhammedanos *ſacrorum* ſuorum *tenaces* fuiſſe, Arabes cumprimis, 848. Turcas, Ibid. Tartaros, 850. de Chriſtianis ad ſe pertrahendis ſolicitos, 851. Paucis exceptis, qui vel Chriſtianis acceſſerunt, 853. vel iiſdem faverunt, 854.

C.

Compendium Gentiliſmi.

SECULO XII. occurrit *converſio* a. Pomeranorum. b. Livonum. c. VVandalorum. d. Rugianorum. e. Norvvegorum. f. Finlandorum, ſed magnis ſuperſtitionibus corrupta, 236. 237.

SECULO XIII. Poruſſorum, Iazygum, & Tartarorum, 510. quorum tamen conſtantia turbato Eccleſiæ ſtatu impedita fuit, 515.

SECULO XIV. Lithuanorum, de quorum ſacris pag. 858. Impedimentis item converſionis Gentium agitur. 757.

D.

Compendium Iudaiſmi.

SECULO XII. Examinamus I. *Politiam*. ubi a. Defectus Regum ex propria confeſſione, 238. b. Perſecutiones contra eos excitatæ, 239. c. Va-

na jactantia de *αὐτονομίᾳ* Judæorum, 241. & magno Chriſtianorum in eos favore, 242.

II. *Religionem*. Ubi A. *Judaiſmus*, pro quo alii mortem ſubeunt, 244. alii de novo illi accedunt, ib. B. *Samaritaniſmus*, ib. C. *Karraiſmus*, 245. D. *Diſputatio* inter Karræos & Phariſæos de veritate religionis, 246. cujus applicatio adverſus Reformatos Genebrardo prolixè eripitur, 246. E. *Hiſtoria* David Eldavid, Pſeudo-Meſſiæ, 251. F. *Converſio* quorundam ad Chriſtianiſmum, 252.

III. *Accademias*, 253. ubi 1. de ordine dignitatum Judaicarum, ib. 2. Studio Talmudico ab aliis exculto, 254. ab aliis contemto, ib. 3. De Theologis eorum Exegeticis, ib. Polemicis, 256. Talmudicis, ib. Cabbaliſtis, 257. Philoſophis, Ethicis, Aſtronomis, Poetis, ib. Hiſtoricis, Lexicographis, Medicis, Grammaticis, aliisq; viris eruditis, 258. 4. De ſtudio Linguarū exoticarū, 257. Tranſlationibus item librorum peregrinorum, Arabicorum cumprimis, in Linguam Hebræam, & ſtudio augendi Bibliothecas, 261. 5. De acerbis Doctorum odiis & inteſtinis diſſidiis, ib. ubi de lite propter More hannevochim excitata.

SECULO XIII. Siſtimus Judaiſmi I. *Politiam*. Ubi a. crebra exilia, 516. b. Direptiones vulgi, 518. c. Supplicia mortis, 519. tū propter intolerabiles uſuras, ib. tū propter fraudes & infanticidia, 520. Invidiam item & perfidiam ſeu conſpirationem cum Tartaris, 524. d. Tolerantia quibusdam in locis, 527. e. Favor, quo Chriſtianorum Principes eos ſunt amplexi, ib. II. *Re-*

II. *Religionem*, cui mordicus nonnulli adhærebant, 529. Eamque miraculis, 531. martyriis, 535. ſanctitatis ſchemate ſuperſtitioſa, 536. diſputationibusque defendebant. Chriſtiani interim & Talmudica ſcripta aboleri, & Judæos converti volebant. 537. Unde non pauci veteri errori renunciârunt, 539. Quo referunt *Lyranum* & *Ioſephum* illum, cujus fabula prolixè narratur ex *Matth. Par.* 540.

III. *Studia* Biblica, Talmudica, Kabbaliſtica, Medica, Mathematica & linguarum, 544. Interdictum Philoſophiæ exercendæ oppoſitum, 546. Exemplum Apoſtatæ cujusdam Sadducæi, 547.

SECULO XIV. Exhibemus 1. *Odium* Judæorũ in Chriſtianos, variáque eorum ſcelera, 861. 2. *Exilia* & ſupplicia tum à Chriſtianis, ib. tum etiam Judæis, 874. conſignata. 3. *Benevolentiam* Judæis demonſtratã à Papa, 778. Epiſcopis, 879. Imperatoribus, Regibus & Principibus, 881. 4. *Proſelytos* quosdam Chriſtianos, 883. Judæorũ diſputationes, miracula, martyria, 885. 6. Exemplum Apoſtatæ cujusdam Monachi, 886. 7. Studia Theologica & Philoſophica, 886.

E.

Compendium Συμβιβάσεων.

SECULO XII. Demonſtratur, non novitatis poſtulandam eſſe Eccleſiam Reformatam, quòd A. vel *Pontificem* aſpernatur; vel primatum

ejus tollit; vel decreta ejus contemnit; cum id ipſum plures alii fecerint, 265. B. *Dogmata* ejus rejicit, cùm exemplo nitatur pluriũ, 269. C. *Externam* ejus *Communionem* deſerit, cùm præiverint Waldenſes & Albigenſes, de quorum origine, doctrina & moribus prolixè agitur, 278. Vindicantur à putidis calumniis, quibus onerantur, tum ipſi, p. 296. tum *Henriciani*, 300. tum alii *Antipapiſtæ*, ſeu Schiſmatici, 302. Ubi de Antipapis, & quàm ſit difficile eos diſcernere, 301.

SECULO XIII. Proponitur I. *VValdenſium* a. propagatio in Germania, 549. Italia, Gallia, 550. b. Fautores eorum, & varii contra eos Pontificiorum conatus. Ubi de *Inquiſitione*, in eos primùm inſtituta, ejusque crudelitate, 552. c. Miraculoſa eorum conſervatio, 476. d. Calumniæ & convitia, 577. e. Aſſeclæ eorum, 577.

II. Diſſenſus *Græcorum* 579.

III. Doctrinæ Pontificiæ *oppugnatio*, ab iis etiam, qui Ecclesiæ Romanæ externa membra erant, 583. de Scriptura, Ib. Sacerdotum conjugio, 584. Invocatione Sanctorum, 585. Papa, ejus tyrannide &c. 586. cui ſe opponebant a. Romani, ib. b. Angli, 589. c. Galli, 592. d. Germani, 594 Alii aperto eum Marte oppugnabant, 600. Alii hæreticum eum, & Antichriſtũ pronunciabant, 601. Alii throno indignũ Papali eũ judicabant, p. 609. Alii fraudes ejus notabant, 611. Alii inveſtituræ jus contra eum defendebant, 615. Alii cenſus denegabant, 617. Ita reliquus Clerus 1.

Ex-

Excommunicationis fulmina fruſtra vibrabat, ib. 2. Magiſtratibus Politicis parere jubebatur, 618. 3. A laicis exagitabatur, 620.

SECULO XIV. oſtenditur I. ſucceſſus a. *VValdenſium* in Germania, Sicilia, Gallia, 889. b. Continuatio, convitiorum, Decretorum, Inquiſitionis contra eos, 890. c. Ortus *VViclefi* & *VVicleſiſtarum*, 892. *Huſsi* item 901. & *Huſsitarum*.

II. *Harmonia* Eccleſiæ Reformatæ cum quibusdam hujus ſeculi Doctoribus, in loco a. de Scriptura. b. Cultu Sanctorum, 908. c. Superſtitioſa dierum feſtorum obſervatione, & itineribus religioſis, 910. d. Imaginibus, ib. e. Miſſa, 611. f. Juſtificatione, 912. g. Conjugio Clericorum, 916. h. Papa, & Eccleſia Romana, ib. cui ſe ſemper oppoſuerunt Imperatores, 933. Reges, 934. Duces, Principes, &c. 937. Clerici ipſi, 940. De Clero. 942.

F.

Compendium falſæ Eccleſiæ.

SECULO XII. Eſt Eccleſia Antichriſtiana, Pſeudo-chriſtiana, Gentilis & Judaica, 307.

SECULO XIII. Eadem; ubi ex occaſione Judaicæ, quædam de R. Meir, Apoſtatis, & eorum Anabaptiſmo, 626. Item de Pſeudochriſtianis quibusdam, ita à Pontificiis appellatis, ſed vindicatis, 629. 634.

SECULUM XIV. Eadem prorſus Methodo pertractatur.

INDEX II.

Alphabeticus.

Numerus prior Seculum, poſterior paginam denotat.

A.

Aben Eſra Doct. Jud. exegeticus, vixit 12.256

Academia.

Viennenſis, Patavina, Neapolitana 13.342

Aureliana. Piſana, Heidelbergenſis, Colonienſis 14.697, Erfordienſis 698, Cracovienſis 699, Pragenſis 700, Ferrarienſis, Viennenſis, Oxonienſis.

Academicorum inſolentia Papæ & Cleri immoderatis privilegiis fuit ſuſtentata. 14.721

Acyndinus Pſeudochriſtianus. 14.953

Agni Dei cerei a Papa Græcis oblati ab eisdem rejiciuntur. 14.795

Albertus Magnus, Theol. ſcholaſt. vixit 12. 84

Albigenſes. Sic dicti fuêre Waldenſes. De quibus vid. lit. VV.

Alborum Monachorũ ordo inſtituitur. 14.737

Alcoranus in ſermonẽ Latinum verſus à Roberto Ketenenſi. 12. 91

Alkahira ab Armenio quodã occupatur. 12.203

Alma-

Almaricus, Doct. Pariſienſis à Pontificiis refertur in numerum hæreticorum. 13.629
Almericus Hieroſolymita. Rex conſtituitur, 12. 220
Alphonſus Hiſpaniæ Rex Mathematicā excoluit.
Ambitionis ſtudium turbat Eccleſias Occidentales. 154. Orientales. 162
Antipapæ monſtra vocantur à Baronio. 169
Antichriſtus. Hujus adventum inſtare, palàm multi confeſſi ſunt 12. 126
Adventum ejus anteceſſerunt varia prodigia, atque diſſidia. 12.128
Antichriſtum jam veniſſe, & ſedem Romæ fixiſſe multi fatebantur. 12.274
Ἀποθεώσεως, ſeu Canoniſationis ſanctorū aliquot exempla. 14.790
Aquarum exiccationes, 12. 3. eluvies. 13.310. 14. 645.646. inundationes, 12. 4.14.647
Arabum lingua & ſtudia ... ab aliis, tum ab Angli... inprimis excoluntur, 12. 90
Eorum Academiæ floren... 12. 197
Armlåð. Ita vocabatur ruſticus quidam Alſatus perſecutor inſignis Judæorum. 14.871
Aaron, inſignis Magus, 12. 50
Aſtrologia judiciaria à multis uſurpatur. 12.52
Aſtronomia, excolitur à Muhammedanis, 12. 198
Multi hac abutebantur, 12. 50 51
Averrois. De verſionibus ejus judicium Lud. Vivis. 90.91.92.93
Azo, J. C. floruit 13.346
Azzamada, Deus eſt Muhammedanorum. 45

B.

Balduini I. II. III. bellum ſacrum continuant, 12. 217

Balduinus, Flandriæ Comes, Conſtantinopolim expugnat, & Imp. Orient. in ſe atq; ſocios Latinos transfert. 12. 316
Balſamon, J. C. & Theologus Græcus, floret 12. 62. 63
Barlaam, Monachus, floruit 12. 671
Bartholomæus Ianovezius, à Pontifice refertur in numerum Pſeudo-chriſtianorum. 14. 947
Baſilacius, vates vanus & fatuus vixit 12. 58
Beguardi, in Pſeudo-chriſtianorum numerum referuntur à Pontificiis. 14. 949
Beguinæ, & Beguini, in eundem referuntur numerum. 14. 950. 951
Bellum Sacrum.
Continuatur. 12. 217
Chriſtianorum in hoc victoriæ. 12. 222
eorundem clades. ibid.
à Papis fuit imperatum. 12. 227
exactionibus & ſatisfactionibus Papiſticis fuit ſuſtentatum. 12. 228. 229
Prima ſeculi 12. parte, feliciter fuit geſtum, poſtea verò Chriſtianorũ culpa infelix redditum. 230. 231
Continuatio hujus belli magnæ Pontificibus Romanis curæ eſt. 13. 492
Neq; defuerunt qui Pontificem ejus que turbas ſequerentur. 493
Sub prætextu hujus belli Pontificum avaritia, faſtus & perfidia ſua habuerunt cõpendia; Reſpublica verò ſumma diſpendia. 13. 495
Felicibus in Oriente ſucceſſibus obſtitit Chriſtianorum diſcordia. 13. 497
Chriſtiani proſperâ in hoc bello fortunâ uti nequeunt. 13. 498
Per-

Digitized by Google

Perfidiâ & idololatria Pontificia Saraceni fuerunt offenſi. 13,501
A fraudibus quoque non abſtinuerunt, quibus belli hujus negotia curæ erant. 13.503
adeò infelix belli hujus fuit exitus, ut ipſa propterea multorum fides vacillare cæperit. 13. 504
Licèt Arabum arma fuerint feliciora, variis tamen preſſi fuerunt calamitatibus. 13.506.507
Papæ illud continuare ſtudent. 14.837
Chriſtiani novas in Palæſtinam ſuſcipiunt expeditiones, ſed infelici ſæpe ſucceſſu. 14.845
Bernhardus, Abbas Clarevallenſis, floruit. 12.105
Bernhardus, Monachus Cluniacenſis, floruit, ibid.
Biblia Sacra in linguã Gallicam transferuntur, juſſu Caroli V. 14.908
Bohemia Reformationem Huſſicam Angliæ meritò acceptam refert. 901
Bombardæ inventæ à Monacho. 14.743
Bonaventura, Doct. ſcholaſt. vixit 13.346
Bonifacius VIII. Pont. Roman. doloſè intravit in ſedem Apoſtolicam. 13. 380
Brigittæ ordo inſtituitur. 14. 736
Bullæ aureæ auctor eſt Carolus IV. Imp. Occid. 14. 658

C.

Canonicorum regularium ordo inſtituitur. 14. 739
Canonizationes Sanctorũ ſua habuerunt incrementa. 13.473
Cantacuzenus, hiſt. Græcus floruit 14. 682
Caputiati. Ita à quibusdam vocabantur Wiclefitæ. 14. 900

Cardinales pileo rubro donantur ab Innocentio IV. 13.431
Carmelitarum ordo inſtituitur. 12.100
S. Catharinæ monialium ordo inſtitutus. 14.737
Celeſtinorum ordo inchoatur. 13.360
Circumcelliones, à ſcriptoribus Pontificiis referuntur in catalogum hæreticorum. 13.632
Clerus Romanus. Clerici in Papatu.
Eorum avaritia. 12.167. 13. 419
Simonia. 12.167. 14.774
Negligentia. 13.419 14.774
Superbia & faſtus. 13.421
Luxuria & intemperantia. 13.422
Tyrannis. 13.426. 14.776
Ambitio. 14.775
Belligerandi libido. 13.427
λυπξαγμοσιών. 14.777
Vitia eorum in ipſo Papatu à multis fuerunt reprehenſa. 12.275
Clericos Magiſtratu eſſe ſubjiciendos, docuit Arnoldus. 12.271
Cœlibatus eorum improbatus fuit à multis. 12.272
Beneficiorum pluralitas apud eos invaleſcit. 13.430
Falcem libenter immittunt in alienam meſſem. 13. 430
Diſſidiis & rixis dediti fuerunt. ibid.
Vita eorum plena ſcandalorum fuit. 13.432
Multi eorum interdicta & excommunicationes Epiſcoporũ flocci pendunt. 13.617
Eorum libertas vellicatur ab Anglis, 14.941. à Gallis, Florentinis, Germanis, Helvetiis. 943
Cometæ. 12.2. 13. 207. 208. 14.644
Compoſtellanum iter frequens fuit. 14.791

Con-

Conciliis adempta fuit libertas. 12.179
Confeſſio auricularis plebi commendatur miraculis, 13.464
Conjugium Clericorum in ipſo Papatu ſuos habuit propugnatores. 14.916
Conradus II. Imper. contra Saracenos pugnat infeliciter. 12.219
Conſtantinopolis à Latinis expugnatur. 13.316
Converſiones gentium.
Sec. XII.
Pomeranorum. 224
Livonum. 235
Wandalorum. 236
Rugianorum. ibid.
Norvvegorum. ibid.
Finlandorum. ibid
Magni Gothorum Regis ibid.
Multorum Manichæorũ 236
Sec. XXIII.
Poruſſorum. 510
Jazygum. 512
Tartarorum. ibid.
Sec. XIV.
Lithuanorum. 857

D.

Damaſcus à Chriſtianis expugnatur. 12.219
Daniel Morleye, Anglus Mathematicus & Philologus, floruit 12.90
David Eldavid Pſeudomeſſias pœnas luit. 12.251.
Decretorum liber Gratiani. Vide Jus Canonicum.
Doſitheus, Monachus Venetus, Magus, vixit 12.61.
Deus. Doctrina de Deo profanè à multis tradita & expoſita fuit. 13.472
Cultus Dei in ipſas translatus fuit creaturas. ib.
Diſſidia procerum Eccleſias turbant. 14.658
Dominicus quo loco à Pontificiis habeatur. 102
Dominicanorum ordo inſtituitur. 12.99
Dulcinus, & Dulciniſtæ à

Pontif.referuntur in numerum Pſeudo - chriſtianorum. 14.952

E.

[E]cleſia. Locum hunc Theologia Papiſtica variè infecit. 13,476
[E]ccleſia *Orientalis*. Saracenorum tyrannide & ſævitium graviter vexatur. 12. 15
[E]ccleſiæ aliquot Orientales nomine potius Chriſtianæ fuerunt, quam dogmatibus. 14.692
[E]ccleſia Orientalis Græca, cultui ſanctorũ nimiùm erat addicta. 12.24
Moribus & vitâ diſſolutâ curiæ Romanæ, nec non Papæ dogmatibus offenſa, in divortio cum Latinis facto permanet. 13. 325, & ſeq.
[A]ntitheſes illius contra Latinorum dogmata. 329
[P]apæ primatum & Eccleſiam, variis oppugnat rationibus. 14.671.& ſeq.
Licèt doctores illius avitas defenderint ſuperſtitiones, luculentas tamen veteris Chriſtianiſmi relinquunt ſtricturas. 14. 693
Eccleſia *Occidentalis* turbatur diſſidiis capitum. 14. 658.& ſeq.
ſtatus illius Eccleſiæ afflictus fuit & perturbatus. 12. 67
ob Romanæ curiæ impudentiam & tyrannidem deploratus. 13.339.
Eccleſia *Romana*. Quid hæc ſenſerit de Græca, 13 578. & ſeq.
Undique vexata penè proſtrata jacuit. 13.614
horrendis vexata fuit ſchiſmatibus. 14.758
ab ipſis etiam Eccleſiæ Romanæ doctoribus ſemina Apoſtolicæ antiquitatis & ſinceritatis fuerunt ſparſa. 13.434
in ipſa etiam Eccleſia Romana

mana multi Reformationem deſiderabant. 14 784
in ipſa etiam Eccleſiæ externa cõmunione multi Papam, vel ejus decreta rejecerunt. 14. 583. & ſeq.
Eclipſes Solis. 12. 376. 13. 638
Ekhardus, Theologus, floruit 14. 707
Eliſabetha Germana, virgo monialis. 12. 109
Epocha Chriſtiana mutata. 14. 705
Euſtathius, Theſſalon. Epiſc. floruit 12. 63
Evangeliũ novum ex Monachorum ſomniis conflatur 13. 376
Euchariſtia. Communio ejus ſub una ſpecie rejicitur ab Huſſitis in Bohemia. 14. 905
Communio ſub utraque à multis defenditur. 14. 911

F.

Fames. 12. 5. 14. 639
Feſti dies incrementa accipiunt à miraculis. 14. 464 14. 820
Feſtorum dierum obſervatio in ipſo Papatu multis moleſta fuit. 14. 910
Feſtum corporis Chriſti confirmatur ab Urbano IV. 13. 448
Fides ab efficaci operum ἐνδείξει non poteſt ſeparari. Ita docuit Bernhardus. 12. 125
Fagellantium ordo inſtituitur. 13. 361
Franciſcanorum ordo inſtituitur. 13. 360
Franciſcus Petrarcha, orator atque poeta floruit 17. 704
Fratrum de pœnitentia ordo. 13. 361
Fridericus Imper. bellum ſacrum continuans in Selephio amne perit. 12. 221

ıdericus Imp. excommunicatur à Papa. 13.383 385

ılco, Rex Heroſol. conſtituitur. 12.218

G.

Georgius Pachymeres, Hiſtoric. & Philoſ. Græcus, floruit 14.686

Gibelinorum nomen Italiæ odioſum & pernicioſum, 12.151.152

Gilbertinorum ordo inſtituitur. 12.102

Glacies inſolita. 12.5

Grammaticæ ſtudium ſuos habuit cultores. 13.343

Grandines inuſitatæ. 22.5 14. 648

Gratianus, Monachus Bononienſis, autor Juris Canonici, vixit. 12.89

Guelfo, Bavariæ Dux, pugnat adverſus Conradum Imp. 12.150

Guido Luſignanus, Hieroſ. Rex. 12.221

Guilielmus Ockam, Minorita, Philoſ. floruit 14.704. refertur in numerum Pſeudochriſtianorum. 953

H.

Henricus Imperator bellum ſacrum continuat. 12. 223

Hieronymianorũ ordo inſtituitur. 14.738.

Hieroſolyma. Reges hujus urbis Chriſtiani. 12,216

Expulſis Chriſtianis, Regi Saracenorum traditur. 12.221.231,232

Multi Chriſtiani etiam poſt recuperationem ibi manent, ſed Occidentalium ſceleribus, & ſuperſtitione offenduntur. 232.235

Hildegardis, virgo monialis. 12.108

Hoſpitaliariorum ordo inſtituitur. 12.98

hujus ordinis ſuperbia. 103

Hugo

Hugo de S. Victore floruit 12. 106
Hugo Cardin. Theol. exeget. vixit 13.348
Humiliatorum ordo inſtituitur. 12.100
Huſs. Johannes Huſs, Reformationis Bohemicæ facit primordia. 24.901
Eius προσωπογραφία ibid. Dogmata. 903
Prædicatio ipſi interdicitur. 904
diſſoluta Bohemorū, procerum & cleri, vita, ad audenda maxima animatur. 907

I.

Jacobitæ Alexandriâ & Ægypto expelli vix potuerunt. 12.64
Idololatria magna habuit incrementa. 14.788
Ejus ſpecies: ἀρτολατρεία. ibid.
μαριολατρεία, ibid.
ἁγιολατρεία, 790.
εἰδωλολατρεία, 702
λειψανολατρεία, ibid.
Jeſuitarum ordo inſtituitur. 14.737
I*magines.* A Germanis fuerunt neglectæ, 12.273. Earum cultus plebi fuit commendatus viſionibus, 13.450. miraculis 452
Cultum earum proprio exemplo excuſſit Tellius, 14.911
Earum adorationi Eccleſia Græca nimiùm erat addicta, 12.20
Imperium, Imperatores.
Imperatores *Orientis* ſec. XII.
I. Johannes Commenus,
II. Emanuel Comnenus,
III. Alexius cog. Porphyrogenitus,
IV. Andronicus,
V. Iſaacus II. cog. Angelus,
VI. Alexius III.
} p. 9

mperatoribus Græcis hujus ſeculi exprobrabatur ἀλλοτζειοτποκοπία, deſidia, malæ conſuetudines, atheiſmus, ſacrilegia, 32.&c.

Sec. XIII.

Græcus, Alexius IV. 314. 318

Hic æquè ac anteceſſores iniquitate ſua viam Latinis ſtravit ad Imperium ad ſe transferendum, 311 ſeq.

Eodem hoc ſeculo Imperium Orientale translatum fuit ad Latinos, quorum Imperatores ſequentes:

I. Balduinus I.
II. Henricus,
III. Petrus Cautenæus
IV. Robertus,
V. Balduinus II. Roberti filius. } 318

Imperiũ *Orientale* redit ad Græcos ſec. XIV. 652

Adminiſtratur ab Imperatoris Græcis quatuor,

Andronico II. cogn. Palæologo,
Andronico III. cogn. quoq; Palęologo,
Johanne III. cogn. Palæologo,
Manuele II. cog. Palæologo. } 652

Imperium *Orientale* ipſorum Imperatorum Græcorum culpâ, ad interitum vergere cœpit ſec. XIV. 652. 653

Imperatores *Occidentis*.

Sec. XII.

I. Henricus IV.
II. Henricus V.
III. Lotharius II.
IV. Conradus III.
V. Fridericus Barbaroſſa, vel Ænobarbus, qui ob captam Romam à Papa Alexandro excommunicatur, & pedibus premitur, 12
VI. Henricus VI. cog. Aſper. } 10. 11 12. 13

Se-

Sec. XIII.

I. Philippus
II. Otho IV.
III. Fridericus. } 320. 321.

Hoc interemto ſeries Imperatorum excommunicationibus Paparum turbata eſt: Qui proximè poſt hunc regnârunt, Reges Romani appellati ſunt, nempe

Conradus IV.
Henricus, Thuringiæ Landgr.
Carolus, frater Galliarũ Regis,
Guilielmus, Hollandiæ Comes,
Richardus, Cornubiæ Comes,
Alphonſus, Arragoniæ Rex. } 321. 322.

Poſtea concordibus ſuffragiis à Septemviris electi ſunt ſequentes Occidentis Imperatores:

IV. ordine, Rodolphus I. Comes Haſpurgic. vir ſummæ prudentiæ & fortitudinis,
V. Adolphus, Naſſaviæ Comes,
VI. Albertus, Auſtriæ Dux. } 324

Sec. XIV.

I. Henricus VII. princeps Luzemburg, 753
à Monacho hoſtiâ venenatâ tollitur, 642
II. Ludovicus V. 654
III. Carolus IV. ibid.
IV. Wenceslaus, 657
V. Robertus Palatinus, 658

Incendia varia 12.4

Indi magnã religionis ſuæ gerunt curam, 14. 850

Invocatio ſanctorum magna ſumit incrementa, 12. 180
commendatur miraculis, 13. 457. 461. à multis tantùm non fuit rejecta, 13. 585

Ioannitarum ordo inſtituitur, 12.98

Johannes Baconthorpius, Carmelita Anglus, Philoſ. vixit 14. 704
Johannes Comnenus, Imperatoris cognominis nepos ad religionem Muhammed. tranſit, 12. 49
Johannes Repingale, Theologus celebris floruit. 14. 707
Johannes Sarisburienſis Anglus, floruit 12. 109
Johannes Taulerus, Theol. Colon. floruit 14. Judicia de eo, 706
Johannes Vitoduranus, Monachus, Franciſci ordinis, floruit 14. 667
Johannes VViclef, vide lit. V V.
Judæi. *Iudaiſmus.*
Absque Regibus & Principibus fuerunt, 12. 238
variis ſuppliciis multabantur, 12. 239
nonnullas à Chriſtianis & Muſelmannis obtinent dignitates, 12. 243
Multi eorum pertinaciter in religione ſua perſtiterunt, 12. 244
In varias ſectas atq; ſchiſmata fuerunt diviſi, 12. 244
Quidam ſub Meſſiæ nomine miſeram gentem eludentes, pœnas luunt, 12. 251
Quidam non indocti religionem Chriſtianā amplectuntur, 12. 252
Academiæ eorum, 12. 253
Rabbini eorum in certas diſtinguuntur ætates, 12. 255
Diſputationes Talmudicę continuatæ & additionibus auctæ, ibid.
Doctores eorum ſec. XII.
Theologi exegetici, ibid.
Polemici, 256
Talmudiſtæ, ibid.
Cabaliſtæ, 257
Philoſophi, ibid.
Ethici, ibid.
Aſtronomi, ibid.
Poëtæ, ibid.
Hiſtorici, 258

Lexicographi, 259
Medici, ibid.
Grammatici, 260
Philologici. ibid.
Diſſidia varia oriuntur inter eorum Rabbinos, 12. 261
Expelluntur ex Gallia, Anglia, Germania, 13. 515.
Exponuntur exactionibus Principum, direptionibus, atque libidini plebis, 518
Ob ſcelera, infanticidia cumprimis, commorandi inter Chriſtianos libertatem paucis in locis obtinent, 13. 518. & ſeq.
Religionis ſuæ promovendæ ſtudio flagrant, 13. 529
Jactant martyria, 13.532 ſanctitatem, 534
Superſtitionis eorum incrementa, 13.496
Diſputationes pro ea, 13. 536
Chriſtiani ſcripta Talmudica tolli jubent, 12. 536
converſioni eorum invigilant, 13. 536
Studia eorum ſec. 13. Biblica 544. Talmudica, Kabbaliſtica, Medica, Mathematica, ibid. Linguarum, 545. Multi in his eo tempore excelluerunt, 546
Philoſophia, juxta quosdam, ex ſcholis fuit eliminata, ibid. juxta alios ad certos ætatis annos reſtricta. ibid.
Quibusdam in locis ipſis propter favorem Chriſtianorum non deſunt incrementa, 12.626
Ob ſcelera commiſſa aut exilio multantur, aut vitam redimere debent, 14. 861
Chriſtiani quidam Judæorum patrocinium ſuſcipiunt ſec. 14. Papæ, 878. Epiſcopi & Clerici, 879. Imperatores, Re-

ges

ges & Principes, 881.
Multi religionē mutant, 14. 883
Quidam diſputationibus ſe defendunt. 14.884.
In impietate ſua multi perſiſtunt, confirmati miraculis, 14. 884. Martyriis, 884. apoſtaſia, 884
Quidam ſtudia Theologica & Philoſophica tractare pergunt, 12.886
Defenduntur à Johanne Papa, 14. 943
Ius. Juris civilis prudentia in Occidente reſtituitur, & excolitur, 12.72. 87. 14. 697
Jus civile Pontificum tyrannide ſupprimitur. 13. 356
Jus Canonicum à Gratiano, Bononienſi Monacho conſcriptum, juri civili anteponitur, 12.73. 88.89. judicium de hoc. 89
Jus tum civile, tum Canonicum floruit 13.345
Iuſtificatio. Juſtitia Chriſti nobis imputata juſtificat, ita docuit Bernhardus, 12.125
Juſtificationis dogma multis modis labefactabatur 12. 186
De hac ſobriè admodum ſenſerunt in ipſo Papatu viri aliquot docti, 14. 913
Juſtificationis gratuitæ ſpes multis adimitur, 12.478

K.

Karraitarum certamina cū Rabbaniſtis. 12.245
Kimchi, Doct. Jud. exeget. vixit 12.256

L.

Lauretanæ virginis translatio, & apparitio, 14. 789
Levi ben Gerſon, Doct. Jud. floruit 14.888
Linguarum cultura reviviſcit, 14.719
Lo-

Locuſtæ, 14.651.652
Lollardi. Sic à nonnullis vocabantur Waldenſes & VViclefitæ, 14.890
Ratio hujus nomenclaturæ, ibid.
A Pontificiis in numerũ Pſeudo-chriſtianorum referuntur, 14.950
Loquentes. Ita audiunt Arabum Theologi Scholaſtici, 12.95
Lumen Thaboticũ. De hoc controverſia movetur inter Græcos, 14.687
Luna. Hujus variæ affectiones, 12.4. Eclipſes, ibid.

M.

Magia. Huic multi Arabes litârunt, 12.198
Inter Græcos fuit frequens, 12.50
Magici à Papis eorumque aſſeclis, committuntur errores; quibus & verbum Dei profanabatur, & Sacramenta polluebantur, 14.804
Magnetes. Hujus uſus pr nautis inventus, 14.70
Majmonides, Philoſop. & Medicus Jud. vixit 12 257.259.
Mamlucorum origo, 19
Manichæi quidam ſuperfu erunt, 14.95
Marianorum ordo inſtitui tur, 12.10
Mathematica floruit 13.344
Medicina. Exculta à Muhammedanis, 12.198 floruit 13.345. 14.718
Mendicantiũ ordo defenditur à Papa 14.739
Mendicantium Auguſtinienſium ordo inſtituitur, 12. 99
Metempſychitarũ ſecta locum habuit inter Muhãmedanos, 12.206
Michael Anchialius, Philo. Græcus, floruit 13.63
Michael de Ceſena, in numerum Pſeudo-Chriſtianorum refertur, 14. 953
Militum Jeſu Chriſti ordo inſtituitur, 14.737

Digitized by Google

Militum D. Georgii ordo, 14. 738
Miracula. Ea fulciebantur miraculis, quorum fundamentum in Sac. Scriptura nullum oſtendi poterat, 12. 177. 13. 452. & ſeq.
Scriptores Pontificii largiuntur
Miracula fieri, vel ad confirmationẽ prædicationis verbi Dei, vel ad denunciandã facientis ſanctitatem, 14. 805
Etiam malos quandoque facere miracula, ibid.
Fraudes, miraculorum loco, plebi ſæpe fuiſſe obtruſas, ibid. Non inſervire miracula probandæ doctrinæ, 807
Miſſa commendatur miraculis, 13. 463
Monachatus. Monachi.
Monachatus magnas acquirit vires, 12. 97. 14. 737
Pontificum authoritate ſuffulcitur, 13. 357
Ab iisdem novis augetur ordinibus, 13. 360. privilegiis, 362
Authoritas Monachatus confirmatur miraculis, 13. 469. 14. 809
Monachi aliquot eruditione & pietate inſignes numerantur, 12. 105. & ſeq.
Monachi non ſunt omnes qui cucullati cluent, 121
Doctrina eorum male ſana & impia, 13. 373
Inteſtinis diſſidiis infames redduntur, 14. 753
Impietatis & profanæ mentis ſpecimina dant, 14. 742
Eorum luxuria, laſcivia, vita effrenis & diſſoluta, 12. 166. 13. 367
Ob vitia hæc arctiori diſciplina per leges coercendi fuerunt, 14. 753
Ne ipſi quidem Papæ eos amore ſemper fuerunt amplexi, 14. 943
Montium rupturæ, 13. 310

Mon-

Monſtra varia, 13. 310. 311. 14. 642
Morbi inſoliti, ibid.
More hannevochim, liber Arab. ſcriptus à Maimonide 12. 262
Muhammediſmus.
Religio Muhammedica practicis quorumvis Muſelmannorum excolitur ſtudiis 12. 194
Procerū & exemplo propagatur, 12. 196
Eorum *Chaliſæ.* 12. 199 13. 481
Principes, 12. 203
Reges eorum Bagdadi, 12. 207
Halebi, 12. 210
Damaſci, 12. 212
Veziri eorum, 12. 213
Familiarum & regiminis eorum variæ factæ mutationes, 12. 214
Chaliſatus Bagdadenſis deſinit in morte Moſtazisbilla, 13. 481
Sequitur hanc Tartarorū regimen. Vide Tartari.
Principes Muhammedanorū in Ægypto, 13. 485
Zelum ſuum probant in ſacris ſuis defendendis & propagandis, 13. 487
Multi Islamiſmo accedunt coacti, ibid.
Quidam tamen etiā Muhammedani in Chriſtianorum caſtra tranſeunt. 13. 488. 489
Chriſtiani de Muhammedanorum converſione varia agitant concilia, 14. 842
Muhammedani religionis ſuæ magnam gerunt curam, 14. 849
Chriſtianos in caſtra ſua pertrahere, & ſacrorum ſuorum deſertores revocare laborabant, 14. 853
Graviter in eos animadverterunt, qui faucibus Mohammediſmi aliquē eripere conabantur, ibid.
Muhammedani aliquot fau-

Digitized by Google

fautores Chriſtianorũ, 14. 854

Muſica denuò exculta. 14. 706

N.

Naves in litus ejectæ à Chriſtianis ſpoliantur: Quam conſuetudinem Andronicus tollit, 12.47

Neſtoriani Alexandriâ atque Ægypto expelli vix potuerunt, 12.63.64

Nicolaitæ, ſeu condormientes, pro VValdenſibus ſumpti, à Pontificiis referuntur in numerum hæreticorum, 13. 632

Nicolaus Lyranus, Theolog. Exeget. vixit 13.349

Norbertus, Monachus Lotharingus, ordinis Præmonſtratenſis fundator, floruit 12.101

O.

Ὁ'λόσφυρος. Ita à Græcis vocabatur Azzamado, Deus Muhammedanorum. 12.47

Oracula à Gręcis magni habita, 12.53.54.55

Othman, vel Otomannus, primus Turcarum Imperator, 14.824

P.

Patriarchæ Eccleſiæ Arabicæ & Syriacæ Latini, 12. 63.64.

Patriarchæ Jacobitarum & Neſtorianorum, 12.64 65.66

Paulus Carthagena, Iudæus, religionem Chriſtianam amplexus creatur Epiſcopus Burgenſis, 14.883

Peregrinantiũ ſocietas inſtituitur, 14.737

Peregrinationes Romanæ in ipſo Papatu à multis fuerunt rejectæ, 14. 910

Perſæ religionis ſuæ magnam gerunt curam, 14. 848.

Peſtis

Peſtis, graſſatur per ultimas provincias, 12.5. per totum verè terratum orbem, 14.639. invecta in orbem credebatur malitiâ Judæorum, 874. ſed non eſt veriſimile. 882

Petrus Comeſtor, Trecenſis presbyter, vixit 12.74

Petrus de Cugneriis, Gall. Regis advocatus, à Pontif. refertur in numerum Pſeudo-Chriſtianorum, 14. 951

Petrus Johannes, in eundem refertur numerum, 14. 952

Petrus Lombardus, cogn. Magiſter ſententiarum, Epiſcop. Pariſienſis, vixit 12. 73

Novam hic & à Græcis mutuatam tradit Theologiæ methodum, 73.74

Judicia Theologorũ Reformatorum de ejus ſcripto, 77. & ſeq.

Phaſeis variæ cœleſtes, 12. 411. 644

Philologia in Anglia & alibi rurſus in honore eſſe cœpit, 12.97

A Judæis excolitur, 12. 260

Licèt à multis fuerit neglecta, ſuos tamen habuit cultores, 13.351

Philoſophia. Superba hæc in Theologiam dominio intolerabilis turpiter degenerat, 12.96

à Muhammedanis fuit exculta, 12.198

Græci Philoſophorum fontes negliguntur, 12. 91.92.93

Pontifices Romani.

Imperatoriam Majeſtatẽ ſibi ſubjicere conantur, 12.12. 14.655

Propter ſedem & dignitatem Papalem varia orta ſunt diſſidia, 12.125

Plures ſeculo 12. creantur Pontifices inter ſe pugnantes:

Calixtus, & Mauritius Burdinus, 125

Honorius II. & Celeſtinus II. 125

Innocentius II. & Anacletus II. ibid.
Gregorius, & Innocentius, 131
Alexander III. qui antea Rollandus audivit, & Victor. Paſchalis III. ibid.
Diſſidiorũ continua materia fuit jus Inveſtituræ, 12.134
De ea acerrimè pugnabatur in Germania, 134. & ſeq.
in Anglia, 144
in Gallia, 144
in Hungaria, ibid.
Simultates excitatæ inter Pontifices & Rom. Senatum propter jura eligendi Patricium, Conſules, & Senatores, 12. 145.146.147.
Pontifices electionem Imperatorum turbant, 12. 147
Conqueruntur de amiſſis bonis Eccleſiaſticis, 12. 153
Bella per ſuccenturiatos gerunt, inque viſcera Chriſtianorum ſæviunt, 12. 262
Ingrati ſunt Imperatores atque Principes, 12.171 172.173
Autoritatem ſuam S. Scripturæ dignitati anteponunt, 12.174
Peccati formam conſtituunt non τὸ ἄνομον, ſed τὸ ἐκὠσιον, 12.185
Primatus eorum impugnatur à Græcis, 12.268. 13. 337.
Pontificem errare poſſe, conſtat ex eo, quod Paſchalis II. ipſe de ſe fatetur, 12.269
Promiſſa, pacta, & juramenta eorum eſſe incerta, docet ipſa praxis, 12.271
Authoritas eorum maſculè defenditur à Monachis, 13. 358
In electione eorum varia obſervantur ulcera, 13. 380
A Patriarcha Antiocheno

no excommunicantur, 13.326
Mores eorum cenſentur à Bernhardo, 12.114 115
Tyranni ſunt, 13.382. 14. 794
Reges atque Principes excommunicant, 13.388 & ſeq.
Aliis bona auferunt & amicis ſuis dant, 13.393
Perfidiæ notam ſibi inurunt, 13.394
Ambitioſi ſunt, 12.153.158 13.394.399
Ingrati, ibid.
Profani ſunt in Eccleſiæ ritibus & conſuetudinibus, 13.394.
Impii ſunt, cœlum ingredi nolentes, 13.396. 14. 770
Avaritiæ atque Simoniæ mancipia, 13.397. 14. 769
Vindictæ cupidi, 14.773
Magici errores ab ipſis committuntur, 14.804
Multi eorum injuriis ita fuerunt irritati, ut vel planè ab iis ſeceſſerint, vel hæreſeos eos poſtulârint, 13.414
Miraculis claruiſſe dicuntur, 13.472
Pontifices cum Clero vix ſuam defendere potuerunt autoritatem: illis enim ſe opponebant Romani, 13.586
Angli, 589
Galli, 592
Germani, 594
Apertis oppugnâtur bellis à Friderico & Fridericalibus, 600. A Colonienſibus. ibid.
Immunitas Pontificis à multis negatur. Quin & à multis Antichriſtus, lupus item palàm proclamatur in Anglia, 13.601 in Germania, tum à Friderico, 602. tũ ab Eberhardo Juvavenſe, 604
Ab aliis, ob deteſtandam perfidiam throno prorſus dejicitur, 13.609
In Conciliis ab eo indictis

Imperatores & Reges ipſi ſe ſiſtere tergiverſantur, 13.611
Jus Inveſtituræ, contra Papam, defenditur à Magnatibus Angliæ, 13.616
A Gallis, ibid.
Cenſus Papæ denegantur, 13. 617
Pontifices de unione Græcorum & Latinorũ ſunt ſoliciti, 14.683
Fidei ſuæ conſecraneis multas creant moleſtias, 14. 707.708
Sedis eorum translatio magna Eccleſiæ intulit damna, 14.755
Diſſidia in legitimorum Pontificũ electione turbas dant, 14.764
Bellum Cæſareo-Pontificium ſeculo adhuc 14. nunquam planè potuit ſopiri, 765
Qui pro Antipapis vulgò habebantur, & aſſeclarum numero, & pietatis ſpecie reliquos ſuperârunt, 14.773
Excommunicationes eorum frequentes, 14.796
Sedes Papalis miraculis fuit vindicanda, 14.821
Eorum Eccleſia & curia meretrix Babylonica vocabatur à multis, 14. 917
Pontificem Romanũ Antichriſtum eſſe, in ipſo Papatu quidam confeſſi ſunt, 14.918
Hæreſeos crimini illum eſſe obnoxium, docuerunt multi, 14.918
Ejus cenſuras & anathematiſmos tanquam bruta fulmina multi contempſerunt, 14.923
Ejus decreta atq; proceſſus damnantur in Helvetia, 14.824. in Germania, 825. in Gallia, 836
Vulnera ei infliguntur varia ab Imperatoribus, 14.934. à Regibus, 935 936. à Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Rebuspublicis, &

& plebeiis 14.937. & ſeq.
Pontifices in mutua ſævierunt viſcera, 14.938
Papatus hæreſiũ & ſchiſmatum ſemper fuit feraciſſimus, 14.953
Prædicatorum ordo inſtituitur, 12.99
Præmonſtratenſium ordo fundatur, 12.100
Prodigia varia, 12.3.4.5.6.7.128.14.638.639.640.641
Prodigia prodromi plerumque ſunt magnatum mutationum, 12.8
Ptolemais à Chriſtianis capitur, 12.217
Pulvis nitratus, inventus à Berchtoldo Schvvartz, Monacho, 14.657
Purgatorium. A Græcis rejicitur & refutatur, 12.338
Novum adipiſcitur locum, 13.443

R.

Rabbaniſtarum certamina cum Karraitis, 12.245
Raimundus Lulius, Monachus, Philos. floruit 13. 345
Varia de eo judicia, 701
Reipublicæ interituræ prodromi, 311. & ſeq.
Reliquiæ. Earum cultus incrementa ſumit, 12.181
promovetur miraculis, 13.471
plurimæ inveniuntur & transferuntur, 13.473.474
Rhodus Inſula Muhammedanis eripitur ab Hoſpitalariis, 14.834
Richardus Armachanus Hiberniæ Primas à Pontificiis refertur in numerum Pſeudo-chriſtianorum, 14.95
Robertus Keteneuſis, Philologus inſignis, florui 12.90
Rupertus Tuitienſis cœnobii præpoſitus, floruit 12.105

S.

Saccatorum Monachorum ord

ordo fundatur, 13.361
Sacerdotum vita diſſoluta, 12.167
Sacramentorum numerus augetur, & Tranſubſtantiationis accedit vocabulum, 13.477
Saladinus, aliàs Zelacheddinus, Saracenorum Rex, Chriſtianis ex Palæſtina expulſis, Hieroſolymam recuperat, 12.231
Ejus dexteritas in bello gerendo, 195.221
humanitas atque modeſtia, 231
Salvatoris ordo inſtituitur. 14.736
Sanctorum cultus taxatur à Taulero, & Henrico de Haſſia, 14.908
Sanguis ex panibus fluere viſus, 12.5
Saraceni, Africani in Hiſpaniam irruentes potiuntur Caſtellâ & Granatâ, 12.223
Bella inter Saracenos inteſtina geruntur pluri-ma, 12.224
Saraceni à Chriſtianis profligantur, 14.840
Scriptura Sacra.
Ejus authoritas impugnatur directè ſeculo 13. à Monachis Evangelii æterni fabris, 439. à Cyrillo Græco, Carmelitarum præſide, novæ Apocalypſeos autore, 439
Indirectè ejus majeſtas labefactatur:
Decretis Pontificũ contra lectionem Scripturæ in lingua vernacula, 440
Scriptis & ſyſtematibus ſcholaſtica methodo elaboratis, ibid.
Miraculorum atque viſionum fraude, 441
Scriptura Sacra in linguas vernaculas vertitur, 13.583. 14.908
Servorum Mariæ ordo inſtituitur, 13.362
Siccitas terræ ingens, 12.4
Sicidites, inſignis Magus, vixit 12.50.51.
Sorbona, Collegium Pariſienſe,

ſienſe, fundatum, 13. 343
Diſputationes Sorbonicæ inſtitutæ à Franciſco Maronio, Franciſcano, 14. 711
Stadingenſes, à Pontificiis referuntur in numerum hæreticorum, 13.630
Stellæ cadentes, 12.5
Superſtitio Pontificia in ipſo Papatu multis diſplicuit, 14.908

T.

Tamerlanes, aliàs Timur, & Teimurlang, Tartarorum Rex, 14.828
Perſicum rapuit Imperiũ 14. 830
Ejus πεϱεαμγεϱφία, 381
Tartari, vel Tatari. Etymologia vocis, 482
Eorum mores, ibid.
Regnare cæperunt, 13. 482
In Muhammedanorũ caſtra tranſeunt, ibid.
Illorum Reges ſeu Principes dicuntur Chan, 484
Imperii Tartarici origo ibid.
Primus eorum Rex, Tamuchin, ibid. Ejus ſucceſſores, ibid
Eorum tyrannide Arabi d gnitas, & univerſi ferè orbis libertas opprimitur, 14. 83[illegible]
Imperium eo tempore fuit penes familiam Gingischan, ibid
Templarii. Eorum ordo inſtituitur, 12.10[illegible]
Miniſtris Papæ ſe opponunt, 26[illegible]
Damnantur & delentur 14. 73[illegible]
Ab ipſis Pontificiis referuntur in numerũ Pſeudo-chriſtianorũ, 14.9[illegible]
Terra ſancta à Latinis ſubacta aliquandiu tenetu[r] 12. 6[illegible]
Terræmotus, 12, 2, 3. 13.30[illegible] 309. 638, 14. 642
Theologia.
Theologia Chriſtiana, Ar[...]bum ſpinis & barbari[...]

mis intricatur atque impeditur, 12.95.96
Theologia *elenchtica* methodo ſcholaſtica tractatur, & pluribus indies difficultatibus involvitur, 14.726
Theologia *exegetica* ſuos habuit cultores, 13.347
magnam paſſa fuit cladē. 13. 345
allegoriis fuit infuſcata, 726
Theologia *hiſtorica* cruda fuit, inepta & mendax, 13. 356
Theologia *ſcholaſtica*. Autorem habet Petrum Lombardum, Epiſc. Pariſ. 12.73
Methodus ejus primùm ipſis Pontificibus Rom. fuit ſuſpecta, & ab iiſdē damnata, 12.74.75
A ſcriptoribus Pontificiis exploſa, 12.76
Certæ ipſi fuerunt ætates. Vetus 80. Media 81. Nova 84.85
cultores ſuos habuit 13. 346. 14.709
ad oſtentationem magis, quàm ad ædificationem fuit directa, 13.352
Thomas Aquinas, Doct. ſcholaſt. ordinis Prædicat. vixit ſec.13. 345
patronus aſſumitur à Neapolitanis, 14.791
Tigurum à Papa excommunicatur, 14.803
Tansſubſtantiationis vox inventa 13.477
à multis non credebatur ſec.12.275. 14.919
Trinitatis domus ordo inſtituitur, 12.99
Turca.
Cæduntur à Conrado III. Imp. & Ludovico Francorum Rege, 12.12
à Friderico Barbaroſſa, 12. 13
à Tartaris vincuntur, 14. 824
Poſtea tamen rurſus Turcicum Imperiū emerſit. Primus eorum Imperator Othman, vel Ottomannus,

nus. 824
II. Orchanes. 825
III. Solimanus, 826
IV. Moradus ſeu Amurathes, ibid.
VI. Childrim Bajazeth, ibid.
Turelupini, ſeu Cynici, Pſeudochriſtiani, 14.952

V.

Veneti à Sultano Babyloniæ libera Ægypti impetrant commercia, 14.854
Viſiones fictitiæ ſuperſtitionibus Pontificiis magna addunt incrementa, 13. 443. & ſeq.
Uxorum erga maritos fidei exemplum, 12.11

W.

VValdenſes.
Horum origo incidit in ſec. 12. 278
Etymologia vocis, 279
Occaſio ſeparationis eorum ab Eccleſia Romana communis fuit & propria, ibid.
Prima eorum ſedes fuit Lugdunum, 281
Varia contra eos opprobria, ib.
Dogmata eorum, 283. & ſeq.
Mores, 288
Eruditio, 289
Miniſterium, 290
Doctrina eorum longè lateque mox fuit diffuſa, 291
Variis perſecutionũ procellis fuerunt agitati, 292
Tempore reformationis eorum Miniſtri in Helvetiam veniunt, 294
Parallelismus ratione ſortis, qua primitiva *Eccleſia*, & VValdenſium Eccleſia fuit preſſa, 295
Mendacia illis afficta refutantur, 296. 297
Cœtus eorum magna habuit incrementa in Germania, 12.549

Italia, 550. Croatia & Dalmatia, 551. Arragonia, ibid.
Partes eorum etiam viri magni ſecuti ſunt, ibid.
Curia Romana eos radicitus extirpare conatur, ibid.
Sed Deus miraculosè Eccleſiam ſuam à rabie hoſtium conſervat, 576
Papa, ejusque aſſeclæ eos ſec. 14. proſequuntur conviciis & calumniis, 891. 966. Inquiſitione & tormentis, 891
Wernherus, vel Guarnerius, Juris interpres, floruit 12, 88
Wiclef. Johannes Wiclef, Theologus Anglus floruit 14. 893
Ejus πρεσβυτογραφία, ibid.
Dogmatũ ejus compendium ex autoribus Pontificiis, 895. ex noſtratibus, 896
Inſidiæ ipſi ſtructæ, 898
Nutritii & fautores ejus, 899
Scripta ejus reformationem Huſſicam in Bohemia juvant, 901
A ſcriptoribus Pontificiis referuntur in numerum hæreticorum, 953

Z.

Zelacheddinus. Vide Saladinus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google